











MEDULLA GEOGRAPHIÆ PRACTICÆ,

Peregrinantium inprimis usui, deinde Historiarum & rerum hoc tempore bellicosissimo gestarum, gerendarumq; pleniori cognitioni accommodata:

In qua potissimum Europæ Regiones *nobiliores, & aditu faciliores, novâ, compendiosâq; Methodo proponuntur: earum situs, quantitas, qualitas, dominium, partitio, distributio Urbium, Oppidorum, Arciũ, resq; in iis memorabiles, conditio, politia, consuetudines & mores incolarũ; Insulæ, Peninsulæ, Maria, Sinus, Fluvii, Lacus, Portus, Promontoria, Montes, Thermæ, Acidulæ, Mineræ, Agri, Viridaria, Sylvæ, Vivaria, Animantia, Antiquitatum monumenta nec non alia quàmplurima insigniora naturalia, atq; artificialia cuiusvis loci Gnorismata singillatim adũbrantur: & tandem cætera quoq; Orbis terrarum Partes summatim pertractantur:*

Auctore
DAVIDE FRŌLICHIO Mathematico Cæsareopolitano, apud Gepidas Carpathicos.

Partim experientiâ atq; oculari observatione, partim lectione neotericorum Geographorum concinnata, in Prodromum *suæ* Bibliothecæ *ac* Cynosuræ *Peregrinantium.*

Cum duobus Elenchis copiosissimis, utilissimis, & apprimè necessariis.

Impensis Bartholomæi Bertrami, *Chymici apud Cæsareopol:*

Typis Bartphensibus, Anno C. 1639.
Prostat apud Auctorem, Promotorem & Typographũ.

D. O. M. A.

ILLUSTRES AC MAGNIFICOS
Comites & Dominos; Dominos ad omnia
summa natos,

Dn. SIGISMUNDUM
RAKOCI,

Celsissimi & Illustr. Principis ac Domini,
Dn. GEORGII RAKOCI, Transylvaniæ Principis, partium Regni Hungariæ Domini, Siculorum Comitis, &c. &c. filium secundò
genitum oculissimum:

Dn. FRANCISCUM
De NADASD,

Terræ Fogaras perpetuum, & Comitatûs Castriferrei supremum Comitem, &c.

Dn. GEORGIUM
ILLYESHAZY,

Perillustris Comitis ac Domini, Dn. CASPARI ILLYESHAZY, de Illyeshaza, Equitis aurati, Comitatûs Trenchinien. perpetui; Liptovien: & Arvensis supremi Comitis, Sac. Cæs. Regq; Mttis Consiliarii, &c. filium natu minorem,
mellitissimum

Paternarum, Avitarumq; virtutum, heroicæ fortitudinis ac gloriæ hæredes, nec non æmulos acerrimos
huius Libelli dedicatione
ad honestam animorum relaxationem demissè invitat; seq; singulis, tanquam Dominis ac Evergetis suis gratiosis, debitâ observantiâ commendat

DAVID FROELICHIUS, Mathematicus
Cæsareopolitanus,
in spei,
quam de divinis illorum ingenijs & felicibus regiminibus omnes boni cives patriæ concepêre

MONUMENTUM.



ILLUSTRES
atque
MAGNIFICI
Comites ac Domini,
Domini mei gratiosi.

ETSI PLERIQ; IN HAC *hæresi versantur,* Geographiam *tantùm ijs cognoscendam eße, qui se totos profundissimæ Mathesi mancipare volunt: tamen meridianâ luce clarius est, ejus cognitionem omnibus bonarum artium & literarum Studiosis necessariã esse, & cujusvis ordinis ac statûs hominibus perutilem.*

Namq; primùm, SS. Theologiæ, *tãquàm famula plurimùm inservit, dùm Theologus, non semper quà Theologus, sed quà Geographus, regionum, urbium, populorumq;, quorum in Mose alijsq; Pro-*

phetarum & Apostolorũ scriptis frequens sit mentio, periphrasin instituit. Quotusquisq; enim est, qui situm terræ Canaan, Abrahæ migrationem, exodum Israelitarum ex Ægypto per desertum, peregrinationes Christi & Apostolorum, Geographiæ ductu destitutus, perfectè percipere posit?

Quantam utilitatem Philosopho afferat, vel ex hoc solùm constare poterit, quòd neq; Platónis, Aristótelis, Theophrasti, Plinij, Plutarchi aliorumq; Scripta doctissima, sine Geographiæ cognitione intelligi queant: quando & locorum discrimina, rationes Physicas rebus applicandas mutant, & alia alijs locis generantur.

Quis Medicus herbarum naturam exploratam habebit, nisi quoq; earundem vires & facultates, quæ ob diversarum regionum positum, cœliq; influentiás, plurimùm sæpè variant, perspectas habebit? quâ de re approbè Poëta scribit: Hi

Hîc segetes, illic veniunt feliciùs uvæ:
Arborei fœtus alibi, atq; injussa virescunt
Gramina: nonne vides; croceos ut Tmolus odores?
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum: virosaq; Pontus
Castorea: Eliadum palmas Epeiros equarũ?
Continuò has leges, æternaq; fœdera certis
Imposuit natura locis, quo tẽpore primum
Deucalion vacuũ lapides jactavit in orbẽ.

Quòd summè utilis Jurisperitis *sit, ex hoc apparet, quòd nullus Constitutiones legales Imperatorum & Decreta Regum cum fructu discere aut docere potest, nisi limites vel veteres, vel novos Imperij, Regni, Ducatûs, Principatûs, Comitatûs aut Diœceseos alterius ex Geographia sibi familiares reddiderit. Illa enim distinguit Continentes, maria, status & regiones diversas, notando diligenter earum fines ac terminos. Huc accedit, quòd Leges pro varietate terrarum ipsæ sæpenumerò varient.*

Ad cæteros verò Politicos, *Deum*

immortalem! quanta flumina emolumentorum ex hoc studio, tàm pacis quàm belli tempore, derivantur? Cùm enim locus nostrarum actionum, ut ait Strabo, sit mare & terra, ubi habitamus; peregrinationibus opus est, ut, quæ in uno loco non inveniuntur, ex alio advehantur, quod quidem ut sine vitæ discrimine peragere tutò possimus, loci notitiam nos habere oportet, ne in hostilem terram delati, periculo nosmet exponamus.

Quantum Historiarum, & sub hoc tempus Relationum sive Novitatum, ut vocant, cupidis conducat; vel ex hoc solùm colligi poterit, quòd multæ historiæ, plurimæ novitates sine loci & temporis circumstantia non solùm non intelligi possint, sed nonnunquam etiam pravo intellectu corrumpantur: unde retinentur, vel potiùs retrahuntur sæpe lectores & auditores, ut eò tardiùs ad ia perveniant, quò alioqui citiùs perveni-

repo-

re potuissent. Et Geographiæ tanta est cum Historia cognatio & affinitas, ut altera alterius pars esse videatur, &, ut Historia est oculus prudentiæ Politicæ; ita Geographia est lumen & oculus Historiæ, ut præclarè ostendit Johannes Bodinus in Meth. hist. cap. 1. *Hinc Scytharum, Indorum, Æthiopum, Americanorum historias à Geographis duntaxat hausimus & expressimus. Præter hæc Historici Geographicis utũtur descriptionibus, & historicè terrarum regiones semper describunt, ut, si ars ulla Historico necessaria sit, profectò Geographia summè necessaria videtur.*

Ideóq; nec hâc commodè carere queunt illi, qui in Magistratu constituti, Rebuspublicis præsunt: quippè cùm nulla possit esse beata Civitas, teste Platone 12. de legib: *nisi in ea tales homines vivant, qui multiformi rerum variarum supellectile sint instructi: Historiarum*

 certè

certè ac multorum eventuum experientiam eos habere necesse est, atq; adeò locorum ubi istæ contigerunt, cognitionem & certitudinem. Quod quidem sine Geographiæ scientia neutiquam fieri potest.

Stratiotis, Archistratégis ac alijs belli Ducibus, *mirum! quantùm necessaria est: quandoquidem in bello loci cognitione opus est, ut scilicet Polemarchus sciat, quorsum ducendus sit exercitus, ubi castra metandi existat opportunitas, ubi agendi cuniculos securitas, ubi deniq; insidiarum occasio. Ut enim is felicissimè venatur, qui Sylvam, in qua venatum instituere cogitat, rectè habet cognitam, ut possit eam indagine circumquaq; cingere: ita ille dexterrimè pugnat, qui loca ad pugnam, cùm hostem adoriri satagit, perspecta habet. Et sanè quæ causa fuit, quòd Cyrus ad Oaxen à Tomyride, unà cum universo exercitu fuerit cæsus & fusus, nonne loci ignorantia? Cur in-*

faus[to]

fausto omine adversus Parthos ad Leucam pugnavit Crassus? sane ex loci ignorantia. Augusto Rom. Imperatori ex ignorantia loci per Harminium archistrategum suum, aliquot Romanorum legiones dissipatæ & profligatæ sunt, ideoq; illiso ad parietem capite, misere illi ejulandum post fuit: ô Q. Vare*! ô* Q. Vare, redde legiones*!*

Immo Magnatibus, Principibus ac summis Regibus *hæc Geographica facultas adeo necessaria est, ut ipsimet ipsam fundarint, mittentes per universum mundum eruditos viros, ad varietatem regionum ac locorũ explorandam. Testatur* Æthicus *in frontispicio suæ Geographiæ, Iulium Cæsarem Orbem terrarum (quantum quidem tum temporis is erat cognitus) admetiri cœpisse, & intra decursum 32. annorum dimensum fuisse; & quidem Orientem opera Xenodori; Septentrionalem plagam Theodoti: Meridia-*

)a(s ridia-

ridianam Polycleti. Seu ut Albert. M. de naturâ locorum, distinct. 3. c. 1. ait; *descriptio facta, in Septentrionalibus, à Theodoro Philosopho: in Meridionalibus à Polycleto sapiente: in Orientalibus ab Herodoto Philosopho: in Occidentalibus autem per itinera sua scivêre, quia præcipuè in occidente erant viæ ac dominia eorum. Sic probabile est sequentes etiam Monarchas in Orbe terrarum penitùs explorando & perficiendo sumtibus minimè pepercisse. Proavorum & atavorum nostrorum tempestate Ferdinandus Castiliæ; Emmanuel Portugalliæ; Carolus V. universæ ferè Hispaniæ Rex & Rom. Imperator, præclaros inq; Geographiâ probè versatos viros ad oras Orientales & Occidentales Indicas emiserunt, qui accuratam earundem delineationem conficerent. Quorum inclytorum Regum eapropter vigebit & virebit fama.*

Donec

Donec erit tellus, ſydera donec erunt.

Peregrinaturis *tanta Geographiæ eſt neceſsitas, ut etiam citiùs Sole & Sale carere debeant, quam eâ unicâ. Hæc enim locorum diſtantias commemorat; hæc conterminas regiones indicat; hæc, an verſus Orientem, Occidentem, Auſtrum vel Aquilonem, is locus, ad quem contendunt, ſit ſitus, eos inſtruit. Hæc Hodœporo totam terræ faciem delineat, atq; ſpectandam, tanquam in politiſsimo ſpeculo proponit. Oſtendit peregrè abeuntibus quò ſit deflectendum, ut citiùs peregrinationem abſolvant; quæ via tutior, compendioſior ac planior; ubi montes aſcendendi; flumina trajicienda; ubi ſylvæ umbram gratiſsimam præbentes, aut latrones nequiſsimos foventes, perambulandæ, ubi commodè divertendum ac pernoctandum; qualis partitio regionis; qualis diſpoſitio urbis, oppidi, arcis; quæ res in iis obſervatu dignæ; quæ poli-*

tia;

tia; quæ consuetudines; qui mores Civium; ubi thermæ, acidulæ, averna, mineræ, viridaria, vivaria, pontes, montes, convalles, antiquitatum monumenta. Maria pernavigaturis indicat Syrtes, Scyllam, Charybdin, aliaq; horrenda maris pericula; Item; Insulas, Sinus, ostia fluminum, lacus, portus, promontoria, nec non alia sexcenta cujusvis loci vel maritimi, vel mediterranei gnorismata: quorum cognitio, ad vitam probè ducendam, maximoperè necessaria est. Vlysses prudens ab Homero appellatur, quòd mores hominum vidit & urbes: hinc ortum illud distichon;

Felix multorum mores qui vidit, & urbes!
Hic poterit patriæ lucra juvare suæ.

Porrò, nec ij, qui plurimas regiones jàm lustrarunt, Geographiâ carere queunt. Tantæ enim memoriæ humanæ est imbecillitas, ut sæpenumerò res etiam sensu oculorum externo perceptæ, mente excidant,

cidant; quarum tamen rerum memoriam Geographia reparare potest. Quibusdam peregrinantibus, cum in aliqua regione vel urbe præsentes sunt, ob nimiam festinationem, aut alia impedimenta, ea, quorum videndorum gratiâ tot labores suscepêre, vidisse non contigit; quæ tamen in Geographia contemplantur. Mutantur insuper quotidie Civitates, oppida, mores, vivendiq; hominum rationes. Exemplo nobis Germania sit, cujus facies hodie talis non est, qualem quispiam peregrinantium ante 30. annos observavit. Namq;,

Tempora mutātur, nos & mutamur in illis.

Adhæc fieri non potest, ut unus omnia terreni orbis peragret & videat loca; nec hominis ætas hodie, ut olim, ad multos centenos extenditur annos, ut aliquis suo ingenio, & priscorum hominum, atq; nunc existentium mores, facta & vitam, describere possit. Iuvamur ergò ve-

terum

terum relictis monumentis, levamur illorum beneficiis, qui nostro ævo diversas adiêre terras, experientiâq; didicêre, quæ multis aliis videre haud licuit.

Eos deniq;, quibus, vel per ætatem, vel valetudinem afflictam, vel occupationes, vel inopiam sumtuum, vel bellicosa tempora, vel ob alias ponderosas causas, peregrinas invisere oras minus licitum fuit, domi residentes varie Geographica lectio reficit. Habet enim hæc scientia, præter eam commoditatem, quâ hominem, ad universam rem literariam tractandam, habiliorem reddit, vim quandam recreandi mirabilem, ut intra privatos parietes sese continentes, doceat terrarum situm, maris flexus æstusq;, animalium effigiem, naturam & discrimina, tanquam præsentes omnia contemplarentur, & corâm cernerent. Miratur imperita plebs Opticorum specula, (Perspectiva nominat vulgus) quorum in-

terventu ad tria & plura milliaria pateat prospectus. At, quantò majore admiratione digna est Geographia, cujus beneficio, non trium tantùm aut decem milliarium intervallum; sed universæ provinciæ, atq; adeò totius terrarum Orbis conspici & repræsentari queat? ut non halluciner, si hanc veram illam speculam adfirmem, quam D. Hieronymus quidem exoptâsse scribitur, cum sperare non liceret, ex qua omnia regna, omnia imperia pervideri ac perlustrari dentur. Novimus quosdam magni nominis viros olim incredibili accensos cupiditate visendorum locorum, veterum famâ celebrium, atq; ob id nullis pepercisse expensis, peragrâsse varias terras: hic, ut contemplaretur fontes Danubij; iste, ut videret Græciam, ille, ut Ægyptum, ille, ut Palæstinam cerneret. Quod cum hâc bellicosissimâ tempestate paucissimi tentare audeant, domi in otio manentes, & magnos

labores itinerumq́ pericula vitantes, Geographicâ delineatione omnem terræ habitudinem spectare possunt, menteq́ ab una in aliam transire regionem, & plerumq́ absentes plura videre in aliqua regione, quàm qui præsentes in ea fuerunt.

Peregrinationi jam accinctum non retinent meticulosi parentes: non lachrymas effundunt fratres, sorores; non remorantur curæ rei domesticæ; jàm verò obambulanti non obest aëris ulla temperies, stridens ventus, humidus imber, nec grando duris invisa colonis. Divertenti non est morosus hospes, qui cibum bis coctum, putredine olentes pisces, acetosa fontibusq́ permixta vina; quietem verò petenti, pediculosa ulceribusq́ commaculata stragula apponat. Æstivo tempore, non solis igniti fervor, periculos[a] fulgura, nec pinguissima frugibus arv[a] obsunt: Hyberno autem non quoq́ uri[t]

frigoris dira improbitas, nec vexat densitas nivis. Naviganti non eructabit vomitus, non erunt infesta sydera, luctantes venti, tempestatesq́ sonoræ: tutissimus erit à piratis ac prædonibus, vitæ opumq́ perniciosis insidiatoribus, aliisq́ infinitis periculis ac incommodis, quæ plerunq́ peregrinantes circumvenire, vel desidiosi formidare solent: ea tamen pleraq́, quomodo, vel in ipso itinere, evitanda sint, mea Cynosura passim docet. Hæc igitur & alia commoda infinita, quibus vita nostra carere non potest, hortentur nos omnes & singulos, ut nonsolùm hanc artem colamus; verùm etiã donum Dei esse maximum, agnoscamus; utpote, cujus operâ Evangelij doctrina in omnem terram, & ad barbarissimas usq́ gentes, penetravit. Ideoq́ gratiori animo ab omnibus amplectenda est. Gratam enim famam de se, uti in aliis artibus, sic potissimùm in hac, sparsit Deus.

Et hisce utilitatibus permoti præclarissimi, non tantùm prisci, sed etiam recentiores artifices multum laboris & operæ in edendos Geographicos libellos collocârunt. Fatendum etiam, nos hodiè, non Geographiam solùm, sed cunctas alias artes ac scientias in tantum evectas fastigium, habere, ut, neq; ad augmentum, neq; ad ornamentum, vix illis quicquam ultrà addi possit. De aliis alij judicent. In hac expolienda ac consummanda dicere audeo, penè supra humani ingenij vires à summis nostri seculi viris elaboratum esse. Quid enim, ut vetustiores silentij conopeio involvam, Münsteri Cosmo-seu Geographiâ perspicacius? quid Theatro Braunij uberius? quid Atlante Mercatoris ingeniosius? Quid Magini, quid Bertij descriptionibus Geographicis lucidius? Quid Schröteri historiâ Geographicâ tersius dari possit? Aliorum etiam

doctrinâ atq; ingenio excellentium virorum innumera extant monumenta; quibus quidem omnibus, tantùm abest, ut vel meam opellam præferam, vel meritum summæ industriæ, & eruditionis laudem detraham, (quis enim hoc nisi extremè ingratus & improbus faciat?) ut etiã libenter, ac ingenuè fatear, nunquam me ad hocce genus Compendij animum fuisse adjecturum, perficere cœptum potuisse, nisi illorum utilissimis laboribus, ut ita loquar provigiliis, essem adjutus. Veruntamen illud interim dissimulandum minimè puto, eosdem varios auctores desideratam Iuventuti peregrinanti commoditatem, & eum usum, quem ego quæro, ut plurimùm non præstare. Quippe inter omnes, hactenus editos, miratus sæpè fui, neminem extitisse, qui aptâ ac brevi methodo doctrinam hujus scientiæ adeò complexus esset, ut ex ipsorum manuductionibus Peregrinantes res cujus-

 vis

vis regionis, urbis, oppidi, &c. visu dignissimas ordine expiscari scirent. Isti defectui, ut pro virili succurrerem, movit me primùm ante novennium ferè, magnus ille Musarum Atlas, & Polygraphus celeberrimus, tunc vivus, nunc divus Joh. Henricus ALSTEDIVS, in illustri Gymnasio, quod est Albæ Iuliæ Transylv. primarius tùm temporis Professor. Cùm enim An: Christi 1630. Transylvaniam peragrâssem, eo potissimùm fine, hujus ut prisci & inclyti Regni Antiquitates ad Chronologiam meam facientes, colligerem, atq; ad ipsum Albæ Iuliæ divertissem, non solùm hilari fronte, & singulari vocis exultatione me tantus vir excepit, sed etiam familiarißimè mecum aliquoties de Studiis, quibus adolescentia ad regionum fructuosam lustrationem informanda esset, contulit; cæpitq; aliquandò inter alia hujus quoq; Geographiæ Practicæ ideam seu imaginem quandam; quam

quam dudum animo ſe comprehenſam habere dicebat, verbis mihi depingere, magnum operæ fore pretium aſſerens, ſi quis ad iſtum modum conſcriptâ Geographiâ ſuccinctâ, moleſtiam, quæ in diverſis & grandioribus paſsim voluminibus, portatu difficilibus, Studioſis Europam peragrantibus obijcitur, ſublevare conaretur. Adduxit etiam in medium rationes nonnullas, quibus in lectione vulgari hiſtoricâ utilem hujus inſtituti demonſtrare ſatis evidenter viſus eſt. Addebat, plures quidem, eoſq́ non contemnendæ doctrinæ viros, hujus modi συλλογὰς *inſtituiſſe: qui verò ex illis hanc methodum ſecutus ſit, ſibi prorsùs notum eſſe neminem. Proinde hortabatur me, quoniam ipſe operoſioribus incumbat voluminibus, quæ* (pro ſuo laudabili more) *etiam cogitaret in aſpectum lucemq́ proferre, non poſſet; ſi quid haberem à mea Calendariographia otij, id potiſsimùm ad profe-*

ctum Studiosæ Juventutis maturiorem hâc ratione conferrem. Itaq; ut faciliùs, & citra ullam vel rerum mearum, vel laboris frustrationem possem facere, pro summo in Rempublicam literariam studio, & singulari erga me labore, Patronos munificos huic libro necessarios se procuraturum pollicebatur. Hoc sanè consilium mihi deinceps occasionem præbuit, ut reversus demùm accuratiùs de ea materia cogitarem, & manum operi adhiberem. Sed, proh dolor! antequam huic codicillo colophonem apponerem, dumq; in eo totus essem, ut illi ad expoliendum, & Epigrammate perbrevi exornandum, in Transylvaniam usq; transmitterem: ecce inopinatus rumor de ejus obitu, primùm quidem obscurè, quasi magnus Daciæ Pan mortuus esset, in Scepusium nostrum penetravit: paucis autem interjectis diebus, juvenis quidam Coronensis, Transylv. studiorum gratiâ huc veniens, stellam hanc

in Oriente lucidißimam certò certiùs, sub mense Novembri, Anni superioris 38 extinctam esse, firmiter asseruit. Quod tristißimum nuncium animum meum adeò everberabat, & omnem ferè sensum mihi adimebat, ut totus aliquandiu consternatus ferè obmutuerim. Hic perpetuâ memoriâ dignißimus Vir, etsi præter ætatem (fuit enim quinquagenarius) non multùm passus videri potest, aut præter communem illam legem: tamen profectò summo dolori est, & favitorem incomparabilem me, aliosq; multos literatos amisisse, & doctam juventutem atq; adeò literas ipsas in hujus acerbo interitu, magnam jacturam fecisse. Potens illa manus eum ad se in Academiam cœlestem rapuit, immò turbis hisce mundanis cruentißimis eripuit. Atq; ita eo superstite (per Patronorum penuriam, fractam meam valetudinem, Calendariographiam multiformem, scriptitationes epistolares, & ob

 alias

alias gravißimas occupationes, quæ, ut lictores quandoq; me circumstare, à publicis congreßibus & amicorum conversationibus multùm me, vel invitum, retrahere solent,) hoc Geographiæ manubrium publici juris facere mihi haud licuit.

Accedit huc non solùm superiorum recordatio temporum adolescentiæ meæ, quibus hujusmodi subsidia in Peregrinationibus meis plus quàm duodecennalibus frequentiùs desiderabam: sed etiam hâc jàm virili ætate apud patrios lares agenti Venerabilis Senis & Polyhistoris consummatißimi Dn. M. Davidis Prætorii, Scholæ patriæ Rectoris dignißimi, Præceptoris veteris & amici probè de me domi ac foris meriti, efflagitatio ferè quotidiana.

Movit me tandem singularis promtitudo Honorandi Dn. Soceri mei, nempe Prudentißimi & integerrimi Viri, Dn. Bartholomæi Bertrami, p. t. Reip.

Cæsareopol. Senatoris primarij, Chymici ibidem felicißimi. Is enim, partim honestos meos conatus, partim bonas literas promovendi causâ, impensas se suppeditaturum, non tantùm ultrò pollicitus est, sed etiam reapsè promißis egregiè stetit. Cujus liberalis iste in Musas affectus, tantò magis posteritati commendandus, quantò magis quorundam ditiorum eminentiorumq; tenacitas detestanda est. Quantos sumtus olim Principes & Reges pro conscribendis libris fecerint, & quantoperè nunc Scriptores negligantur, si dicerem, quæstui prolixè indulgerem, nisi consolationes penes Deum superessent. Unus Rex Hispaniæ Alphonsus, cùm has artes Mathematicas, inprimis Astronomiam ferè extinctam, revocaret in lucem, vidit non posse rem tantam perfici, nisi è Repub. sumtibus juvaretur; in tabularum Astronomicarum constructionem contulit quadringenta millia aureorum. Hanc

liberalitatem, in re tàm pulchra & utili, miramur, magnitudinem sumtuum prædicamus, cùm his proximis annis compertum sit, non Reges vel Principes, sed Magnates, quorum opes non sunt pares Alphonsino regno, majorem pecuniam effudisse in luxuriam. Celebrata est & Alexandri M. liberalitas, qui octingenta talenta, sive sexcenta millia Joachimicorum dederat ad inquisitionem naturæ animantium. Voluntatem horum Regum & virtutem probo; sumtus non sunt magni: quantò plus enim effudit idem Alexander in funus Ephestionis? Sed omitto hanc odiosam commemorationem. Instruxit sanè Deus Dynastas facultatibus, quarum pars aliqua conservationi Religionis & artium debetur, idq; ita ordinavit vetustas: sed propter varias vitæ confusiones, honesta instituta veterum subinde mutata sunt, & mutabuntur. Intereà tamen sapientes & boni guberna-

bernatores, cùm sciant pietatem Deo gratam esse, opem ferre studiis religionis & artium, non sinant prorsus deleri doctrinam vitæ necessariam; cogitent, ideò se in hoc fastigium divinitùs collocatos esse, ut præcipuè sint custodes rerum divinarum, veræ sapientiæ, justitiæ, pacis, & quarumvis liberalium artium. Singula hæc cùm & intelligunt, & tuentur, imagines sunt Dei inter homines, qui hæc summa bona vult intelligi & coli, ut ipsum agnoscamus, qualis sit, & ut nostræ mentes cum divinâ, quantùm fieri potest, congruant.

Hæc Ill. Ill. Ill^tes V. V. V.^ras non tantùm ipsasmet, verùm etiam Illustrißimos earundem Parentes, maximè optare & adniti, ut ad posteros transmittatur tam doctrina de Deo integra, quàm de artibus, quæ & Ecclesiæ & vitæ necessaria est, multis documentis, si opus esset, probarem. Inprimis verò commendabilis est, partim

lauda-

laudatissimorum Dominorum Genitorum vestrorum, partim vestri ipsius beneficentia, erga meas Musas præstita. Cum enim Fastos Latinos, Anno 1634 Celsissimo Principi Transylvaniæ D. D. Georgio Rakoci, &c. Hungaricos, An. 1638, Tibi Illustris Comes D. D. Francisce de Nasdad &c. Latinos iterum An. 1633 Illustri Comiti D. D. Casparo Illieshazy &c. inscriberem, condignis honorariis, & opimis laborum præmiis à singulis liberaliter auctus sum: Unde semper in votis habui, hanc gratiosam munificentiam posteritati publico & literario monumento, quæ ætatem, præ Fastis, grandiorem ferret, commendare. Et hæc prima causa fuit, quod Ill. Ill. Ill^bus^ V. V. V^ris^ istam meæ Geographiæ practicæ medullam, à prelo adhuc madentem, dedicaverim.

Deinde, me etiam singulariter movit, quod vel ex Ill. Ill. Ill^tum^ V V V^rum^

auspi-

auſpicatiſſimis nominibus, authoritatem aliquam huic libello meo acceſſuram ſcirem. Siquidem Ill. Ill. Ill^{tes} V.V. V^{ra} per generoſiſſimas ac propè divinas ſuas indoles, non tantùm apud inclytam Tranſylvanam & Hungaram nationem, aſt etiam apud exteras gentes maximam exiſtimationem conſecutæ ſunt. Tuæ enim, Illuſtris D.D. SIGISMUNDE RAKOCI, eruditionis ſpecimina præclariſſima jam aliquot publicis typis extant. Tu Illuſtris Comes D.D. FRANCISCE DE NADASD ante ſexennium adhuc in Comitiis Sopronienſibus patheticâ Oratione, quâ divo Imperatori Ferinando II. de auſpicatiſſimo adventu, præ aliis Hungariæ Magnatibus ſolenniter gratulatus es, tantam gratiam apud laudatam Cæſ. Regiæq; Majeſtatem tibi conciliâſti, ut eadem non tantùm Clementiam ſuam Regiam, ſed etiam amorem Paternum tibi obtulerit, teq; veſtigia heroica Dn. Avi tui patriæ

triæ propugnatoris acerrimi, Turcarum propulsatoris fortißimi sequi benignitèr fuerit hortata. Tu verò, Illustris D. D. GEORGI ILLYESHAZY, nervosißimis tuis discursibus, politißimis ac eruditißimis conversationibus famam sanè augustam apud multos magni nominis ac judicij viros, qui te hactenus accuratius fructuosiusq; auscultârunt, tibi comparâsti. Atq; ita singuli vestrûm optimos quosq; in tantam Vestri admirationem jam dudum pertraxistis, quò sibi de Ill. Ill. Ill^bus V. V. V.^ris multa, eaq; maxima polliceantur, foreq; confidant, ut brevi hæc alma Pannonia Vos Dominos Christianißimos Comites Excellentißimos, Heroes fortissimos, prudentißimosq; habitura sit. Ac si rem dilgentiùs mecum reputo, incertu sum majoremve laudem ac gloriam Illustrißimi Parentes Vestri mereantur, ve jam meriti sunt, qui vos præceptis, instītutisq; non solùm liberalium Artium ac di-

ſciplinarum, ſed religionis quoq; Evangelicæ abundare voluerunt: ideóq; Ill. Ill. Ill^tes V.V.V.^ras doctiſsimis piisſimisq; Ephoris erudiendas tradiderunt; an Ill. Ill^tes V.V.V.^ræ, quæ ſe erudiri paſſæ ſunt. Reperiuntur enim multi principes ac Comites, qui tàm Religionem, quàm diſciplinas honeſtas ad ſe ſuosq; non multùm pertinere arbitrentur: proindeq́;, non ſolùm ipſi arma, canes, equos, accipitres, aleas, ſimilesq; res ludicras tantùm tractant, ſed etiam ſuos liberos à teneris unguiculis iisdem aſſuefaciunt. Longè alia mens eſt, & fuit Illuſtriſsimis Parentibus Veſtris, qui hac in re, ſicut in multis aliis, Regi Regum obtemperârunt, qui præcepit, ut Reges, Principes ac Domini populi ſui, eorumq; liberi, Legis ſuæ librum ſemper penes ſe habeant, & in ejus lectione quotidiè exerceantur. Egregiè quoq; imitantur, & imitati ſunt Ethnicorum ſapientiſsimos ac potentiſsimos Reges ac Principes, qui ple-

plerunq; filiis suis præceptores dederunt Philosophos, sibi ipsis quoq; frequenter eos accersiverunt, quos eruditione & longo rerum usu præ aliis excellere videbant. Sic Anaxagoram Pericli, Dioni Platonem, Italiæ Principibus Pythagoram, Athenodorum Augusto Cæsari familiarissimos fuisse legimus. Et Philippus Macedo Alexandrum filium ab Aristotele, Philosophorum Coryphæo & Principe, institui voluit. Scipio Africanus autem præceptorem habuit Panætium: cujus hodiè etiam celebratur Senten[illegible]sta, quam principes Viri perpetuò meditari debent. Vitam hominum ex improviso aßidua & propè quotidiana pericula ferre, a[illegible] quæ cavenda, animo semper intento es[se] oporteat, ut sunt athletæ: sicut enim il[li] in certamine caput manibus oppositis, qua[si] vallo, muniunt: ita animus sapientis ad[-] versus petulantias injuriarum, ictus fortunæ, debet esse erectus, arduus, septu[s]

ne qu

ne quâ in re, incursio repentina imparatis & non protectis nobis oboriatur. Requirit his verbis Scipio ad cavenda, aut fortiter ferenda pericula sapientis animum: Vera autem sapientia ex verbo DEI, ac bonarum disciplinarum fontibus hauritur & acquiritur. Proinde Plato etiam rectissimè monuit, apud Principes cumprimis philosophandum esse, ut illorum animi informentur ac curentur, quos aliquando pro multis solicitos esse, multis itẽ sapere, & multis jus dicere oporteat. Non minorem verò laudem, Ill. Ill. Ill^tes V. V. V^ra merentur, quòd sese ab incunabulis institutioni liberali patienter subijcere haud renuerint. Quippe sunt non pauci Principum ac Magnatum filij, qui institutionem paulùm severiorem nullam omninò admittant, vel si paululùm stimuli illis addantur, calcitrent. Felicem igitur, quin terq; quaterq; beatam Panno- niam, quæ aliquando tales habebit Dynastas ac Dominos!

Quæ, cùm ita sint, mihi dubium non est, quin hæ lucubrationes meæ gratiores, & à malevolorum voculis & morsibus tutiores futuræ sint.

Tertia hujus Dedicationis causa est, materia istius libri nobilissima; Nam studium Geographicum Historico conjunctum, hominibus in potestate ac sublimitate constitutis, apprimè dignũ, & maximè, (ut præfatus sum) necessariũ est. Siq; ullum, aliud hominum genus, ex illo demetere fructum poterit, Magnates profectò poterunt: siquidem Dominum aliquem suas tantùm terras nosse, non sufficit; sed & exteras regiones (suæ ditioni potissimùm finitimas) ut optimè habeat cognitas, valdè expedit.

Tandem ad perlustrandas exoticas terras, Ill. Ill. Ill^res^ V. V. V^ras,^ sub hisce juvenilibus annis, peregrinationi suscipiendæ accommodatissimis, humiliter invitare ac excitare volui. Peregrinatio enim

enim facit, ut Magnas se ad amussim scenæ conversationis applicare noverit, dùm decorem & concinnitatem in totius corporis, & singulorum membrorum situ motuq́, in variis aulis extra Patriam viderit. Exinde statum, incessum, sessionem, accubitum, vultum, oculos, manus, omnes deniq́ motiones decoras Principum ac Magnatum exoticorum, ita imitabitur, quà animum virtute præditum judicent adstantes. Namq́ haud postrema est morum elegantia, si quisspiam, præsertim primas aulicus, sciat quenq́, ut meretur, revereri, & competenti titulo cuiq́ honorem exhibére, atq́ in omnibus talem se præbere, ne magis in caulâ, quàm in aulâ videatur educatus. Hæ enim ceremoniæ non ex libris, sed potiùs à variorum consvetudine locorum atq́ usu dependent. Præterea, Magnates peregrinationibus lingvarum exoticarum cognitionem sibi comparare necesse habent: iis enim si de-

stituti fuerint, potentiorum Principum favore ac conversatione privantur, atq; à legationibus primarijs excluduntur; nec ipsimet cum Legatis exteris, ad se missis, coràm de rebus arduis atq; arcanis conferre valent. Nemo insuper suis subditis cum fructu prodesse poterit, qui non exterarum gentium consvetudines, regnorum conditiones ac statuta varia, ipse foris viderit, non ipse didicerit, non ipse Germaniam, Belgium, Helvetiam, Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam oculis pedibusq; benè diu usurpaverit; qui non ipse, quicquid memorabile in remotis oris, quicquid visu ubivis locorum dignum est, perlustraverit.

Sed arbitror sat prægnantes causas me in medium protulisse, ob quas libellum hunc Ill. Ill. Ill^bus V. V. V^ris dedicare ausus fuerim: superest, ut à Vobis Illustribu Dominis unum hoc petam; quâ debeo reverentiâ & submissione, ut hoc meum

munusculum (mole parvum, at usu magnum) benignis æquisq́; suscipiatis oculis, & laborum meorũ eam habeatis rationẽ, quam Vobis singulis, generosissima indoles, avita virtus, D.D. Parentum exemplum, spes meæ gratitudinis non deceptura, dictabunt, & quam sancta posteritas æternis laudibus celebratura est, quod studia literarum ornare & promovere, quâ decet liberalitate, conati estis.

Summum Cœli terræq́; Monarcham, à quo solo omne bonum proficiscitur, obtestor supplex, ut Ill. Ill. Ill^tes V. V. V^ras, unà cum Cels. Illustrissimisq́; D.D. Parentibus, ac totis heroicis familijs servet, & forti suâ dexterâ tueatur: arma quævis hostilia, atq; omnia incommoda, à Palatijs vestris averruncet, præsertim hoc ulcerosissimo tempore, quo cuncta ruinam minari videntur. Sed quid? Videntur tantùm? Imò præsentissimum exitium minantur, nî magnus noster Navarcha na-

viculam suam in procelloso hoc mari conservet. Valete sospiter ac prospiter. Dabam Cæsareopoli, in Comitatu Sepusiensi, superioris Hungariæ, ad radices Carpathi, in epibda Pentecostes, tricesimo nono sextæ Hecatontados, supra millesimum, anno Christiano.

Ill. Ill. Ill^tum^ V. V. V^rum^

Cliens addictissimus,

David Frölichius,
Mathematicus.

Ad amicum Lectorem

Præloquium.

CAusas præcipuas editæ hujus Geographiæ in præcedenti Epistola Nuncupatoria exposui. Restat, ut in cæteris me purgem. Quantum temporis, valetudinis, virium, sumtuum labor iste meus hauserit, verecundia dicere prohibet. Sed plurima, quæ hîc sunt, *inquies*, aliorum sunt? Imò, plurima quæ sunt, mea sunt, experientiâ & sudore parta. In cæteris verò ligna mihi Geographorum suppeditârunt phalanges, ego parietes duxi. Et, ut in ampla sylva boni venatoris est feras quàm plurimas capere, nec cuiq; culpæ fuit non omnes cœpisse: ita mihi satis abundèq; est, tàm diffusæ & per voluminosos ab aliis Geographis libros dissipatæ materiæ maximam partem, valdè exiguo hoc coarctâsse libello. Quo in contrahendo Herculeum laborem exantlâsse mihi videor. Sumtibus pauperculorum Studiosorum peperci, brevitati consului, & Peregrinantium curiositati ac sagacitati multa commisi. Atq; ita visu digni-

ora non

ora non ſemper ſpecialiſſimè, ſed quandoq; generaliter tantùm innui, ut ſcilicet illi, qui loca peregrina ipſimet adiverunt, & raritates varias ſingillatim oculis ſuis uſurpârunt, manibusq; contrectârunt, aliquid meritò habeant, quo in ſinum gaudere queant, præ aliis *Epitomen* hanc *Geographicam* intra parietes privatos legentibus. Sunt enim quidam naſutuli aretalogi, domi, inſtar claudi ſutoris, perpetim deliteſcentes, & peregrinationes contemnentes, Geographos tamen volventes, quos Germani Die Buchgelehrten appellant, adeò procaces & pertinaces, ut è ſola lectione librorum tantùm ſibi ſapere, quantùm alii αὐτοψία, videantur. Regiones inſuper univerſi Orbis ſingulas, easq; vel aditu difficilimas vel remotiſſimas, unà cum pagis, arcibus oppidisq; (vel rebus memorabilibus & viſu dignis deſtitutis, vel aliàs obſcurioribus) ſigillatim deſcribere, longi fuiſſet operis; quùm ſingula ferè librum mereantur. Et ſic omnibus modis brevitati conſului, & ſimul obſcuritatem, criſin atq; verboſam periſſologiam evitavi. Philoſophus enim rem mavult quàm verba loqui; nec Geographia

graphia eloquentiæ eſt capax, *ut Pomponius Mela inſit*. Qui plura deſiderat, præfata volumina *Braunii, Mercatoris, Ortelii &c.* legat. Nihilotamen minùs ex hac *medullâ Geographicâ* Viatores haud contemnendum, percepturi ſunt ſubſidium rariora in quibusvis locis indagandi, eaq́; in memoriæ ac judicii illorum loculos redigendi; ſiquidem diſcuſſis obviantibus itinerum faſtidiis ampliore cum fructu, melioreq́; ſucceſſu & facultate longè opportuniore, deſtinata & dudùm cupita perluſtrabunt. Quippe, quæ diverſi authores annotârunt, ea paucis concinnavi paginis, & quæ ego ipſe quoq́; in meis peregrinationibus libenter cognoviſſem, & nunc ſcitu utilia eſſe deprehendi, uno quaſi intuitu, inter itineris moleſtias, cuivis ſub caſulæ tecto vel navigii velo, aut carpenti tentorio Ulyſſeæ πολυτροπίας Studioſo peregrinanti communico. Cæterùm, rigidior fortè cenſor mihi exprobrabit me vetuſtiſſima quæq́; pertractare? Verùm ſi inſtitutum meum diligentiùs introſpexerit, me non tàm vetera, quàm plurima nova exhibere cognoſcet. Probè enim perſpectum habeo inſignes variationes & viciſſi-

viciſſitudines in terræ partibus continuè evenire, propter bellorum incurſiones; aquarum inundationes; maris præruptiones ac receſſus: imperiorum, regnorum & dominiorum inſtabilitates. Et non ſolùm regiones, urbes, oppida, flumina & alia hujuſmodi ſua nomina pro tempore mutant, amiſſis prorſus prioribus; verùm etiam & fines ipſarum regionum quandoq́; variantur, & urbes oppidaq́; vetuſtate delentur, Bellonæ calamitate evertuntur, (vetus hujus rei teſtis eſt Hungaria, recens autem, Germania) terræmotu concutiuntur, vel funditus intereunt & abſorbentur, (uti Anno Ch. 1627, & 38, Italicæ urbes quàm plurimæ hoc malo diſperiêre) aliæ de novo conduntur, & mare uno in loco continentem terræ dilatat, in alio coarctat, nec non flumina identidem augeſcunt, quandoque minu[illegible]ur, non rarò curſus variant, ſubinde etiam prorſus deficiunt. Sic quoq́; fontes, ſtagna, lacus, paludes alibi exſiccantur, alibi verò procreantur, ut nihil certè humanâ conditione labilius judicari poſſit: & hinc in Geographia compendiosa, non tàm priſcus, quàm præſens cujuſvis loci ſtatus deſcribendus eſt.

Porrò

Porrò, si à quodam, de aliquo forsan errore placidè admonitus fuero, tantùm abest, ut illi succensére, ut potiùs grates habere malim: quandoquidem arduum, aut dicam ἀδύνατον est, in tot singularibus nihil hallucinari, ut exempla veterum & recentium authorum vel classicorum probant. Diem sanè dies docet: &

Nunquam itaquispiam benè subductâ ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putâris prima, in experiundo repudies.

Proinde animus mihi est candidè, amicè, & liberè judicantes, monentes, corrigentes ex mutuo compromisso placidè audire, admonitiones sanas promtè admittere, corrigenda spontè, in proxima Noribergica recusione, corrigere, expungenda expungere, inserenda inserere, mutanda mutare. Tu interim, candide Lector, favore & amore tuo hunc meum laborem excipias, boni æquiq; consulas, domi forisq; volvas atq; revolvas, donec meliores & auctiores, cum Deo & tempore, prodeant,

Have.



Ad

Præclaræ Eruditionis & Scientiæ Virum,

Dn. DAVIDEM FRöLICHIUM Mathematicum & Philologum excultiss. libri hujus Geographici Autorem;

nec non, ad

Prudentem, Experientiâq; singulari conspicuum

Dn. BARTHOLOMÆUM BERTRAMUM, Chymicum & Senatorem Civitatis Carpathicæ Kayßmarck honoratum, illius ê Typographêo Liberatorem.

Epigrammata Amicorum.

FRöLICHI, Clariæ decus Cohortis!
Sic (ô auspicijs bonis!) Libelli,
Exculti satis & boni Libelli,
GEO-qui GRAPHIÆ venit polito
In lucem titulo, nec impolitè,
Stas promtus dare copiam legendi?
Illos delitijs quibus beabis,
Illos Officijs quibus juvabis,
Qui terras adeunt remotiores,
Ac Artes adamant celebriores,
Ad metas veniant profundiores
Omnis quò generis Scientiarum!

Hunc

Hunc fœtum ingenij tui, secundo
A Partu, edidit artium Ministra
Ac impigra Manus; dedit renatum,
Ornatu lepido, Officina KLÖSSI,
Nobis ænea signa per Typorum.
O carum Caput! è virente Cedro
Quàm pulcram Tibi destinat Corollam,
Quàm pulcris Tibi fasciјs inumbrat
Frontem & Tempora, Triga Gratiarum!
Quàm juxta celebres Choros Virorum
Doctorum, tua, per novos subinde,
Famæ nomina prominent, Honores!
O fidi facies serena Amici,
Ut quondam, Mihi sic amanda semper!
O Te, Nosq; simul, benignè ocellis
Spectet propitijs JEHOVA! *Tecum*
Possimus, simili superbientes
Incessu, reliquos tuos Libellos,
Quos prælo NORIBERGA *jàm fatigat,*
Haud sævi truculentiâ impeditos
Gradivi, reduces bonis videre,
DAVID *auspicijs, bonos Libellos!*
FRÖLICHI *Clariæ decus Cohortis!*

Scrib. cùm voto & applausu
JOHANNES SERPILIUS *Secundus,*
Ecclesiar. Caismarcen. Pastor & Insp.

DEgeneres animos Auri quæ Cura fatiget,
PLAVTI revelat EUCLIO, Plaut. in Aulular.
Eximiam cusi qui vim tacitè abdidit æris
Foci sui sub areâ,
Ac illam studio tanto custodÿt, ægrè
Efferret ut domo pedem.
Deditus omnimodè, quem tàm reverenter habe-
Uni litare Mammonæ. (bat,
Relligio hoc ecquanta fuit modò tangere Numen!
Ne dum quid inde tollere!
Ille quidem dudum jam desiit EUCLIO! Fratres
Non desiêre cæteri,
Mens quibus est similis, similis quoq; cura tenendi
Tenaciter pecunias:
Quas mâlunt tenebris, quàm Luci, dedere: quip-
Habentur ipsi, non habent. (pe
Promitur inde aliquid? fit parcè & fœnoris ergò
Licet sine haud infamia. (tur
Sanior est, BERTRAME, tibi Mens! inde ferun-
Usus tuæ in bonos Opes.
Res hoc ipsa docet: dùm subÿcis, ære locato,
Typis, ut extet publicè,
Edit FrölichI, quem sedula Cura Davidis,
Soli notati, Codicem.
O Operi collata bono, (sic dicere fas est)
Istius æris Summula!

Poner

Ponere mitte alios in plurima fœnora Numos,
Caduca sunt & turpia. *(Oris*
Tu meliora feres! Nam Laus quibus incluta in-
GENERI tui Clarissimi,
Isthoc diffundet Famæ præconia Libro,
Illic Tui quoq; Nominis
Fama perennabit, multo præstantior Auro:
Nonnè hoc erit sat Fœnoris?
Idem q. s.

(di,
QVI perlustravit magni loca pervia Mun-
Næ meruit magni nomen habere Viri:
Majoris, qui inibi gnorismata visa notavit:
At qui promulgat maximus ille cluit.
Talem se præstat Phœbéus Codicis hujus
Autor, Ulyssæo parta labore ferens.
Ante quadraginta ô mihi si liber iste fuisset
Annos, tendissem per loca plura viæ.
Si longinqua nequit migrare ad mœnia corpus,
Attentum huc animum fert procul iste LIBER.

Autoris Affinis
D. SAMUEL SPIELENBERGER,
Reipub. Leutschovien. Physicus Ordinarius.

Quàm

QVàm SOCERI & GENERI felix conjunctio!
Nempe
BERTRAMIq́; Mei FRÖLICHIIq́; Mei.

Munere ſint licet Hi ſejuncti diſpare: nexu
Junguntur ſtudij proximiore tamen.
Tu loca, Frölichi, cyclicæ ſcis pervia terræ,
Climata te docuit dexter Apollo ſua.
Flammea quos habeant, tu calles, ſydera motus:
Tu, quid in orbe facit quisq́; Planeta, tenes.
In te, quos ſubij quondam, perijſſe labores
Non Scholicos, multùm gratulor inde Mihi,
Ac velut inſignem videor geſtare Coronam,
Refficiunt Senium ſic tua Scripta meum.
Delitijs quibus afficiar, volvendo libellum,
Juris nunc publici qui benè tendit itèr!
In quo ſextuplici partiris limite mundum,
Mundũ quem Nereus lambit & ambit aquis;
Enumeras partes breviter, de more Lacónis,
Et facili methodo cognita quæq́; doces.

TU fermè ſimiles tractas, Bertrame, *labore*
Rebus dùm Chymicis arte operâq́; vacas:
Proximus ut cœli Gener eſt tuus ille Planetis,
Sic tu Terrenis proximus eſſe ſtudes.
Moroſum furni Saturnum carcere claudis,
Mercuriumq́; tibi cogis in obſequium,
Ex Lunâ tenues tu prolicis igne vapores,
Sol tibi, cum reliquis, commoda grata, refer

Script

Scripta tui Generi, publicâ quò luce beentur,
Hinc prompâ numeras, æra cupita, manu.
Ergò, dùm liber hic ſtudio fervente legetur,
Et Soceri & Generi laude vigebit honor.
Præmia vivacis Vobis dabit inclyta Famæ
Gloria, poſt obitum juſta brabéa, DEUS.

Applaudebat Amicis ſuis
M. DAVID PRAETORIUS Scholæ
Patriæ Rector ab anno 1608. ætat. ſuæ 62.

ἐτεολογικόν.
OrbIs qVI patVLI DeſCrIbIs CLaVstra IVVentæ,
In CeLso ſCrIbat te DeVs, opto, LIbro!

)d(TABEL-

TABELLA DELINEANS IN PERE-
grinationibus potissimùm observanda.

I. Deus inprimis invocandus; quo nullus potest itineris esse comes expeditior & securior: atq; piæ huic devotioni, inter alia vota, precesq; plurimùm inservient Psal. 91. 126. 127 & 139.

II. Regio, in qua consideranda nomina
- Vetera.
- Recentia.
- Sæpè mutata.

III. Nomen urbis, & ratio nominis, si extet; item conditor, amplificator, aut instaurator alicujus loci.

IV. Conditio hominum
- Superiorum.
- Inferiorum.

V.
- 1. Flumina, eaq; aut
  - Allabentia.
  - Propè distantia.
  - Deducta.
- 2. Mare alluens; aut portus,
- 3. Montes.
- 4. Sylvæ, nemora, vel si quid aliud insigne.

VI. Opera, & hæc vel
- Publica,
  - Sacra
    - Monasteria.
    - Templa.
  - Profana.
    - Palatia, Arces.
    - Fora.
    - Armamentaria.
    - Propugnacula.
    - Turres &
    - Ratio munitionis.
- Privata, ut quæ in civiũ ædibus sunt insignia; veluti
  - Horti.
  - Picturæ.
  - Fontes.
  - Statuæ.

VII. Ratio gubernationis ad quã pertinent.
- 1. Curia, in qua Senatores, & familiæ civium honestiores.
- 2. Scholæ, ut ratio educandi & instituendi pueros: item viri docti & Bibliothecæ.
- 3. Vulgi mores, quò pertinet ratio victûs & vestitûs: item opificia.

INSTRU

INSTRUCTIO PRO STUDIOSA JUventute.

Qui cupis, ô Juvenis! peregrinas visere terras,
Talibus auspiciis hæc Cynosura manet:
Moribus ut redeas patrias benè cultus ad oras,
Historiæq; geras Orbis & Urbis opes.
Non dabit id cuiquam regionum cultus amœnus,
Non referent turres nec maris unda feri.
Cernis aves primo trans æquora frigore ferri,
Vere redire tamen non nisi cernis aves.
Sic tibi nil prodest alienas cernere Terras,
Si redis ad proprios talis ut antè Lares.
Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt,
Dirigat illorum nî quis Amicus iter.
Ignoti populi, loca sunt ignota, viæq;,
Ergò iter hocce tuum quid? Labyrinthus erit!
Dædalus ignotis Labyrinthi clausit in antris
Semivirumq; bovem Semibovemq; Virum.
Hoc monstrum errantes crudeli devorat ore,
Incauti latebras si mediumq; petunt.
Sic vagabundorum capit Ignorantia mentem,
Hoc iter inceptum nî ratione regant.
Ut remees igitur Labyrinthi lætus ab antro,

Primò

Primò Ariadneæ suscipe fila manus.
Sic tua cœca regens tenui vestigia filo,
Intrepido monstri pectore Victor eris.
Inde redux verum poteris contingere limen,
Et referes cinctas fronde virente comas.
Ast Ariadnæum si vis cognoscere filum,
Et cupis è latebris ritè redire vagis:
En tibi codex hic comitem se præbet eunti
Qui methodo facili cuncta videnda docet.
Hoc duce non poteris deflectere tramite recto,
Hoc duce te reducem Terra aliena dabit.
Effugies rigidi metuenda pericula monstri,
Non metues varias cœca per antra vias.
Nam hoc nota facit, tibi quæ lustranda per Orbē,
Adjungitq; illis, cuncta videnda, locis.
Ergò iter incipias duce tali fila secutus :
Doctior & melior, digna brabæa feres.
Vade, precor, sospes, felicibus utere fatis,
Sit Christus longæ, duxq;, comesq;, viæ.
Vive, vale, flore, Musis, Patriæq;, Deoq;,
Ritè, diu, rectâ, corpore, mente, fide.

PEREGRINANDI REGULÆ.

A Patriis quicunq; procul discedere terris,
Et varias mundi, vis peràgrare, plagas:
Non nimium propera, cauto sed singula corde,
Et quid agas, sapiens, quod facis ante, vide.

Inprimi

Inprimis varios casus & mille pericla,
Et propone animo, multa ferenda, tuo.
Æstus sæpè tibi, tibi frigora sæpè nocebunt,
Jàm nix dura tibi, jàm gravis imber erit.
Non etiam lautâ semper tractabere mensâ,
Molliculus semper nec tibi lectus erit.
Stramine vel scamno, vel humi persæpè cubabis,
Sæpè tibi sitis est, sæpè ferenda fames.
Et licet his careas, animo tamen omnia volvens
Non ita tranquillo pectore semper eris.
Nox metuet fures, sævos lux orta latrones,
Hoste tibi duro, durior hospes erit.
Hos quicunq; nequis similes & ferre labores,
Aut tibi si risus, delitiæq; placent,
Te juvet in medias somno turgescere luces,
Semper & ad patrii tecta sedere foci.
Ingrediantur iter fortes, aptiq; labori,
Abstineant molles, desideantq; domi.
Hâc si parte vales, tibi quæ meditanda deinceps?
Cæteraq; ut rectè sint peragenda rogas?
Si cum laude cupis cœptos finire labores,
Ante peregrinis disce notanda locis:
Ne similis dicare grui, trans æquora vectæ,
Quæ fugit insipiens, insipiensq; redit.
Neu tantùm lapides videas, ædesq; superbas,
Hæc etiam stolidum cernere vulgus amat:
Sed mores animosq; hominum, positusq; locorum,
Priscaq; factorum signa, notasq; vide:
Egregiosq; viros tibi conciliare labora,
Qui tibi quàm lapides, commoda plura, ferent.
Hinc usus rerum vera & prudentia crescit,
Hinc placidi mores, ingeniumq; venit.
Hæc tibi cum cauto sint præmeditata labore,
Ut tibi sit nummis plena crumena, vide.
Deficit ignotis cui certa pecunia terris,
Non facilè is cœptum continuabit iter.
Non tamen hanc semper te circumferre jubebo,

His tibi

Hic tibi chirographi tutior usus erit.
Et Mercatores illâ te parte juvabunt,
In variis quorum nomina nota locis.
Hâc quoq; prospectum fuerit cum parte, tabellas,
Fac habeas, orbis quæ loca picta notent.
Ista viatoris dux est oculusque: sine illa
Cœcus in ignota progredietur humo.
Hinc etiam comitemq; viæ sociumq; laborum
Elige: sæpè uni non benè cessit iter.
Sit tamen is talis, certò cui fidere possis,
Cujus tu mores noveris, ille tuos.
Conditione pari tecum, qui vivere possit,
Atque eadem quæ tu qui studiosius amet.
Hunc ubi nactus eris patriasque reliqueris urbes,
Impiger æterno, cætera crede, DEO.
Inprimis lux orta nigras cùm vicerit umbras,
Commenda Domino, tuque viasque tuas,
Ut tibi sit custos cunctis sacer Angelus horis,
Castraque te circum non violanda locet.
Utilis & quoniam cuique est aurora labori,
Cur nequeat longis utilis esse viis?
Ergo tuas cum Sole vias primâ incipe luce:
Et cane sidereo, carmina grata, DEO.
Ut priùs, ad summum quàm Sol pervenerit axem,
Maxima sit captæ, pars superata, viæ.
Ne tibi sit noctu proficisci insana cupido,
Lucis opus labor est, noctis amica quies.
Ante igitur quam Phœbus equis juga fumida solvat,
Hospitii certas, ingrediare, domos.
Sæpè aliquis noctis miserè tractatus in umbris
Non potuit nitidum, manè videre, diem.
Hospitium ingrediens calidus motu atque labore,
Ut libet, haud subitò, pocula plena, pete.
Ne fervente mero, ferventi in corpore febres
Accendas, paulùm est hæc remoranda sitis.
Gallorum inprimis, Italas vel iturus ad urbes,
Sobrius & cauto, noveris ire, gradu.

Fortia vina nocent, Bacchum tibi lympha cadente
Mitiget, & calidum diluat unda merum.
Cogeris Alpinas quòd si transmittere cautes,
Proderit hybernus ante venire nives:
Nam cùm sævit hyems magnis nix lapsa ruinis,
Perstrepit, & solitas obstruit alta vias.
Sæpè etiam rigidas ventis perflantibus Alpes,
Montibus è summis nix glomerata ruit,
Horrendo strepitu, & tàm vastæ turbine molis;
Ut procul è cœlo fulmina missa putes:
Tunc veluti de monte alius se præcipitet mons,
Nix ruit, & secum prævia cuncta rapit.
Si tamen officii aut sortis ratione necesse est,
Carpere tàm duræ conditionis iter:
Non nisi clara dies niteat, ventique silescant,
Nec nisi cum fido per juga scande duce.
Scande etiam tacitus: quando sonus impulit auras,
Hic tibi vox multùm parva nocere potest.
Pendentes sæpè illa procul de vertice rupes
Concitat avulsas, præcipitatque nives.
Quin volucris, moto quandoq; levissima ramo,
Exitio indigenis hospitibusque fuit.
Hæc tibi ventosas si sit labor ire per Alpes,
Diximus, ad reliquum jam redeamus iter.
Non cuivis etiam qui sis aperire necesse est
Quoque abeas, cœptæ quæ tibi causa viæ.
Crede parùm, non sperne alios, non decipe quenquam,
Ni sit opus verbis, cautus ubique tace:
Plurima damna creat patulo sibi garrulus ore,
Quæ poterat clausis præteriisse labris.
Non etiam rixas aut sævas incipe pugnas,
Si cupis ex illis vivus abire locis.
Ut regio, sic est animus ferventior illis:
Vindictam vitæ, præferat ille, suæ.
Cede igitur potiùs, cedendo ut vincere laus est:
Maxima sic illis est quoque rara locis.
Quæ poteris, lauda, contraria carpere noli,

Sic pla-

Sic placidus verbis, pectore cautus eris.
Cum doctis verſare libens, & plurima diſces,
Olim etiam canis grata futura tuis.
Hi tibi jura loci, mores, ritusque ſacrorum,
Hi poterunt patriæ, facta referre, ſuæ.
Illos dùm reliqui ſtrepitu & clamore laceſſunt,
Inque Scholæ cathedris ſæpè ſilere jubent.
Tu velut ex animo, caros venerare parentes,
Eloquio quorum diſcere multa potes.
Cautus in hoſpitiis inprimis eſſe memento,
Hîc quoque ſub blando melle venena latent.
Hîc genus Aurolici regnat, bonus exulat omnis,
Tu ſerva loculos hîc & ubique tuos.
Nec nummos numerato aliis ſpectantibus, unum hoc
Heu mihi quàm multis exitiale fuit!
Pluribus informat mea, te, Cynoſura, viantis,
Sedulò quam volves cùm gradieris iter.
Me ſatis hæc brevibus pingvi monuiſſe Minerva,
Fortunæ & curæ, cætera linquo, tuæ.



PROLE



PROLEGOMENA,

Continentia

Definitiones, Divisiones atq; Interpretationes Terminorum Geographicorum communium.

C*Um omnis, quæ à ratione suscipitur, de aliqua re Institutio, debeat à Definitione proficisci,* ut lepidè ait Cicero Officiorum lib. I. *Videbimur non abs re Definitiones nonnullas communiores eorum, quorum sæpè mentionem facturi sumus (rem in pauca conferentes) præmittere, ut intelligatur id, de quo narramus. Principio itaq; ipsa Geographia nobis definienda est.*

GEOGRAPHIA *est scientia Mathematica, Orbis terrarum regiones & loca considerans.*

Partes *Geographiæ sunt vel* Naturales, *vel* Artificiales: *utræq;* Visibiles, *& vel ad* Terram, *vel* Aquam *spectantes.*

I. Naturales *ad terram relatæ sunt:*

1. Continens, *quæ est terra, (regio vel provincia) absq; marina navigatione commeatũ pa-*

tiens in quascunq; mundi plagas. *Dicitur etiam* Terra Firma, Regio mediterranea. *Græcis* ἤπειρος, *Germanis* ein Vest Land/ Stet Erdreich/ ein Truckenes vnd in allen Orten zuesammen hangendes Land/ da kein Meer durchflüsset: *Hungaris* Föld száraz, Terföld, Nem Sziget, *uti est* Franconia *Germaniæ*; Sepusiū *Hungariæ*; Biturigum *Galliæ*.

2. Insula, *est portio terræ prominens ex mari vel flumine, circumfluis aquis undiq; cincta. In Mappis sive Tabulis Geographicis per unicam plerunq; literam I majusculam notatur.* *Germanis* eine Jnsel/ Eyland/ Vmbfluß/ Werder/ Schutt/ *Hungaris* Sziget, Vizzel környül vött Tartomány, kiváltképpen à Tengeren. *Danis & Svecis* Holm/ *Italis* Isola, *Hispanis* Isla: *uti* Britannia, Sicilia, *quæ duæ primariæ Insulæ sunt Europæ.*

3. Peninsula *est terræ pars, quam non undiq; aqua circumfluit, sed aliquo jugo, seu brachio continenti annectitur & cohæret.* *Dicitur aliàs secundùm Græcos,* Chersonesus, *Germanis* ein halbe Jnsel/ ein Land welches alß eine Jnsel fast an allen seiten vmbflossen/ ohne daß man nur an einen Ort darein zu Fuß kommen kan *Hungaris* Fél-Sziget. *Chersonesi celebriores*

sunt

sunt: 1 Peloponnesus *Græciæ*, *hodie* Morea *dicta*. 2 Thracia, *hodie* Brachium S. Georgii. 3 Chersonesus Cymbrica, *sive* Dania. 4 Taurica Chersonesus *in Tartaria*. 5 Chersonesus Aurea, *quæ est in India supra Gangem, hodie* Malacca *dicta*.

4. Isthmus *est illud terræ angustum spaciũ, quo Peninsula cum continente cohæret: Ubicunq; ergò Peninsula est, ibi & Isthmum esse oportet. Germanis* ein Erdband/ ein Enges Land/ welches zwischen zweyen Meeren in die länge durchstreicht/ vnd hindert/ daß man auß einem Meer in das andere zue Schieff nicht kommen kan. *Hungaris* az földnek szorulattya az két Tenger között. *Celeberrimus Isthmorum est* Corinthiacus, *qui Peloponnesum cum Achaia conjungit, & contra Mare Italicum ab Asiatico sejungit.*

5. Promontoriũ *est majoris alicujus montis pars, quæ in mare excurrit, & è longinquo conspicua est. Germ:* Ein Vorgebürg/ eine Spitze/ ein Stück eines grossen Gebürges/ das in die See hinein streichet/ vnnd von den Schiefleüten von ferne kan gesehen werden. *Hung:* Tengerre fekvő magas hegy. *In mappis Geogr. usitatius appellatur* Cap, Cape, Ca-

bo, Capo *vel* Caput, *& literâ C innuitur, ut:* Caput bonæ spei, *vulgarius* Capo de Esperanza *in Africa;* C. Finis terræ *in Hispania.*

6. Mons *est tumor terræ altus, qui ex congestâ mole terræ vel lapidum in altitudinem à reliqua terra assurgit.* Ein hohes vnd großes Gebürge/ *ut:* Carpathus *in Ungaria;* Caucasus *in Asia;* Atlas *in Africa.*

7. Collis *est minor mons, vel exigua terræ eminentia.* Ein niedriger Berg oder Hügel. *Hung:* Halom, Domb.

8. Vallis *est terræ profunditas, in planitiem aliquantũ extensa inter montes duos vel tres.* Ein Thal. *Hung:* Vȍlgy.

9. Convallis *est terra quædam profunda montibus collibusve undiq; conclusa.* Ein tieffer vnd runder Thal oder ebener Platz mit Bergen vmbzogen. *Hung:* Vélgy.

10. Campus *est magnum & amplum terræ spacium à montibus longius excurrens, continensq; agros & prata.* Ein Flaches Feld.

11. Sylva *est pars terræ arboribus cæduis & sponte nascentibus referta.* Ein Wald/ Holtz/ oder Heyde.

12. Lucus *est locus terræ arboribus sacris & non cæduis consitus.* Ein Verbottener Waldt. *Hung:* Szentelt Berek. *Nemus*

13. Nemus *est locus terræ, in quo arbores voluptati & amœnitati servantur.* Ein Lust-Waldt. *Hung:* Berék, Liget.

14. Saltus *est locus incultus, arboribus undiq; dispersis, & tamen pascendis pecoribus & feris continendis, nec non venationibus commodus.* Ein dücker Waldt. *Hung:* Szökés, Ugrás.

15. Arbustum, *sive* Frutetum *est sylvula resectarum arborum.* Ein Strauchwaldt. Ein Gesteüde. *Hung:* Erdös hely, Sürü fás-hely.

16. Virgultum, *est locus arbusculis & virgis consitus.* Ein Junger Waldt. *Hung:* Sürö veszszö.

17. Dumetum *ut &* Spinetum, *sunt loca dumis & spinis referta.* Ein Puschwerck. *Hüg:* Tövisses bokros hely.

18 Littus *est terræ pars, quæ aquis marinis tangitur & pulsatur: dicitur &* Ora maritima, MeerStrandt/ Seekant/ Seeküsten/ Gestade des Wassers/ das Boort/ Reyde.

19. Ripa, *est terminus fluminum, ex utraq; parte, secundum longitudinem protractus.* Ein Vfer des Flußes.

II. Partes *seu* termini Artificiales ad terram spectantes *sunt subsequentes:*

1. Regio, *quæ eſt terræ pars, Regi vel Principi ſubjecta.* Ein Landt.

2. Imperium, *terras continet multas, peculiares regiones, regna, provincias, uni alicui ſummo capiti ſubjectas, Monarchicumq́ exercet Dominium.* Ein Keyſerthumb.

3. Regnum, *regionibus continetur, Regiq́ paret. Germ:* Ein Königreich. *Hung:* Orſzág.

4. Provincia *eſt pars Regni, peculiarem habens adminiſtratorem.* Olim ſic dicta fuit, omnis regio à Romanis devicta & bello acquiſita, in quam Prætor cum officio mittebatur. *Germ:* Ein Landtſchafft. *Hung:* Tartomány, Vármegye.

5. Territorium *eſt complexus agrorum, intra cujusq́ civitatis fines.* *Dicitur &* Diœceſis, Ein Gebieth/ Hattert. *Hung:* Város vég-falu földe, Vidéke, Mezeje, Határa.

6. Ager *eſt pars aliqua territorij. Interdum tamen pro ipſo Urbis, Oppidi & Pagi territorio accipitur.* Ein BawLand/ Angräntzendes Ackerwerck. *Hung:* Mező, Szántóföld.

7. Civitas *propriè eſt collecta civium multitudo & ſocietas, moribus, legibus & inſtitutis gubernata.* Ein Bürgerſchafft. *Sumitur tamen vulgariter per Catachreſin pro oppido vel urbe*

urbe

urbe. Ein gemawerte oder gebawteStadt. *Hung:* Varos, Városi méltoság.

8. Urbs *est civitas major, mœnibus cincta, frequenter habitata, & ædificijs cùm privatis, tùm publicis splendidè atq; magnificè exornata*. Eine große Prächtige Stadt. *Hung:* Keritet Város. Urbs maritima *mari adjacet. Ger:* Eine SeeStadt. Urbs mediterranea *in cõtinente sita est.* Eine MittelländischeStad.

9. Oppidum *dicitur civitas quædam minor, muris cincta, vel non foro hebdomadario, & nundinis anniversarijs gaudens, vel in qua incolæ varia officia & mercimonia exercent*, eine gemeine LandtStadt. Olim tamen omnes civitates, præter Romam, quæ sola, per excellentiam, Urbs est appellata, denominatione *Oppidi* venerunt.

10. Emporium *est urbs mercatoria, ubi homines ex multis terræ partibus, negotiationis causa, confluunt. Germ:* Eine Gewerb-oder Handel-Stadt. *Hung:* Fók hely, Vásárló piacz, Sokadalmas hely.

11. Metropolis, *est Regni vel Provinciæ primaria civitas, cæterarumq; quasi caput*, eine Haupt-Stadt. *Hung:* Fö várola valamelly vidéknek.

12. Vicus *est multitudo junctarum domorum, sumiturq; tàm pro platea urbana, quàm pro* Pago, *in quo plures sunt rusticanæ domus conjunctæ, mœnibus non clausæ.* Eine große Strasse / oder ein Klein Dorff Städtlein / Eine Wicke. *Hung:* Falu.

13. Arx *sive* Castrum, *est ædificium munitum, contra hostem constructum, vel in urbe, vel extra urbem.* Ein Schloß / Burg / Vestung / Veste. *Hung:* Vár.

14. Castellum, *est vel oppidum, vel castrum parvum munitū.* Ein Castell / Schlößlein.

15. Aula *vel* Curia, *est sedes atq; habitatio Nobilis & equestris ordinis viri, aliquomodo munita, & ædificÿs editioribus splendidioribusq; exornata.* Ein Adel-Hoff / Adelicher od Ritter Sitz / Juncker Hoff. *Hung:* Udvar,

16. Villa, *propriè quidem designat agrum extra urbem, estq; idem quod* Prædium *vel* Allodium, *in quo altilia, frumentum & pabulum reservantur: Aliàs verò etiam usurpatur pro Pago.* Ein Mayer-Hoff / Mayerey / Mayerschafft / Vorwergk / Landgutt.

III. Par

III. Partes *seu* termini Naturales ad Aquam pertinentes *sunt hi* :

1. Oceanus, *qui mare dicitur, toti terrarum orbi circumfusum.* Das große oder hohe Meer/ die Wilde See/ die offenbare See.

2. Mare *est congregatio aquarum generalis, & Oceano seu mari magno vastoq́; Pelago conjungitur; unde non minus ac Oceanus diversa habet nomina, à diversis terræ partibus ipsi contiguis,* Das Saltz Meer/ *ut* Mare Balticum; Mare Arabicum.

3. Fretum *est mare arctum, sive inter duas terras angustus maris transitus. Alij etiam* Strictum *appellant. Germ:* Ein Engefarth/ Durchfarth/ Einfarth/ Fahrt/ Paß/ eine Enge des Meers/ ein enger Durchgang des Meers zwischen zweyen Ländern. *Hung:* Zugo Tenger, Szoros hely az tengeren. *In Mappis Danicis & Germanicis, vocatur* Der Sund/ Ore Sund/ Belt; *in Mappis Gallicis* Estroit; *in M. Italicis* Stretto; *in Hispan:* Estrecho. *Celebriora orbis Terrarum Freta sunt* : 1. Fretum Danicum *inter Seclandiā & Schoniam.* 2. Fretum Siculum *inter Italiam & Siciliam.* 3. Fretum Herculeum *sive* Gaditanum, *communius* Estrecho de Gribaltar *dictū,*

inter Hispaniam & Mauritaniam. 4. Fretum Magellanicum (*omnium periculosissimum*) *inter Chicam Americæ Merid: & Terram del Fuego.* 5 Fretū le Maire, *vulgò* Lameers, Strat, *inter Terram Mauritii Nassovici, & Stadelandiam: Per quæ duo novissima australioraq; Freta, à suis inventoribus ita dicta (illud scilicet à Magellano An. 1519, hoc à le Maire An. 1616. demum inventum) totus jam terrarum orbis circumnavigari solet, quod nulli hominum antea unquam constitit.*

4. Sinus *est littus curvum, ad sinûs similitudinem, quod quasi brachiis mare complectitur: sive; est excursus maris curvo littore interceptus: ut* Sinus Persicus, Arabicus, Codanus; *Græcis dicitur* κόλπος, *Latinis etiam Æstuarium, Brachium. Germ:* ein Meer Schloß oder Arm des Meers/ ein Busen/ Winckel/ ein Stuck des Meeres / welches sich weiter hienein in das Landt streckt. Ein abgetheilter Fluß. *Hung:* Kebel, öböl, Téred. *In Mappis Geogr: denominatur Golf, Golfo.*

5. Bosphorus *est maris angustia, dicta à bovis meabili transitu. Non multùm differt à* Freto: *ut* Bosphorus Thracius *ad Constantinopolim;* Bosphorus Cimmerius, *in introitu*

Mæotidis

Mæotidis Paludis, per quem in Pontum Euxinum defluit.

6. Ostium *dicitur locus, ubi fluvius in mare influit, vel se in majorem fluvium exonerat.* Ein Mund/ Außlauff/ Außfluß/ Außgang Einfluß/ Eingang eines kleinen Meeres od Flußes in das große Meer/ *ut* Ostium Vistulæ *fl. est ad Dantiscum;* Ostia sex Danubii *sunt in Bessarabia sive Valachia minore, ad Pontum Euxinum.*

7. Portus *est locus maritimus, quo naves appellunt, hyemant, merces important, aut exportant etiam.* Ein Port/ Bayhaffe/ Meerhaffe/ Schieffhaffe/ Schiefflände/ Anländung/ Anfurth. *Hung:* Révpart, Partrév. *ut:* Iccius Portûs, *vulgò* Caletum, *in confinibus Galliæ & Flandriæ. In mappis literâ majusculâ B ut plurimum innuitur.*

8. Flumen *vel* Fluvius *est aqua multa & perennis in unum alveum, ex multis rivulis & fontibus collecta.* Ein Fluß oder fliessend Wasser. *Hisp.* Rio, *ideò in Mappis Hispanicis per R. indigetatur.*

9. Amnis *est fluvius frondibus & nemoribus cinctus.* Ein lustiger Fluß. *Hung:* Folyás.

10. Rivus *est aquæ limpidioris ex montibus*

& syl-

& sylvis angustus & perennis decursus. Eine rauschende Bache.

11. Torrens *est fluentum æstate exsiccari solitum: tantum nivibus aut imbribus augetur.* Ein Regen Bach. *Hung:* Patak, Sebes, Zugo.

12. Confluens *est commissio & confluxus duorum vel plurium fluminum in unum.* Eine zusammen stossung der Flüsse. *Hung:* Két ösz-ve folyo viznek az árka, *ut* Arar *&* Rhodanus *fluvii Galliæ confluunt ad Lugdunum.*

13. Gurges *est profundior in flumine locus, quo aqua circumagitur.* Ein Tümpel. *Hung,* örvény, mél viz.

14. Vortex *est contorta in se aquæ fluentis collectio.* Ein Würbel/ Strudel. *Hung:* Forgo-szél, *ut in* Danubio *intra Linczium & Viennam.*

15. Syrtes *sunt importuosa & periculosa in mari loca,* Untieffe örter in Meer, *ut in mari* Libyco *ad Carthaginem & Cyrenaicam.*

16. Brevia *sunt vadosa loca maris, navigantibus insidiosa; quod ibi undæ breves sint, nec in altum assurgant.* Sandheüffe der Tieffe/ Sandbäncke/ Trübsand/ Gärten/ Meerblatten/ Truckene. *In Mappis nuncupantur* Baixos

xos: *ut* Baixos à S. Anna, *ad Gvineam Africæ;* Baixos dos Judia *inter Monomotapas Africæ & Insulam Laurentij.*

17. Vadum *est locus minus in aqua profundus, per quem pedibus vadere licet.* Ein Wasserfurth/ da man durchwaten mag. *Hung:* Sekély, Czekély.

18. Cataractes *est locus ubi flumen se ab excelsa rupe magno strepitu in convallem profundũ deijcit.* Ein geher vnd rauschender fall eines Flußes von hohen Felsen in einen Thal/ *ut* cataracta *Rheni ad Schafhusiam.*

19. Scopulus *est mons saxeus, seu rupes è mari eminens, navigantibus exitialis.* Fels / Skrofen/ Klippen im Meere.

20. Trajectus *est locus ubi navi vel ratibus traijcitur flumen*, Eine Fähre oder Vberfurth. *Hung:* Rév. Altal-vetö hely.

21. Alveus *est fossa, per quam labitur flumen.* Ein Wasser Canal oder Graben. *Hung:* Minden üresség, Lapa folyo viznek árokja, Váluja.

22. Lacus *est locus profundus aquis perpetuis ibidem notis repletus, ex quo rivi & flumina interdum promanant.* Eine See. *Hung:* Tóó.

23. Sta-

23. Stagnum, *lacui affine, obtinet temporalem & stantem, nec effluentem aquam, nec ex eo promanāt rivuli & fluvij.* Ein großer Pfuel/ stehendes Wasser. *Hung:* Tó viz-állás.

24. Palus *est aquæ promiscuæ collectio in loco uliginoso, quæ nonnunquam exsiccatur.* Ein Pfütze/ Moraß/ Sumpff. *Hung.* Mocsár.

25. Fons *est scaturigo aquarum; locus nempe, ubi aqua ex abditis terræ venis erumpit.* Ein Quell oder Springbrunn.

26. Acidulæ *sunt scaturigines aquarum acidarum, medicarum, quales plurimæ sunt in Sepusio Hungariæ.* Ein Sawerbrunn.

27. Thermæ *sunt balnea sua sponte ex terris scaturientia utplurimum calida & medicamentosa,* Warmbad/ *ut sunt ad* Waradinum, Budam, Stubnam *Hungariæ*, Hirschbergam *Silesiæ.*

IV. Termini Artificiales *ad* Aquam pertinentes *sunt:*

1. Cisterna, *quæ est aquarum pluvialium vel etiam scaturientium, nec non fluvialium collectio.* Ein WasserKasten / RöhrKasten/ oder Kasten darin man das Regenwasser auffengt. *Hung:* Csatorna.

2. Piscina *est fossa aquæ, fovendis pisci-*

bus opportuna. Ein Teůch. *Hung:* Halas-tó.

Cæteros terminos Artificiales ad Aquam ſpectantes, cum non magnum uſum in Geographicis habeant, & hominum arbitrio crebro mutentur, brevitatis ſtudio prætermittimus.

V. Explicatio Dimenſionum terreſtrium.

1. Longitudo *Globi terreſtris eſt diſtantia loci ab occaſu ad ortum. Longitudo autem hæc tàm cœli, quàm terræ per gradus Æquatoris menſuratur.*

2. Latitudo *eſt diſtantia loci à Meridie in Septentrionem, vel contra. Latitudo cœli & terræ menſuratur per partes Circuli Meridiani: hinc hæc Latitudo etiam ſumitur pro* Elevatione Poli, *quæ ſcilicet eſt diſtantia loci, ab Æquatore ſecundùm latitudinem.*

3. Digitus *eſt menſura habens 4 grana hordei.* Ein Zwerchfinger.

4. Uncia *eſt menſura longa digitum unũ cum parte ejus tertiâ.* Ein Zoll.

5. Palmus *habet 4 digitos.* Eine Handtbreit 4 Zwerchfinger. *Hung:* Négy-uyni.

6. Lichas *complectitur palmos duos & ſemiſſem.* Eine Fůrſpann. *Hung:* Elsö araſz.

7. Spithama *eſt menſura longa palmos*

tres

tres, seu uncias 9, aut digitos 12. Appellatur & Palmus major, *vel* Dodrans.

8. Pes *habet 4 palmos, seu uncias 12, vel digitos 16.* Ein Werck Schuch.

9. Palmipes *est 20 digitorum.*

10. Cubitus *est mensura constans sesquipede. Appellatur &* Ulna.

11. Gradus *est mensura longa duos pedes. In cœlo verò, sive in cœlesti circulo* Gradus *est tale spacium, cui in terra correspondent milliaria Germ. 15: Appellaturq;* Gradus *particula una cujusvis Circuli divisi in 360 partes: tot nempe partibus Circulus quilibet Astronomicus constat.* Gradus *ejusmodi subdividitur in 60 minuta prima, sive scrupulos:* Minutum *ergo, seu* Scrupulus *est 60 pars gradûs; uniq; Minuto in terra correspondet quadrans, seu quarta pars Milliari Germ. Ratione temporis,* Gradus, *sive 60 minuta pro una hora sumuntur; 45 minuta pro tribus horæ quadrantibus; 30 min. pro dimidia hora; 15 min. quadrantem horæ continent.*

12. Passus Simplex *habet pedes duos cum dimidio.* Gressus *etiam appellatur.*

13. Passus Geometricus *habet pedes 5.*

14. Orgyia *6 pedibus, sive 4 cubitis est extensa, in latitudine ambarum manuum.* Ein

Klaffte.

Klaffter. *Secundùm alios continet altitudinem hominis equo insidentis.*

15. Pertica *10 pedibus constat, unde* Decempeda *vulgò appellatur.* Eine Rutte.

16. Stadium *est mensura terræ habens pedes 625, seu passus simplices 125, vel 62½ passus Geom. estq; octava milliaris Ital: pars.*

17. Jugerum *est ruris modus, quem uno die bini boves exarare uno jugo possunt; habetq; pedes 240 in longitudine, 120 in latitudine. Germ:* Ein Juchard/ Ertach. *Hung:* Hóldfóld.

18. Dolichus *est spacium 12 stadiorum; sive est 1½ milliare Italicum.*

19. Milliare propriè dictum *est mensura terræ habens mille passus, unde & denominationem accepit, atq; adeò continet 8 stadia: Quale quidem Milliare ab Italis & Græcis observatur. Hinc &* Milliare Italicum *atq;* Græcum *appellatur. Apud* Germanos *verò pro* quadrante milliaris *censetur.*

20. Milliare Germanicum commune *habet milliaria Italica 4, sive stadia 32, hoc est, passus simplices 4000. Appellatur etiam* Leuca communis Germanica.

21. Milliare Germanicum grande, *quod*

& Svevicum *&* Helveticum *dicitur, constat 5000 passuum; sive est spacium duarum horarum equestris, vel* $2\frac{1}{2}$ *h. pedestris itineris. Continet milliaria Italica 5.*

22. Milliare Belgicum *est iter unius horæ.*

23. Milliaria Hungarica *duo constituunt 3 Germanica m. & unum* milliare Transylvanicum, *ut &* Norvegicum *æquiparandum duobus milliaribus Germanicis.*

24 Milliare Vasconicum *in Gallia ejusdem ferè spacij est, cum milliari Germanico communi.*

25. Milliare Castilianum *constat 3000 passus, sive tria milliaria Italica, vel tres quadrantes mill. Germ.*

26. Leuca Gallica *sive* Hispanica *constituit 150 passus Germ. id est, sesquiquadrantem milliaris Germ. Alijs* Milliare Hispanicum *est 2400 passuum.*

27. Leuca vulgaris *vel* major *cōstat 2000 passus, seu 16 stadia, hoc est, dimidium milliare Germ. commune. A quibusdam dicitur* Milliare Gallicum.

28. Leuca Anglica *continet quadrantem milliaris Germ. estq; ejusdem spacij cum milliari*

Italico;

Italico, seu quadrante mill. Germ. hinc 4 Leucæ Anglicæ æquivalent unico mill. Germ. Variant autem Leucæ & Milliaria pro diversitate loci, ideoq; accuratus terminus illis præfiniri nequit. Notandum etiam, uti Itali, Russi, Poloni, Hungari, Germani per Milliaria *vias mensurant; ita Galli, Hispani, Sveci & Angli per* Leucas: *Posteriores tamen cum Scotis (quorum tria milliaria unicum Germ. milliare constituunt)* Leucas *quoq; suas* Milliare *appellare solent. Græci per* stadia; *Ægyptij per* schœnos, *quorum singuli 60 sunt stadiorum, atq; ita ferè 2 mill. Germ. com: Persæ per* Parasangas, *quorum una est 30 stadiorum, itinera metiuntur; suntq; paulò hæ minores milliaribus Germ. com: Apud Livium & Plinium sæpe* Lapides *pro Milliaribus Italicis usurpantur, cum olim Milliaria in Italia lapidibus signata fuerint; cujus rei documentum adhuc extat in Veneta ditione.*

Huc spectant Versiculi memoriales:

Quatuor ex granis Digitus *componitur unus,*
Est quater in Palmo *digitus, quater in* Pede *palmus,*
Quinq; pedes Passum *faciunt; passus quoq; centum*
Viginti quinq; stadium *dant, sed Miliare (Italicum)*
Octo facit stadia, duplatum dat tibi Leucam *(majorē)*

VI. De-

VI. Definitiones Circulorum Globi Terreni.

Circuli, qui Globo Terreno obducuntur, cœlestibus circulis rectà respondent. Itaq; Æquatorẽ terrestrem concipere oportet sub Æquatore Cœlesti; Meridianum Terrestrem sub Meridiano Cœlesti, & sic consequenter.

1. ÆQVATOR *est Circulus major, fixus, Globum Terrenum ambiens exactè in medio, inter utrumq; globi punctum extremum, quod* Polus *dicitur; duciturq; ab ortu in occasum. Vocatur etiam Circulus Æquinoctialis. Germ:* der Vergleicher/ die Mittel Lini/ *vel absolutè* die Lini. *Hung:* Igyenesitõ. *Transit autem hic Circulus per mediam ferè Africam, inprimis per Abyssinorum Regionem, per Sumatram & Moluccas Insulas ut & per Gviannam ac Caribanã, provincias Americæ. Dividit itaq; Æquator Globum terrenum exactè in Meridionalem & Septentrionalem plagam, ita ut illi populi, qui sub Æquatore habitant dicantur habitare in medio Mundi, cum æqualiter à Meridie & Septentrione distent. 2. Monstrat etiam Æquator exactissimè Cardinem Orientalem & Occidentalem. 3. Geographis inservit in designanda locorum longitudine & latitudine, in imponendis globo*

globo terrestri civitatibus seu mappis conficiendis & inveniendis locorum distantijs.

2. MERIDIANUS est Circulus major mutabilis, ductus per puncta extrema, seu polaria, sive à Meridie in Septentrionem cuiusq; loci. Germ: die Mittags Linje. Hung: Déli. Termini extremi huius Circuli vocantur Poli. Linea verò à polo ad polum per interiorem ventrem Globi ducta appellatur Axis. Non autem unicus tantum est Meridianus in terra, ut unus Æquator, sed quoties vel ortum vel occasum versus te vertis novum acquiris Meridianum, qui per tuum verticem imaginariè ducitur. Et quælibet urbs, quæ ab altera distat 5 gr. sive milliaribus Germ. 75 ab ortu in occasum novum habet statim Meridianum, ubi scilicet Sol dimidiâ penè horâ tempestivius vel serius oritur. Primus Meridianus per Insulas Fortunatas, hodie Canarias nuncupatas in Mundi plaga occidentali ultra Hispaniam sitas, antiquitùs ducitur. In numeratione cæterorum Meridianorum minus principalium proceditur versus ortum per Europam & Africam, indeq; per Asiam, donec fiat reditus in Insulas Canarias orbe peragrato. Usus primarius Meridiani est duplex, 1 ut distingvat diem in tempus ante & post meridianum, sive ut

horam meridianam 12 ubivis locorum exactè indicet tàm de die, quàm nocte. De die enim per integrum annum hora 12 Sol altissimus sub meridiano versatur; de nocte etiam semper hora 12 Sol profundissimus & à nobis remotissimus, nostris Antipodibus, qui tum Meridiem habent, in Meridiano constituitur. 2 ut Terram in Orientalem & Occidentalem medietatem dividat.

3. HORIZON Sensibilis (*Rationalis enim in Geograph: non habet usum*) *est designatio spacij rotundi, quod visus seu acies oculorum nostrorum in plano potest contingere, atq; adeò à nobis videtur cœlum terræ incumbere. Tota autem ista circumferentia quam quis stans in planicie versus omnes mundi plagas sine impedimēto circumspicit, à Mathematicis computatur ad milliaria Germ: 34. Semidiameter istius Horizontis continet milliaria Germanica* $5\frac{1}{2}$. *Ex loco ergo tuo plano si vel in Orientem vel Occid. in Meridiem vel Sept. prospicis eousq; ubi cœlum, ut dixi, quasi terræ incumbit, sunt mill. Germ. quinq; cum semisse. Nec ulterius in plano oculus vel acutissimus rectà prospicere potest, cum rotunditas Globi terreni intra spacium nominatorum* $5\frac{1}{2}$ *milliarium in gibbum assurgat vel in declivitatem*

verga

vergat pedibus 250, ultra quos vix Gigas oculis penetrare potest. Beneficio Horizontis cognosco, quomodo in diversis terræ locis diversæ stellæ vel citius vel serius oriuntur occiduntque, & quo pacto dies fiunt vel prolixiores vel breviores. Mane Sol ascendit supra Horizontem, vesperi infra Horizon descendit. Horizontis punctum verticale, voce Arabicâ Zenith vel Semith, secundum Neotericos, appellatur. Diciturque Sol esse in Zenith, quando Solstitio æstivo est in altissimo cœli loco, sive in meridie ipsa. Horizontis punctum pedale dicitur Arabice Nadir, & subjacet directè pedibus nostris, ubi Sol versatur horâ 12 nocturnâ.

4. Tropicus Cancri est qui directè subjicitur isti circulo cœlesti, qui ducitur per primum gradum Cancri, & in quo Sol decurrens Æstate facit longissimum diem. Germ: der Krebs Zirckel/ des Krebs Sonnenwends Zirckel. Trãsit hic circulus per Numidiam, Sinum Arabicum, Cambajam, Indiam intra Gangem, per Sinarum regionem, per Sinum Mexicanum & Novam Hispaniam in America.

5. Tropicus Capricorni est parallelus directè subjectus circulo cœlesti transeunti per primum gradum Capricorni, in quo cum Sol versa-

tur Hyeme, facit diem brevissimum. Germ: des Steinbocks Sonnenwends Zirckel. *Transit autem per extremam Africæ oram meridionalem, puta Æthiopiam inferiorẽ, Monomotapam, item per Insulam Laurentij, Regno Beach, Lucach, Maletur, per Brasiliam Americæ. Hi duo circuli Tropici Torridam Zonam à duabus temperatis distingvunt.*

6. Circulus Arcticus *respondens cœlesti vergit ad polum Mundi Septentrionalem, transitq; per Islandiam, Lappiam, Samogitiam, Russiam Septentrionaliorem, Fretum Davis &c.*

7. Circulus Antarcticus *correspondet etiam cœlesti circulo Antarctico, estq; vicinus polo Mundi Antarctico, & transit Magellanicam terram australem nondum satis investigatam. Circulus Arcticus & Antarcticus temperatas terræ plagas à frigidis dirimunt.*

Circuli Zodiaci & utriusq; Coluri *in Geographia exiguus est usus; ideò ad Astronomiam eos relegamus.*

VII. Distinctio Plagarum Mundi.

Plagæ seu Cardines Mundi vocantur præcipua illa loca 4; Ortus, Occasus, Septentrio & Meri-

& Meridies, *in quibus Mundus pro diversitate Zonarum diversimodè sese homini exhibet.*

1. Ortus *est illud ipsum punctum, in quo oritur Æquator, qui ortus dicitur Æquinoctialis, quod Sol die Æquinoctij oriundo id ipsum ostentat. Ad hoc punctum* Sacerdotes *respiciunt, templorum etiam partes anteriores sive altare summum juxta illud ædificari solet.*

2. Occasus *est punctum, in quo occidit Æquator, qui occasus appellatur Æquinoctialis, quod die Æquinoctiali Sol occidendo ipsum designet. Ad hoc vertunt faciem* Poetæ, *& Turres templorum versus hanc plagam construuntur.*

3. Septentrio *est punctum Horizontis, in quo Meridianus ipsum Horizontem versus Boream secat, estq; spacium illud intra quod Sol oritur & occidit. Ad hoc punctum faciem vertunt* Geographi.

4. Meridies *est punctum Horizontis, in quo Meridianus Horizontem versus Austrum transit, ubi Sol circa Meridianas horas conspicitur. Hoc punctum præcipuè observant* Astronomi. *Huc spectant usitati versus memoriales:*

Ad Boream terræ, sed cœli mensor ad Austrum,
Præco Dei exortum videt, occasumq; Poëta.

Item:

Asper ab axe ruit Boreas, furit Eurus ab ortu,
Auster amat medium Solem, Zephyrusq; cadentem.
Intermedias plagas Geographi 12, Nautæ verò 32 constituunt, quas diversis ventorum collateralium nominibus insigniunt, ut in Compasso Nautico, librisq; Cosmographicis videre est.

VIII. Distributio Globi Terrestris in Hemisphæria.

1. Hemisphærium *est dimidia Globi terreni pars Meridiano vel Æquatore descripta.*

2. Hemisphærium *Meridiano descriptum aliud est* Superum, *aliud* Inferum.

3. Superum *dicitur respectu nostri, & inprimis Veterem Orbem comprehendit.*

4. Inferum *est quod infra nos, & Novum Orbem complectitur.*

5. Hemisphærium *Æquatore descriptum aliud est* Septentrionale, *aliud* Meridionale

6. Septentrionale *est, quod Polum Arcticum habet pro centro, & omnem ab hac Æquatoris parte regionem continet.*

7. Meridionale *est, quod Polum Antarcticum habet pro centro, & omnem trans Æquatorem terræ tractum complectitur.*

Distr

IX. Diſtributio Globi terreni in Zonas.

1. Zona *eſt ſpacium globi terreni incluſum duobus circulis minoribus ſeu parallelis, & præterea polis Mundi.*

2. Zonæ *vulgariter diſcriminantur in* duas Frigidas, duas Temperatas *&* unam Torridam.

Inter Frigidas alia eſt Septentrionalis, alia Meridionalis.

3. Septentrionalis *eſt, quæ Arctico circulo & polo Septentrionali includitur. Sub hac Zona ſunt* Grünlandia, Nova Zembla, Finmarchia, Lapponia &c.

Qui meditullium Zonæ Frigidæ Septentrionalis incolunt, illis 1 nulla ſidera oriuntur vel occidunt, ſed quotquot ſunt in Septentrionali Hemiſphærio circum circa rotantur. 2 Annuatim unum habent diem, ſex ferè Menſium, & per totidē Menſes noctem perpetem. 3 Umbram ſpargunt in omnes Horizontis partes. Inde Periſcii *ſeu* Circumumbres *conſueverunt dici.*

4. Meridionalis *eſt, quæ Antarctico circulo cohercetur. Hæc Zona adhuc eſt incognita.*

5. *Ex* Temperatis *etiam alia eſt* Septentrionalis, *quæ interjacet circulum Arcticum &*

Cancri

Cancri Tropicum. Sub hac sita est anterior Africæ pars, magnæ Asiæ portio & universa Europa.

Inhabitantibus hanc Zonam 1 multæ stellæ perpetuæ sunt apparitionis. 2 Dies & noctes inæquales illi habent. 3 Umbram spargunt versus Orientem, Occubitum & Septentriones: Inde nuncupātur Heteroſcii *seu* Alteruterumbres.

6. Alia Meridionalis, *quæ inter circulum Antarcticum & Tropicum Capricorni sita est. In hac est* Chili, Chica, Patagonum regio, Terra del Fugo, Fretum Magellanicum, Fret. la Maire, Psittacorum regio, Caput Bonæ Spei, Pars Insulæ Madagascaris, Java minor &c.

7. Torrida Zona *est, quæ Cancri & Capricorni Tropicum interjacet. In hac Zona continetur* major Africæ pars, *& præsertim* Prestegiani *sive* Abyssinorum *&* Narsingarum *regio, nec non* Insulæ Sumatra, Java, Moluccæ Philippinæ, Brasilia, Hispaniola &c.

Qui hanc Zonam adustam (quam ut & utramq; Frigidam veteres falsò censebant inhabiles) incolunt, illis 1 omnia sidera simul oriuntur simulq; post occidunt. 2 Perpetuum illis est Æquinoctium. 3 Duas Æstates habent; unam sub principium

cipium nostri Veris: alteram sub principium nostr Autumni, quando scilicet Sol illis in anno binis vicibus fit verticalis. 4 Umbrarum differentias habent 5 scilicet, Orientalem, Occidentalem, Septentrionalem, Meridionalem & Perpendicularē. Unde Amphiscii seu Biumbres dicuntur.

8. Periœci sunt, qui in eadem Zona, sub eodem Meridiano & ejusdem Paralleli locis oppositis degunt. Cum autem alii ex Periœcis versus Ortum, alij versus Occasum habitent intra distātiam 180 graduum circuli minoris, ideò cum illis, qui ad ortum sunt dies illucescit, desinit illis dies, qui sunt ad Occasum: & cum illis qui sunt ad Ortum, Sol est in meridie supra horizontem tum ijs, qui sunt ad Occasum, Sol est in medio cœli infra horiz: Situm Periœcorum ad se invicem habent Canarienses & Sinenses.

9. Antœci sunt, quorum habitatio est sub eadem Meridiani cujusdam medietale, & unius loci latitudo tanta est ab Æquinoctiali circulo versus Septentrionem, quanta alterius versus Austrinam plagam Antœcis utrisq; Sol eodem momento ad meridiem accedit, sed 4 anni temporum temq; incrementi & decrementi dierum utrisq; est contraria ratio.

10. Antipodes (quos veteres falsò negabant)

bant) sunt qui sub uno quidem Meridiano, at in locis telluris diametraliter oppositis habitant. Antipodibus nostris, insulas scilicet Vasti Oceani inhabitantibus, vel nautis quibusvis illud mare sulcantibus, nihil nobiscum est commune, sed ut oppositus ex diametro situs, ita etiam omnia inter se sunt contraria: cum enim apud nos est dies, ibi noctem agunt; cum hic est dies longissimus, ibi est dies brevissimus; quando nobis Æstas, illis est Hyems; quando illis Sol & cæteræ Stellæ oriuntur, nobis occidunt; cum illi habent meridiem, nos mediam noctem experimur.

X. Partitio Globi terreni in Climata.

1. Clima *est spacium terræ habitabilis comprehensum inter duos Circulos Parallelos versus eundem Mundi Polum sitos, inter cujus principium & finem contingit variatio diei longissimi secundum dimidiam horam: Quanto tamen prius accedit Clima ad Arctum, tanto majorem habet diem longissimum. Sub Æquatore perpetua est dierum ac noctium æqualitas, 12 scilicet horarum, ut jam dixi.*

2. Parallelus *est spacium, quo dies maximi quadrante horæ ab invicem differunt, procedi*

per Meridianum ab Æquatore versus utrunque Mundi polum.

Climatum & Parallelorum doctrina evidentius ex subsequenti Tabella percipitur.



TABULA

TABULA CLIMATUM ET PARALLELORUM AD POLUM USQ; EXTENSÆ,

juxta obliquationem Eclypticæ hodiernam à Tychone observatam; monstrans in diversis Latitudinibus medietatis terræ Septentrionalis diei maximi solstitialis quantitatem, & alia accidentia.

	Numerus Parallelorum.	CLIMATUM Numerus	CLIMATUM Distinctio	Longitudo max: die: Solst: & noct: brū: Horæ	min.	CLIMATUM Latitudo Grad.	min.	Intervalla Grad.	min.	Mil.	min.	Nomina locorum Borealiū, per quæ ducuntur Paralleli.
Amphiscii.	I II III	*Primum.*	Princip: Med: Finis.	12 12 12	0 15 30	0 4 8	0 18 33	8	33	128	15	*Sub Æquinoct: per Insulā S. Thomæ & med: Afric. Per Insulam Taprobanam sive Sumatram, in Indico mari.*
Amphiscii.	III IV V	*Secundum*	P. M. F.	12 12 13	30 45 0	8 12 16	33 42 41	8	8	122	0	*Per Ballidhar Sinum Gangenticum. Per Sabam Arabiæ felicis, & Calecutum Indiæ.*
Amphiscii.	V VI VII	*Tertium*	P. M. F.	13 13 13	0 15 30	16 20 24	41 30 8	7	27	111	45	*Per Meroën Æthiopiæ. Per Thebas Arabiæ felicis.*
Heteroscii	VII VIII IX	*Quartum*	P. M. F.	13 13 14	30 45 0	24 27 30	8 32 44	6	36	99	0	*Per Syenen. Per Ptolomaiden in Thebaida seu Mercurij civitatem.*
Heteroscii	IX X XI	*Quintum*	P. M. F.	14 14 14	0 15 30	30 33 36	44 42 26	5	42	85	30	*Per Alexandriam Ægypti & Hierosolymas. Per Phœnicen & Susam.*
Heteroscii	XI XII XIII	*Sextum*	P. M. F.	14 [illegible] 15	30 [illegible] 0	36 [illegible] 41	26 58 19	4	5[illegible]	[illegible]	15	*Per Goletam Africæ extremitatem, Rhodū, Babyl: Per Lysbonam Hispaniæ, Calabriam Italiæ, Ephesum Natoliæ.*
Heteroscii	XIII XIV XV	*Septimum*	P. M. F.	15 15 15	0 15 30	41 43 45	19 28 27	4	8	[illegible]2	0	*Per mediam Corsicæ Ins: Panormum Græciæ, Trojam Asiæ. Per Tholosam, Marsiliam, Bizantiū, Chalcedonē.*
Heteroscii	XV XVI XVII	*Octavum*	P. M. F.	15 15 16	30 45 0	45 47 48	27 17 57	3	30	52	30	*Per Lugdunum, Albam Regalem, Venet: Mediol: Per Salisburgum, Schaffhusium Helvetiæ, Ostia Borysthenis.*
Heteroscii	XVII XVIII XIX	*Nonum*	P. M. F.	16 16 16	0 15 30	48 50 51	57 30 55	2	58	44	30	*Per Spiram, Hallam Svev: Podoliam & Tartariam minorem. Per Cracoviam, Carolstadium, Sveinfordium.*
Heteroscii	XIX XX XXI	*Decimum*	P. M. F.	16 16 17	30 45 0	51 53 54	55 13 25	2	30	37	30	*Per Vitebergam, Salinas Saxenicas. Per Pomeraniæ australia, Stargard.*
Heteroscii	XXI XXII XXIII	*Undecimū*	P. M. F.	17 17 17	0 15 30	54 55 56	25 32 34	2	9	32	15	*Per Rostochium, Lubecam & Frauenburgum Borussiæ, & Regam Livoniæ, Per Holsatiam & Slesvig:*
Heteroscii	XXIII XXIV XXV	*Duodecimum*	P. M. F.	17 17 18	30 45 0	56 57 58	34 31 23	1	49	27	30	*Per Hyberniam & Moscoviam. Per Eboracum, Edenburgum Scotiæ.*
Heteroscii	XXV XXVI XXVII	*Decimum tertium*	P. M. F.	18 18 18	0 15 30	58 59 59	23 11 56	1	33	23	15	*Per Cazanam, Norvegiam.*
Heteroscii	XXVII XXVIII XXIX	*Decimum quartum*	P. M. F.	18 18 19	30 45 0	59 60 61	56 37 16	1	20	20	0	*Per Revaliam & extrema septentrionalia Livoniæ.*
Heteroscii	XXIX XXX XXXI	*Decimum quintum*	P. M. F.	19 19 19	0 15 30	61 61 62	16 50 22	1	6	16	30	*Per Finlandiam.*
Heteroscii	XXXI XXXII XXXIII	*Decimum sextum*	P. M. F.	19 19 20	30 45 0	62 62 63	22 52 19	0	57	14	15	*Orchades Insulas, & Australia Islandiæ.*
Heteroscii	XXXIII XXXIV XXXV	*Decimum septimum*	P. M. F.	20 20 20	0 15 30	63 63 64	19 44 7	0	48	12	0	*Per Arociam. Nidrosiam.*
Heteroscii	XXXV XXXVI XXXVII	*Decimum octavum*	P. M. F.	20 20 21	30 45 0	64 64 64	7 27 46	0	39	9	45	*Dalekarlij fluvij ostia. Per Septentrionalia Sveciæ.*
Heteroscii	XXXVII XXXVIII XXXIX	*Decimum nonum*	P. M. F.	21 21 21	0 15 30	64 65 65	46 3 18	0	32	8	0	*Norvegia.*
Heteroscii	XXXIX XL XLI	*Vicesimū*	P. M. F.	21 21 22	30 45 0	65 65 65	18 32 44	0	26	6	30	*Alba Russia.*
Heteroscii	XLI XLII XLIII	*Vicesimū primum*	P. M. F.	22 22 22	0 15 30	65 65 66	44 55 4	0	20	5	0	*Lappia.*
Heteroscii	XLIII XLIV XLV	*Vicesimū secundum*	P. M. F.	22 22 23	30 45 0	66 66 66	4 11 17	0	13	3	15	*Boddia.*
Heteroscii	XLV XLVI XLVII	*Vicesimū tertium*	P. M. F.	23 23 23	0 15 30	66 66 66	17 22 26	0	9	2	15	*Biarmia.*
Heteroscii	XLVII XLVIII XLIX	*Vicesimū quartum*	P. M. F.	23 23 24	30 45 0	66 66 66	26 28 28 1/2	0	2 1/2	0	3 2/1	*Finlandiæ Loca.*

RELIQUA TABULAE CLIMATUM PARS, DISTINGUENS ZONAM FRIGIdam Septentrionalem secundùm intervalla locorum & Parallelorum, in quibus longitudo diei maximi ad medietatem Mensis variatur.

Numerus Parallelorum.	CLIMATUM Numerus.	CLIMATUM Distinct:	Dies longissimus in anno dierum.	CLIMATUM Longit: gra. min:	CLIMATUM Interval: gra. min:	mil. min:	Regiones per quas transeunt Paralleli.
Periscij XLIX L LI	*Vicesimum quintum*	P. M. F.	*Hor: 24 seu diei* 26 31	66 28 1/2 66 42 67 19	0 50 1/2	11 5 1/2	*Per extrema Norvegiæ,*
LI LII LIII	*Vicesimum sextum.*	P. M. F.	31 46 62	67 19 68 22 69 47	2 28	37 0	*Lappiæ Sckrick finniæ,*
LIII LIV LV	*Vicesimum septimum.*	P. M. F.	62 77 92	69 47 71 32 73 26	3 49	57 15	*Nova Sembla,*
LV LVI LVII	*Vicesimum octavum.*	P. M. F.	92 108 123	73 36 75 56 78 29	4 53	37 15	*& alia nondum*
LVII LVIII LIX	*Vicesimum nonum.*	P. M. F.	123 138 154	78 29 81 12 84 35	6 0	[illegible] 30	*satis explo-*
LIX LX LXI	*Tricesimũ.*	P. M. F.	154 169 183	84 35 87 1 90 0	5 25	81 15	*rata loca.*

PRo complemento hujus spatij libuit compendiosius subijcere situm Europæarum regionum præcipuarum, juxta latitudines suas, sive elevationes Poli.

Sub 40 gradu latitud. sita est
Meditullium Hispaniæ, Italia australior, Græcia, Turcia.

Ad 47 grad. lat. referenda
Helvetia, Stiria, Carinthia, Tyrolis, Italia Séptentrionalior, Sabaudia, Gallia, Hungaria australis sive Turcica.



Ad 48 grad. 30 minut. lat. spectant
Alsatia, Brisgoia, Suevia, Bavaria, Virtenbergicus Ducatus, Moravia, Austria & major Transylvaniæ atq; Hungariæ portio.

Ad Lat. 50 grad.
Palatinatus, Franconia, Lotharingia, Bohemia, Voitlandia &c.

Ad Lat. 51 grad.
Lusatia, Silesia, Misnia, Thuringia, Hassia, Brabantia &c.

Ad Lat. [illegible] grad.
Hollandia, Vestphalia, Saxonia inferior, Pannonia, Marchia, Borussia, Poloniæ pars borealis, Tartaria, Moscovia, Anglia, Scotia, Hibernia &c.

Ad Lat. 60 grad.
Daniæ borealis pars, Svecia, Russia, Livonia, Lithvania, Norvegia australis, Finlandia, Frislandia.

Ad Lat. 70 grad.
Norvegia borealis, Finmarchia, Lappia, Biarmia, Samogitia, Islandia &c.

ELENCHUS GENERALIS

Regionum ac Provinciarum in hac Geographia contentarũ, juxtaq; ordinem Alphabeticum consignatarum.

Numerus à sinistris adscriptus, caput; à dextris, paginam exhibet.

IV. De

IV. De GALLIA pag. 36. ſub qua

V. *De GERMANIA* pag. 9.

Inferiore pag. 98. sub qua

Superiore p. 112. sub qua

Anhal-

GERMANIA Media seu magna pag: 145, sub qua

Antver


VIII. *De ITALIA* p. 265.

- Prisca seu propria, cui subsunt
  - Apulia Daunia, sive *Puglia Piana* 327
  - Apulia Peucetia, sive *Terra Barriana* 303
  - Calabria inferior, sive *Brutia* 296
  - Calabria superior, olim *Magna Gracia* 298
  - Campania felix, nunc *Terra Laboratoris* 291
  - Hetruria, hodiè *Tuscana* sive *Tuscia* 279
  - Latium 272
  - Lucania sive *Basilicata* 295
  - Marca Anconitana, vel *Picenum* 286
  - Salentinorum regio, seu *Terra Hydruntica* 305
  - Samnitia 300
- Nova sive Accessoria, sub qua
  - Æmilia, sive *Lombardia cispadana* 311
  - Flaminia, hodiè *Romandiola* 307
  - Forum Julij 329
  - Istria 331
  - Liguria, seu *Genuensis ora* 332
  - Lombard: *transpadana* 314
  - Marca Trevisana, seu *Veneta regio* 321
  - Pedemontium 334

IX. De

XVI. DE

GEOGRA-



GEOGRAPHIÆ CAPUT I.

DE ORBIS TERRARUM PARTITIONE.

VNiversus terrarum Orbis circumnavigatione ab Occasu in Ortum, (& contra) sive secundum longitudinem Astronomicam, superiori demum seculo exploratus est. Sed quoad latitudinem, seu partes Borealiores & Australiores, quia eæ perpetuis, iisq; intensissimis frigoribus expositæ sunt, & maria passim congelata obtinent, nondum satis perlustrari potuit: hinc nec dum universi facies nobis penitus cognita est.

Notiores atq; potiores illius partes hodie sex constitui possunt, 1 Europa, 2 Asia, 3 Africa, 4 America, 5 Magellanica, & 6 Arctica.

Ex his 6 partibus nos principaliter Europam considerabimus, ejusdemq; regiones nobiliores, Peregrinatoribus pervias, uberius atq; speciallius delineabimus.

CAPUT II.
DE EUROPA.

Europa minima, sed celeberrima, nobilissima, atque excultissima telluris pars ab Ortu Mari Ægæo, sive Archipelago, *Ponto Euxino,* vulgò Mari Maggioro, *Palude Mæotide, sive* Mari delle Zabaccho, *& Tanai fl.* vulgò Don; *ab Occasu Mari Atlantico; à Meridie Mari Mediterraneo, nec non Freto Herculeo; à Septentrione Oceano Deucaledonio ac Britannico, ut & extremis Sveciæ, Moscoviæ & Tartariæ partibus clauditur.*

Ejus longitudo ab Ulyssipona Constantinopolin *usque se ad 600 milliaria Germ: expandit. Latitudo ab Insula* Sicilia, Scricfinniam *usque ferè eadem est.*

Regiones ejus partim sunt Continentes, *partim* Peninsulæ, *partim* Insulæ.

Continentes sunt 1 Hispania, 2 Gallia, 3 Germania *cum* Belgio *&* Helvetia, 4 Italia, 5 Pannonia, *cum Regnis vicinis à Turca subactis,* 6 Polonia *cum incorporatis Provinciis,* 7 Norvegia, 8 Svecia, *&* 9 Moscovia.

Peninsulæ præcipuæ sunt Jutia, Morea, Brachium S. Georgii, *&* Taurica Chersonesus. *Hi-*

stus. *Hispania & Italia Peninsulis haud sunt dissimiles.*

Insulæ illustriores sunt Britannia *sive* Anglia *cum annexa* Scotia, Hibernia, *Insulæ* Danicæ, Belgicæ, Baleares, *vulgò Majoria & Minoria*, Corsica, Sardinia, Ilva, Ischia, Sicilia, Corfu, Cephalonia, Zacynthum, Candia *&c.* *Maria Europæa sunt* 1 Oceanus, Mare Mediterraneum, 3 Balticum.

Flumina habet insigniora Danubium, Rhenum, Tagum, Ligerim, Padum, Thamesin, Tibiscum, Vistulam, Borysthenem, Tanaim *&c.*

Montes eminentiores sunt Alpes Italicæ, Helveticæ, Tyrolenses, Apenninus, Montes Pyrenæi, Sudetes & Carpathus.

Cætera ex subsequentibus, regionum Europæarum, descriptionibus particularibus, innotescent.

CAPUT III.
DE HISPANIA.

HISPANIA *prima est Europæ regio terræ firmæ, sive continentis, occasum versus: qua mundi plaga Geographi, Ptolomæum imitantes, ad Orientem progredi solent. Undiq; mari cingitur, exceptâ parte orientali, quâ Galliam*

respicit: ibi enim montibus Pyrenæis à Gallia separatur. A Septentrione habet mare Cantabricum ab occasu Atlanticum; à meridie Fretum Herculeum, & Ibericum mare.

Longa est 187½ milliarium Germ. lata 156, in circuitu 687 milliar. Germ. complectitur.

A Climate 5to, (juxta genuinam Climatum dispositionem) post 10 parallelum incipit, & in 8vum ante 15 parallelum finitur; ejusq; principium, versus meridiem, habet quantitatem diei æstivi maximam 14 hor: 25 min. finis versus Septentrionem 15 hor: 22 min: Ita variat dies in toto illo spatio terræ, quæ Hispaniæ tribuitur, ad horam ferè unam, sive 57 min.

Quamvis autem hæc regio ampla sit solo, non multum tamen est populosa, nec magnus, magnarum Urbium, oppidorum, pagorum, in ea numerus est; cum plura sint in ea inculta, deserta & saxosa loca, ob montium asperitatem, & planitierum nonnullarum ariditatem & sterilitatem; fluminum lignorumq; paucitatem, nec non pluviarum raritatem, præsertim in locis Septentrionalibus & Occidentalibus. Ad Meridiem verò, circa Fretum Gaditanum, longè populosior, felicior & fertilior est; multis enim simul & magnis irrigatur fl-

tur fluminibus, quæ terram fœcundant. Profert ea pars copiosius, varios aromaticos, fructus, oleū, mel, crocum, rubiam gallam, oryzam, baccas laureas, saccarum, limones, cappares, dactylos, uvas passas; citrea, aurea, cydonea & punica mala, mora, suber, vinum sapore generosissimum, odore suavissimum.

Sylvæ Hispaniæ, Leonibus, Elephantibus & camelis carent, sed damis, capreis, equis sylvestribus, cervis, apris, ursis, leporibus, cuniculis, aliisq; feris, nec non variis avibus, utpote aquilis, accipitribus, gruibus, attagenibus, perdicibus, palumbis, anseribus, anatibus, ut & insectis illis nobilissimis, utilissimisq;, scilicet bombycibus, abundant. Andalusia, Asturia & Granata equos fovent, qui vulgò Gianetti dicuntur: hi ferociã Turcicos, velocitate Numidicos superant, ac aliquot centenis aureis singuli constant. Illud, quod circa Olyssibonam, ex sententia priscorum Scriptorum, Equæ ex vento Favonico aut Zephyro concipiant, fabulosum est. Mulis plurimum utuntur. Maria circumjacentia cochleis, ostreis, lampetris, Cetis; lacus verò cygnis affluunt. Porcorum & vervecum carnes ibi sunt sapidiores, quàm alibi.

Olim Hispania, Dominis suis Romanis, eo fuit loco, quo nunc Hispanis est America, ob copiam

metallorum præstantissimorum. Ast hodie eorum abundantia disparuit, raritas successit, opulentissimis quoq; auri & argenti fodinis exhaustis, vix umbram & propemodum nomen priscæ fertilitatis metallicæ retinet. Salis glebæ, è terra effossæ, sunt admodum perlucidæ.

Fluvii *principales in Hispania 6 sunt; 1* Minius *sive* Mingo, *navigabilis, in Asturiæ provincia, minio uberrimè scaturiens, indeq; nomen habens, magnitudine reliquos Hispaniæ fluvios superat. 2* Durius *Portugal. 3* Tagus *sive* Tajo *Portugalliam & Castiliā novam transiens. Hunc fl. veteres auriferum crediderunt, sed falsò. 4.* Boetis *vulgò* Qua dalquibir, *vel* Circen. *ab incolis dictus, mediam Hispaniam perfluit: ripæ eius olivetis, vineis arboribusq; fructiferis affluunt. 5* Iberus *sive* Ebro *navigabilis, in Cantabriæ provincia, ortum habens. 6* Anas, *hodie* Gvadiana, *Boeticam à Lusitania sejungens, & Estremaduram permeans, ad tria milliaria Ger sese occultat, & denuò prodit: quod quidem verissimum est, licet quidam negare audeant.*

E Montibus *præcipui sunt* Pyrenæi, *vulgò* Ronzeval *dicti. Hispaniam à Gallia dirimente. Horum juga præcipua sunt*: Jubalda, Auca *vel* Saltus Aucensis, Illipa, Vindicum, Orto peda, *cui subjacent* Sierra Vermigia, Sierra

Molin

Molina, Monivi, Sierra Morona, Calpe, *quæ una columna est Herculis, vulgò* Gibal tarif, *sive* Gibraltar, *item* Amantium rupes, *vulgò* la penna de los Enamorados *nominatum*.

Promontoria *eius primaria dicuntur:* Cabo de S. Vincente, Creux, *vel* cabo de cruz, Cabo de Mongia, C. de Viano, C. de Spichel, C. de Gates, C. Martin, *vel* Denia puerto de Valentia, Rochan de Sinna, C. de Vallis *aliis* pala figuel, Cabo de Cascau, Fontarabie, C. de palos.

Portus *celebriores sunt;* Corumna *sive* Albufereta, Algor, Fuentabaris, Alicante, Gaditanus, Tarraconensis, Puerto Vendre *sive* S. Crucis, Puerto de S. Maria.

Sinus *potiores sunt;* Golfo de Alicante, Sucronensis, Ilicitanus, Virgitanus *sive* Baja de Cadiz *dictus*.

Hispania 14 olim constitit Regnis. Hodie verò postquã sub unũ Regẽ pervenit, in tria Dominia distingvi solet: Portugalliæ, Castiliæ & Arragoniæ. Portugallia *etiam* Algarbiam *continet*, Castilia Murciam, Granatam, Andalusiam, Esdremaduram, Castiliam utramq; Legionem, Navarram, Chipuscam, Biscajam, Asturiam & Galliciam *comprehendit*. Arragonia *sub se habet:* Cataloniam, Arragoniam & Valentiam. *De quibus 17 Hispaniæ partibus paulò post in specie compendiosè agemus.*

Prin-

Principum, Ducum, Marchionum, Comitum & Baronum in Hispania magnus est numerus: sed non tanta eorum dignitas ac libertas, neq; tàm ampla & regali dignitate coruscantia territoria iis sunt, ut Germaniæ principibus. Duces sunt circiter 23; Marchiones 36; Comites prope verũ 50. Sunt & Vicecomites, Barones, provinciarum præfecti, Vice Reges, Gubernatores, Admirantes, Mariscales & alij principes viri magno in numero. Sunt etiam variorum ordinum equestrium magni Magistri.

In statu verò Ecclesiastico Hispaniæ sunt 10 Archiepiscopi, & circiter 48 suffraganei.

Academiæ sunt 7 nempe Salmantica, Complutensis, Colimbriensis, Pericianensis, Saguntina, Ostensis & Ilerdensis.

Incolæ, temperaturâ sunt calidi & sicci, proceri, flavi & colore subobscuro: unde fœminæ cerussâ & minio, ad conciliandam formositatem, utuntur. Sunt illæ, in pariendis liberis, non admodum frequentes. Viri elegantiores dentes pumicant, & urinam pro dentifricio usurpant, ideoq; munditiei amantes. Durioribus sunt membris, ut sumptuosè incedunt, frugalitati student, nec multo cibo & potu se onerant, fructibus sylvestribus, cæpis, allio, lactucâ, rapis, raphanisq; plurimùm,

cum v-

cum voluptate, vescuntur, quæ esculentæ eos parùm ad agriculturam & aratri labores propensos, efficiant. Sunt taciturni, parci, simulandi dissimulandiq; artem probè edocti, nimiùm graves in speciem & severi, reipsa asperi, pertinaces, frigoris impatientes, rerum novarum avidi; sunt tamen ingeniosissimi, justitiæ studentes, prudentes, docti etiam, si patiantur erudiri. Sunt magnanimi, bellum quàm otium malunt, cum extraneus hostis deest, domi hostem quærunt, majori arte, quàm ferocitate pugnant, plusq; consilii, quàm virium, in bella ferunt, & agilitate atq; sagacitate sua, plurimas victorias consequuntur.

Per ducentos annos, Hispani cum Romanis, bella gesserunt, in quibus multos Imperatores Romani amiserunt, multos Scipiones perdiderunt, multos Consulares, multos Prætorios Duces fregerunt, ut benè diu dijudicari non potuerit Hispanis Romanisve plus esset roboris; & uter populus alteri pariturus foret.

Ob infrequentiã suæ regionis, magnâ mercede, totas Opificum colonias, è Gallia accersere solent. Et in Navarra atq; Arragonia ferè omnes vinitores, agricolæ, lignarij, latomi, carrucarij, restiarij, helciarij, ephippiarij, & cæteri manuarij opifices sunt Galli. Istam Hispanorum paucitatem,

creberrimi copiarum, toties in Indias, Italiam, Belgium, Galliam, Germaniam superiorē, tanquā ad macellum missarū, delectus, extenuant magis magisq́. Nihilominus si decimus quisq́ incolarum Hispaniæ in bellum ablegandus esset, exercitū constitueret numerosissimum, nempe circa quingenties mille militum, licet in universa Hispania, si fides danda alijs Geographis, vix bis mille pagi una cum oppidis & urbibus hodie numerentur. Atq́ hæc quidem de generali Hispaniæ descriptione. Sequitur ejusdem specialis expositio, & in XVII Provincias partitio.

I. II. PORTUGALLIA, *olim* Lusitania *dicta, cui hoc tempore &* Algarbiæ *Regnum subest, prima est provincia Hispaniæ, ad mare occiduum sita. Appellationem suam nacta vel à portu Gallorum, vel à portu Cale, qui olim, piscationis gratiâ, frequentari solitus, postea in civitatem evasit. Est regio satis felix, inprimis aromaticorū fructuum, piscium, pascuorū, pecorum, salis, aluminis, marmoris & Jaspidis abundans. Frumenti tamen, ob montium copiam, non adeò ferax. Celebris ob navigationes in Barbariam, Æthiopiam, Indiam utramq́.*

Perfluunt eam Gvadiana, Tajo, Mondegus *&* Dorius. *Ejus, vel potius Algarbiæ primarium*

rium Promontorium est Cabo San Vincenzo, *olim* Promontorium Sacrum *dictum*.

Portus in ea sunt tres primarij, 1 ad Setubal, *2 ad* Lisbonam, *3 ad* Portum *Civitatem*. *Quisque habet amplum Sinum*.

Monticuli eius, sive Colles, iique ferè sylvestres, appellantur Sierra de Monchiquo, de Chaldecatao, de Sordedas.

Urbes & oppida eius insigniora sunt subsequentia:

Lisbona, *florentissimum & antiquissimum Portugalliæ emporium, Oceani regina, ex qua, in maritimas aliarum regionum civitates, aromata omnis generis advehuntur. Meridionale eius latus mari, aquilonari fluvio Tago alluitur. Hæc post Lutetiam Gallorum, maxima ac populosissima statuitur Christianorum. In ambitu duo ferè milliaria Germ. comprehendit. Montes 5, totidemque valles, domorũ amplius quàm 20 millia in se continet. Parochias 25. Monasteria & Collegia plurima, Portas 22 habet. Septem publicis Ædificiis magnificentissimis, &, quo ad annuos proventus, instructissimis, claret. Horum primum est Misericordiæ Templum: 2 Xenodochium Omniũ Sanctorũ: 3 D. Petri Regis Domus, quæ hospitiũ præbet Legatis Regũ & Principũ exterorũ. 4 Ædificiũ Regis Iohannis III. quod pro domo Frumẽtaria totius Portug: censeri potest.*

5 Novum

5 Novum Portorium. 6 Indica domus nova. 7 Armamentarium. Ad hæc eminet ibi templum Cathedrale, tanquam sedes Archiepiscopalis. Habet etiam hæc Urbs Castellum naturâ munitum, cui, tanquam, carceri, primarii cives & nobiles delinquentes includuntur. Nec destituitur Palatijs Marchionum, Ducum. Officinâ Monetariâ gaudet. Aliorum insuper ædificiorum pulchritudine, & hominum multitudine, & mercium varietate cum cæteris omnibus Europæ urbibus contendere potest.

In Foro, quod dicitur Veteris pali, plurimi semper Scribæ mensis assident, nullis civitati ministerijs alias obligati, sed ex hoc tantum vitæ genere, sibi alimentum quærentes, ut singulis, eorum operâ indigentibus, certo pretio inserviant, vel in exarãdis literis amatorijs, aut alterius gravioris argumenti, vel in fabricandis carminibus, elogijs, Epitaphijs, Epicedijs, Epithalamijs, Orationibus, supplicationibus, syngraphis et hisce similibus postulatis. Qui mos nusquam aliàs in Europæ urbibus observari solet. Illius Scholæ tot Musicis abundant, ut in præcipuis Festis ultra 30 absoluti Cantorum Chori, in pagos vicinos, ad sacra modulamina instituenda, excurrant, nullis urbis templis ex eo defectum, ad suas celebrandas festivi-

tates,

tates, capientibus. Pagos sibi subjectos 240 habet.

Conimbria *olim Regni istius caput, sita est in rupe amœnissima, fertilissima ad fluv. Mondegã sive Illundam. Claret hæc urbs Academiâ, studijs Philosophicis, florẽte. Habet templum Cathedrale insigne, Forum studiosorum, Aquæ ductum, Columnas antiquas Romanorum, Carcerem Inquisitionis, multa Templa, monasteria & Collegia Jesuitarum. In agro Conymbricensi ebur fossile candido & nigro colore invenitur.*

Bracaræ Augustæ, *adjacent Alesti fluvio, Est una ex antiquioribus Hispaniæ civitatibus. Regum Svevorum prisca fuit sedes. Multum sangvinis olim pro Christo effudit. Templa illi⁹ multis reliquijs S S. ornata sunt. Nobilitata Patrum Concilijs, Primatum totius Hispaniæ antiquissimo jure sibi vẽdicat: qua de re cum Toletana sede vetus ei lis est. Campum Archiepiscopi habet amplissimum, ubi Ludi Equestres exercentur. Illud mirabile, quod arborem nullam ex Medicæ mali generibus creat, quibus alioqui hæc tota provincia abundat. Extra urbẽ est Antrum Reginæ, & sylva Primatialis, leporum & perdicum abundãtiâ, nec non fonte amœnissimo limpidissimoq; celebris.*

Cascale, *oppidum, portu vadoso & anfractuoso gaudet, ad quod naves onerariæ in anchoris*

consi-

consistentes, accedente maris æstu, auram operiuntur.

Bethlehem, *oppidulum, claret Templo Divæ Virginis & Cœnobio Monachorum sumtuosissimo, magnificentissimoq́.*

Alanquera, *ad Tajum fl. patria est* Damiani Goes, *Equitis & Scriptoris famosi.*

Braganza, *Civitas quidem non est, fruitur tamen Privilegijs Civitatis, habetq; peculiarem Principem ibidem residentem, cui tertia ferè incolarum Portugallensium pars subjecta est. Sericum optimum, eo in oppido, colligitur.*

Evora, *Academiâ quondam ornata fuit. Habet præterea Portugalliæ alia non ignobilia oppida, qualia sunt:* Beja, Setubal, Almada, Ceice, Visco, Lameq; Portus, Miranda, Pentalegia, Gvarra, Leiria, Santarena, *&c.*

Algarbiæ Civitates sunt Tavila, Silvis, Lacobriga, Lagoa, *&c. Quarum memorabilia si singillatim describerem, Opus hoc in immensum cresceret. Curiositati itaq; Peregrinantis talia relinquens, ad Galliciam progredior.*

III. Procedendo jam versus Septentrionem tertia regio GALLICIA *occurrit, quæ meridionali suo termino Portugalliam attingit: Hæc licet ob montes asperos, & aquarum inopiam pau-*

ciores habeat incolas, in maritimis tamen locis præcipuè inhabitatur, ut quæ pisces, feras aliasq; ad vitæ sustentationem merces necessarias, vina etiam egregia suppeditant.

Summam huic regioni famam adfert Compostella, nunc S. Jago dicta, ubi corpus D. Jacobi Apostoli, Hispaniæ protectoris, colitur, cui quotannis plurimi exteri vel remotissimi vota solvunt. Portum habet hæc provincia insignem, Corugna dictum, ad civitatem ejusdem nominis, quam Carolus V. Imp. frustra in Emporium constituere laboravit.

Promontoria Gallicia duo sunt: Capo de fine terræ, & Tourivan.

Orens, civitas vino optimo nobilis est. Cætera oppida sunt Bajona, Ponte Phædra, Ribadeum &c.

IV. ASTURIA, quarta pars Hispaniæ, equorum velocium, quos Asturcones vocant, auri, minij, chrysocollæ & aliorum colorum ferax est; aspera tamen & malè habitata, unde incolæ magis ex venatione & piscatu, quàm ex agris vivunt. Civitates duas habet insigniores Ovieum & Santillam. Ejus promontorium dicitur Cabo de viro.

V. VI. Quinta pars est BISCAIA, &

GVI

GUIPUSCOA *portiones Cantabriæ. Regio utraq; est montosa, ubiq; magnetis, ferri ac chalybis, resinæ, procerarum arborum, pro malis navibus instruendis, castaneorum, nucum & pomorum aureorum ditissima. In mari vicino margaritæ, sed ignobiles gignuntur. Incolæ sunt robusti, ad bellum præ aliis apti, & libertatis, quâ fruuntur, maximè tenaces, ut nec Regem multum metuant. Viri nusquam, & ne ad templum quidem, sine armis prodeunt. Virgines innuptæ, aperto & ras[o] capite prodeunt, gestantq; in capite nudo amphoras, vasa & alia graviora. Statim ubi nupserint caput vittâ, in modum galeæ cornutæ, compositâ ex linteo flavo, velant.*

Biscaia, *à portu S. Andreæ ad civitatem ve[—] tustissimam ejusdem nominis insignis est.*

Bilbao, *urbs est munita, & Metropolis Bi[—] scaiæ: in ea sunt negotiationes cum Belgis, Galli[s] Anglis frequentissimæ: inde quotannis 50 navi[—] lanâ onustæ in varias regiones transvehuntu[r]. Copiâ annonæ præ aliis Hispaniæ oppidis semper [a]bundat. Panem habet singulari excellentiâ pr[æ]ditum in furno non coctum,* Pan del fuego c[o]- *ctum. Ab una parte montibus circumdata est, [ab] altera oppidulum habet* Portugallete, *ad ora[m] maritimam. In hac provincia est mons & Cryp[ta]*

S. A[—]

S. Adriani, *per quod antrum viatores ultro citroq; in Galliam commeant, ne illis opus sit juga celsissima eius montis, nive perpetuo tecta, & glacie rigentia, transcendere.*

In Gvipuscoæ *civitatibus, optima bellica instrumenta, ut Enses, loricæ, bombardæ conficiuntur.*

Metropolis dicitur Tolosa. *Nil ferè memorabile continet. Celebrior eiusdem nominis urbs est in Langvedocia Galliæ.*

S. Sebastiani *oppidum vulgò* Donostion *à Portu amplissimo nobilitatur. Obtemperat Archiepiscopo Burgensi: Agrum habet frumenti, vini & lanæ feracem. Non procul ab eo distant juga montium Pyrenæorum* Lasierra Lazquiicsz *dicta.*

Fuentarabia, *civitas est munita, limes Hispaniæ & Galliæ, ideoq; à Gallis An. 1638 graviter infestata fuit.*

Victoria *ad Navarram sita est, &c.*

VII. Navarræ Regnum *inter montes conclusum est; eius metropolis dicitur* Pampelona.

Calaborra *sedem habet Episcopalem.*

Stella & Jaca *etiam sunt oppida huius Regni, aliàs non populosi, cum & unicum Mediola-*

num

num plures alat homines, quàm totum illud regnum Navarræ. Plebei & opifices sunt Galli, quorum Rex nonnulla loca huius regni, tanquam legitimus hæres, possidet.

VIII. LEGIO per 800 ferè annos continuis bellis à Mauris fatigata fuit, donec tandem, virtute Regum Hispanorum, repressi, totâ Hispaniâ cedere, Mauritaniamq; repetere coacti sunt.

Ejus Civitates insigniores sunt Palentia, Episcopalis sedes, arcem antiquam, à latere adjunctâ habens. Ex agricultura & frequenti hominum transitu, hyemali præsertim tempore, victitat: æstate contra, ardor Solis & pulverulenta via, qu[…] ejus campus siticulosus & inhospitalis scatet, Via[…]tores longè ab ingressu suo arcet. Et nisi viator po[…]tum secum sumserit; siti illi moriendum est, quo[…] multis accidit. Leon illius provinciæ Metropo[…]lis fuit olim Regia Sedes.

Medina de riosico & Camera, etiam sun[…] huius regionis oppida.

Salmanca habet episcopalem sedem, & Aca[…] totius Hisp. vetustissimam cum 10 Collegiis.

IX. CASTILIA utraq; vetus & nova sibi su[…] valdè similes, quoad conditionẽ terræ, & incola[…] vitam ac mores. Vetus tamen, quia Septentrionalior, montibus & saxis abundans, non adeò frug[…]

fe[…]

era est, & Durio fl. irrigatur : at Nova planior ubactioris terræ, calidior, magis frugifera & Tao fl. humectatur.

Vetus Cast: *habet Metropolim* Burgos *dictã, uæ una est ex antiquioribus & præcipuis Urbib⁹ Hispaniæ, magnis pulchrisq́ ædificijs, sed angutioribus plateis, exstructa, & Archiepiscopi seles; situ est partim plano, partim montoso. Arcem abet in culmine montis vetustam. Armamentaium ejus auctum est ex bello Germanico superiois seculi. In ea est Monasterium Moniale* Velga *lictum, cui 24 oppida & ultra 50 pagi subsunt. Centum & octuaginta Oppida hæc provincia coninet, ex quibus insigniora sunt:*

Valladolid, *forum habens venale amplissium atq́ pulcherrimum, & Palatia magnatum nagnifica. Reges quondam ibi residebant. Est hic mplissimum Jesuitarum Collegium.*

Segovia, *insignis est lanificio & aquæ ductu rtificiosissimo, qui Pons dicitur, cui aqua superluit, cum sub alijs pontibus manare soleat.*

Coriam *pleriq́ existimant fuisse olim Nuantiam, toti ferè terrarum orbi notissimam, t quæ Romanis, exiguis copijs, sed magno animo, iutissimè restitit, laudabilesq́ victorias cum ummo Romanorum damno, retulit: tandem*

tamen, à Scipione posteriore, post longam & ar-ctissimam obsidionem, deleta: Cum enim fame laborarent, nec eis daretur justi certaminis copia, omnia sua & seipsos igni immiserunt.

Placencia, *potestati suæ subjecta habet alia oppida, è quibus sunt* Xavahizium & Pisaro, *Citreis malis abundat, & à pane candidissimo commendatur.*

Oxama, Turiaso, A'vila, Mirobriga, Medina del Campo, *sunt etiam oppida haud vulgaria Castiliæ veteris.*

Castella Nova. *Metropolim habet* Toletum. *Hæc urbs sita est in Hispaniæ umbilico ad Tagum fluvium, in loco clivoso & ascensu diffici li. Cives ad 10 ferè mille lanificio, sericoq; vitam sustentant. Eius Archiepiscopus primarius es Hispaniæ Cancellarius, secundus à Rege, non di gnitate solùm & autoritate, verum etiam popu lis, vectigalibus atq; potentiâ. In circuitu Urb milliare ferè Germ. continet. Magnificis ædibus præsertim Templo Archiepiscopali, Palatio Regi & Arce (in qua olim panniculus arcâ unicè in clusus, habitum Arabicum præ se ferens, cladem maximam à Saracenis post illatam Hispanis præ significavit) ornata est. Celebris ob Concilium contra Priscillianistas, olim ibi celebratum; & c*

Tabula

Tabulas Alphonsinas ad eius meridianum directas, in quarum compositionem & calculum Rex Alphonsus, à quo denominantur, 4 tonnas auri impendit. Olim Magi & præstigiatores Scholam suam hîc habuerunt.

Madrid *vel* Madril *Regum Hispan. sedes est, ob aëris singularem temperiem, lacuum, sylvarum, in quibus venationes commodè instituuntur, & terræ amœnitatem; unde & circa locum illum incolæ plurimi reperiuntur. Hæc urbs vulgò dicitur igne cincta, ob mœnia è pyritis constructa.*

Complutum, *hodie* Alcala de Hennares *dicta civitas, nota ab Academia & Biblijs Polyglottis ibi in aliquot tomis excusis. Huc pertinent oppida:* Occagna, Calatrafa, Zittareale, Cuenca, Villamanta, Talavera, Lebazura.

Hac in provincia, circa Madritum, visu dignum occurrit Monasterium *illud celebre,* S. Laurentii in Escuriali *appellatum, quod ad magnificentiam suam, nec templo Salomonis cedit, & ad Octavum Mundi miraculum refertur. Templum illius habet Hierothecam, Smaragdo, (quem alij falsò Jaspidem appellant, tantâ elegantiâ & pretio elaboratam, ut ei vix similis in*

toto orbe terrarum extet. In hoc Monasterium exstruendum Philippus II Rex, 20 milliones aur insumsit, & Parentis sui Caroli V corpus Granat primò sepultum, huc transferri curavit.

Alcantarilla, *Pons in Palentiæ paludibus, me moratu & spectatu dignissimus est: altitudine n & opere Romano, mirabilis. Ex una parte habe Diversoriū, in quod quietis causa Viatores diver tunt. In Castilia enim duorum aut trium dierun iter confeceris, ut nec pagum, nec oppidum, se ejusmodi Hospitia quæ Hispani* Venta *appellant invenias. Illorum inhabitatores sive Caupones* Messoni *dicti, à latronibus & prædonibus itine ra tuta reddunt, conjunctis viribus & mutuâ co respondentiâ.*

XI. Estremadura, *prius* Bæturia *a pellata, ob hyemis clementiam, quâ ex septentri nalibus Hispaniæ locis, in hanc, pecora abigi solen ut pascuis fruantur, admodum utilis & commen data: cæterùm Æstas hic maximè fervet, unde nec amplas urbes habet. Hanc regionem media interfluit* Anas, *hodie* Gvadiana *fluvius, q medio ferè sui itinere ad castra Vitelliana, sive Villa nova, terrâ, ut supra monuimus, absorbetu & trium milliarium Germ. spatio continuò s terra incedit, donec prope Medelino urbem d*

nuò

nuò emergit. Terræ autem pars, sub qua prædictus fluvius latet, optimè compascua est.

Celebris nunc est in hac regione urbs Gvadalcanal, ob argenti fodinam locupletissimam, quæ singulis ferè diebus 600 thaleros unciales, & annuatim ultra 2 milliones largiri solet.

Gvadalupa civitas habet in suo templo Mariæ imaginem, quam Hispani indulgentiarum causa sæpè adeunt.

Osuna, Academia nobilitata. Præparantur in ea vasa fictilia elegantissima. Ager illius olivis, frugibus & pecoribus abundat. Residet in ea Dux Gironum: Ibi etiam sunt Oppida, Meridan, Badajos, Villa regalis. Quidā etiam Cordubā & Marchenam huc referunt, sed nos rectius ad aliam Hisp. partem eas civitates referemus.

XII. ANDALUSIA, olim Vandalia, à Vandalis, eā tum inhabitantibus, sic dicta. Regio frugum, avium, pecorū, & præcipuè equorū optimorum fœcundissima: unde & ditissima, & quasi Horreum, Armariū & Aviarium Hisp. censetur.

In hac regione est mons excelsus, qui Calpe dicitur, estq; una ex Herculis columnis: altera verò est in Mauritania, quam refert mons Abyla. Dicti hi montes, ut quibusdam placet, Columnæ Herculis, quod olim isti duo montes unum jugū fuerint, quod tamen Hercules diremerit, ut hac

ratione

ratione Oceanus irruptionem, inter illa fecerit. Non desunt tamen, qui putent, has Herculis columnas fuisse æneas, octo cubitorum altitudine, easq; fuisse sitas in Herculis fano in Gadibus, qui sanè locus veteribus extremus terræ terminus censebatur, ultra quem nemo navigare audebat; unde naucleri cum salvi ad Gades appulissent, Herculi sacrificabant & gratias agebant. Mare quod inter has Herculis columnas intercedit, latitudine sua 7 milliaria non excedit, ob idq; Fretum Herculeum, nonnullis etiam Fretum Gaditanum vocatur ob vicinitatem Insulæ Gades, quæ vulgò Calis dicitur; fuitq; olim ampla, magnifica & populosa civitas in ea, eiusdem nominis, Romæ ferè comparanda; cuius rudera piscatores quandoq; in mari adhuc offendunt: nunc temporis Maurorum & piratarum eruptionibus atq; rapinis exhausta, sese recolligere nequit. Habet adhuc multa vetustatis monumenta, ut & Speculam præaltam sive Pharum. Ex pluviali aqua in lacum collecta, Salem candidum coquit. Portu opportuno, & piscium, inprimis thynnorum pingvium copiâ claret. Idem Fretum Mauris dicitur Strecho vel Estrecho de Gibraltar, ab oppido id nominis, quod sub Calpe monte ab ipsis ædificatum est.

Pascua

Pascua huius Insulæ adeò fœcunda & ubera sunt, ut pecora ibidem palantia, tale lac suppeditent, quod non per se, sed commixta lymphâ coagulari, & caseus formari necesse sit; quin, nî menstruè vena pecoribus illis incidatur, nimio abdomine suffocanda metuitur.

Est ibi fons ut & arbor mirabilis: utriusq; descriptio ex Theatro urbium Braunij petenda, vel potius oculitus lustrandæ.

Promontorium habet Punctum de S. Sebastiano dictum.

Inter Gades insulam & terram firmam, egregius est Portus, qui Realis *dicitur, aliusq; Septentrionalior ad fl. Gvadalette* Portus S. Mariæ *appellatus. Nec longè distat alius* S. Lucari *ad Quadalquivir fluvij ingressum in Oceanum.*

Primaria huius Provinciæ urbs est Sevilla, *olim* Hispalis *dicta, sita ad fl. Quadalquivir in forma rotunda, probè munita, & splendidis ædificijs instructa. Emporium totius Hispaniæ florentissimum, hoc Privilegio præ cæteris Hisp. urbibus gaudens, quod inde tantum, & non aliunde naves mercibus, machinis bellicis, & militibus onerata in Indiam occidentalem mittere, & huc ex eadem appellere mercesq; exinanire liceat. Templum illius majus; sive Archiepiscopale, ma*

jestate, dignitate & opulentiâ pollet. Xenodochia ultra 120 egregiè dotata habet. Monasteriorum magna ibi est copia: Indica domus, la casa de la contraction de las Indias *dicta, visu est dignissima. Aquæ ductus ibi etiam structurâ & sumtu insignis est. Hic adhuc adservatur navis* Victoria *dicta, quâ primùm universum terrarum orbem* Sebastianus Cano *circumnavigavit. Nati in hac urbe sunt* Isidorus *Episcopus, &* Benedictus Arias Montanus, *Theologus Scriptis uterq; clarissimus. In suburbio australi* El tablado *nuncupato plurima antiquitatis monumenta, veluti tymbi, lapideæ ac vitreæ lampades, urnæ, numismata &c. eruuntur. Altera ex parte, urbis antiquæ & theatri ruinæ videntur, inter quæ S. Johannis del Foratche prominent.* Ierenna *quoq; locus prope urbem hanc famosus est, ob saxa ibidem in circuitu mirabiliter (fortè per terræmotum) disposita. Juxta urbem, visitur etiã Domus amplissima,* El Mattaredo *nuncupata, mactationi pecorum destinata, in cuius campo, ante mactationem, Venatio taurorum cum molossis, spectatu jucundissima, institui solet. Ager Hispalensis, totius Hispaniæ, frumenti, vini, olei & omnis generis frugum feracissimus est, & præter cætera nemus habet, ad 30 leucas expansum, oleis*

tantum

tantum consitum. *Vulgò in Hispania dici solet:* Homini, quem Deus amat, Hispali domum largitur & victum. *In ea siquidem multo melius vivitur & abundantius, quàm in alia totius orbis urbe.*

Corduba, *quæ nunc* Cordova *appellatur, olim amplior atq; populosior fuit urbs atq; nunc est: restant adhuc theatra multa vacua. Situs illius est, inter montes & planitiem, ad stuporem usq; amœnus, & quasi paradisiacus, Rosis aliisq; fragrantibus floribus, inprimis verò fructibus aromaticis ita affluit, ut ad eorum svaviolentiam captandam, leni spirante aurâ, senes de die circa hortos obambulent, juniores noctu per eosdem eapropter discurrant. Aliquando etiam Punica, Persica ac Citrea mala integra adhuc, novorum fructuum superventu, per agros & sterquilinia abjiciuntur; imò etiam, non modico impendio, ex arboribus mala nondũ matura, sæpè decutiuntur, ne superfœtantes flores impediant. Ab hac urbe dicitur* Corium *illud nitidũ sive levigatũ* Cordubense, *in hisce oris probè notũ, vulgò* Kordowanisch leder *appellatum. In hac urbe vixerunt* Seneca, Lucianus, Avicenna, Averrhoes *&* Rasis. *Viscera illius terræ gignunt aurũ, argentũ vivum & stibium. Æs Marianum, quod in*

montibus

montibus vicinis Sierra Morena *hodie dictis effoditur, Plinius maximè commendat.*

Almaden, *oppidum sub Cordubæ imperio, argenti quoq; vivi ferax est, & quidem duplicis; unum enim ex lapide fluens, pretiosum & virgineum dicitur: alterum simplex ex terra eruitur.*

Marchena, *condita est in colliculo uberrimâ planicie cincto. Sedes est Ducis Arcobrigæ, qui & Palatium munitum ibi habet, cui vicinum est Monasterium, in quo viduæ Ducum, aliquando religioni sese addicunt. Profert equos adeò nobiles, ut sæpè suos Dominos, expeditissimo cursu, ex maximis periculis liberent, ideò reliquis longè sunt carioris pretij, & quandoq; unus mille coronatis constat: vulgò* Gianetti *dicuntur.*

Nebrissa, *patria* Ælii Antonii Nebrissensis, *Scriptoris nobilissimi, in amœno & fertili solo posita est, oleis & vinetis abundat. Vasa lutea & fictilia ibi præparata maximè commendantur.*

S. Lucar *obtinet portum tutissimum, ex quo commodè in Americam navigatur.*

Chaen, *ad rivum Trio sub se habet* Baecam, Ubedam *&* Clustro *sive* Andujar.

Xeres de la Frontera, *civitas ita vocatur, quod omnium prima muris, foveis & turribus septa, in ista regione se offerat. Domicilium est pluri-*

plurimorũ Nobilium & illustrium virorum. Arva uberrima habet. Tantam vini copiam profert, ut octuaginta ferè millia vasa annuatim eo impleat. Nobiles in puteis subterraneis frumentum per multos annos conservant, quæ tamen, sine peculiari veniâ Magistratus, illis reserare non licet.

Conil, insigne oppidum ad Fretum Herculeũ sive Strictum de Gibraltar, quæstuosa thynnorum piscatione nobile, ex qua annuatim tonnam auri Dux illorum colligere solet. Ornata est arce Ducali. Habet & noctilucam turrim, pro observatione Turcarum, Maurorum, aliorumq́ hostium adventantium, constitutam.

Vegel, Oppidulum ad Estrechia de Jubraltar locatum est. Incumbit colli, unde prospectus in Africam usq́, ultra mare patet.

Settenil, in monte adeò mirabiliter ædificatum est, ut plures habeat domos subterraneas, cavernosas in rupibus excisas, quàm foris proeminentes. Solum eius asperum & lapidosum, arari culturam non fert. Pascua tamen habet.

Archidona, rei rusticæ & pecuariæ studet; sita ad montis radices. In vertice illius montis castrum vetustate collapsum sustinet, in quo Mauri olim sua tenuerunt, adversus Christianos, præsidia.

præsidia. Non procul ab hoc oppido præcelsa est rupes Amantium, *vulgò* Lapenna de los enamorados *dicta, ex qua duo amantes, juvenis & virgo, regis filia à Mauris insecuti, mutuo amplexu præcipites sese dederunt. Ad cuius rei memoriam in rupis cacumine crux erecta cernitur.*

Ecya, *à lanæ mercatura, celebre oppidum à fl. Xenil irrigatur, qui, lanæ purgandæ & pecorum morbis curandis, maximè idoneus est.*

Hardales, *in Hispalensi agro arcẽ habet Maurorum præcelso in monte constructã: Aquæ ductũ continet. Elysiis amœnitatibus nobilis est.*

Bornes, *Oppidum in loco plano & fœcundo situm, juxta se steriles & saxosos habet montes.*

Zahara, *oppidum eiusq; castrum in prærupta & alta petra ædificata sunt, ultimi belli Granatensis, contra Mauros occasionem dederunt.*

Cabecas, *Oppidulũ in montium aditu situm. Urbs quondam melior fuit, quod rudera & mœniorum vestigia docent. Non longe ab eo distat mons* Sierras de Ronda *dictus. Ex re agraria vivunt incolæ.*

XIII. GRANATA, *Maurorum (Anno Chr. 1491 inde expulsorum) tempore excultior provincia fuit atq; nunc est; nihilominus tamen & hodie eius planities tantis honoratur proventibus, u*

bus, ut ex solis Mori arboris folijs, quibus bombyces vescuntur, præter multas serici libras, 30 millia Coronatorum quotannis in vectigal regium inferatur.

Hoc regnum nomen habet ab urbe magna, regia quondam sede, serici commercij clara Granata, cuius amplitudo statuitur sesqui milliaris Germanici. Circiter mille turres continet: Illi sunt & duo colles, in quorum medio Vallis est, per quā labitur Barus fluv. Habet Templum mirabili architecturâ fabrefactum, sepulchra regum continens. Est etiam in ea regia domus Arx nova dicta, seu Palatium, quod ob eius artificium & fontium multitudinem inter orbis miracula censetur. Antiqua Maurorum regia adeò ampla ibi est, ut præsidiarios 40 mille, commodè admittat. In suburbio Antiquerulani byssum, holosericum, Carmesinam, Damascenam & similes sericeas telas copiosè conficiunt.

In Malaga civitate fictilia vasa nitidissima præparantur; estq; ad littus maris exposita in solo fructifero, ideoq; à Belgis plurimum frequentatur. Adeò est munita, ut vicem propugnaculi, contra Africam obtineat. Armamentario regio & Episcopali sede ornata est.

Cartama,

Cartama, *vicinum Malagæ oppidum, ad montis maximi radices situm cum Castro. Illius sylvæ glandibus & gallis abundant, ut & herbâ* Smak *dictâ, cujus usus ad paranda hircorum coria,* Corduana *appellata, conducit. Capparum etiam habet copiam. Vicini montis una pars dicitur* la Sierra, *altera* la Cerquia: *utraq; uvas passas, saporis optimi, lætâ copiâ præstat, nec non amygdala & ficus.*

Alhama, *thermis saluberrimis gaudens, in valle, sub rupibus montium præcipitibus, locum habet.*

Antiquera, *olim Maurorum, ob loci amœnitatem, regia, salis cocti fœcunditate, lapidum & gypsi fodinis, nec non figulina ac vasis Borcellani commendabile oppidum. Castrum habet in montis vertice* Alcassalia *dictum, cuius portæ omnes sunt ferreæ. Montium adjacentium fauces aspectu sunt horrendæ.*

Velis Mallaga, *solum habet fructibus aromaticis affluens. Castrum Maurorum, in vicino monte venustè conspicitur.*

Loxa, *oppidum, meritò* Granatæ Pom[a]rium, *ob variorum fructuum copiam, dicendum. Vicini illius montes ovibus pascua læta præbent, ideoq; lacti[cini]is [o]ptimis hic locus affluit.*

Sunt & Granatæ oppida Lera, Alcala reale, Quadix, Adera, Basa *&c.*

XIV. MURCIÆ *regnum nomen sumit à Civitate ejusdem nominis, quæ est regni caput, in hac optima fiunt vasa, ex creta, & mira serici itq; holoserici quantitas. Regio ipsa paucas habet habitationes, easq; viles, ob montium asperitatem & planitiem, parum aquis irriguam. Commendatur præcipuè à portu tutissimo & capacissimo* Carthagene, *quæ Civitas est, lanâ negotiationem suam instituens, eamq; ultra mare promovens. Olim celebris fuit ab argenti, fodinis ditissimis, quæ jam exhaustæ sunt.*

XV. VALENTIA *nomen habet à* Valentiâ, *emporio ejus sumtuoso, ad Sinum Succronensem & Thurium sive Quadalabiar fluvium sito, à sede Episcopali, laudabili politiâ, antiquitatibus Romanis, Academiâ & Concilio quondam ibi habito, claret. Perpetuo habet citreos virides & florentes, ad parietes conclavium, etiam in hyeme: adeò amœnissima est Hispaniæ Civitas. Ager hujus urbis ubiq; à Mauris colitur. Scaliger hanc urbem ita perstringit:*

Una tibi ante oculos populi ponatur imago
Cætera jam ex illa natio tota patet.
Ægra Ceres, regio torrenti infamis ab æstu

Arida Cerberea m collige t aura sitim.
Nusquam tutus ibit rapido latrone viator
Nam probus & pius est tollere ludus opes.

Incolæ totius Regionis, quia effœminati & voluptatibus plus nimium dediti sunt, à reliquis Hispanis contemnuntur, & Peniti, *quasi* Voluptuarii *vocantur.*

Fluvios habet nobiles permultos, inprimis verò unum, Gvadalabiar *dictum, cujus ripæ utrinq; rosis sunt consitæ.*

Sunt in hoc regno præter cæteros, duo Monte Mariola *&* Pena gloloſa *stirpibus & herbis variis refertissimi, ad quos Botanicorum turba passim confluit.*

Habet & argenti fodinas in loco quem Buric *dicunt. Ad Promontorium* Finistrat *sunt ferri fodinæ. In* Picacenz *alabastrum effoditur & passim alumen, rubia, calx, gypsum. Vascula etiam Porcellana ibi conficiunt æmula Italicorum.*

Ad ripam Gvadalabiar fl. sinistram, stetit olim Saguntus *constantiâ suâ in Romanos & fame pertessâ nobilitata, hodie* Morvedrum *à muris veteribus dicitur.*

Alicanta, *civitas à portu & vino est insignis. Sunt & ibi oppida* Segorbia, Denia, Lera, Oliete, Beiar *&c.*

Vium

Vicini Valentiæ regno fuerunt versus boream Celtiberi, *quorum civitas fuit* Bilbilis, Martialis *Poëtæ patria, nunc* Calatajot *dicitur.*

XVI. Arragonia *est regio aspera, sicca & parum inhabitata, maximè versus montes Pyrenæos. Metropolis ejus est* Caragossa, *olim* Cæsarea Augusta *dicta, & splendidis ædificijs, nec non civilitate civium clara. In hac urbe Reges Hisp. ab Archiepiscopo ibidem residente, coronari solent. Cætera oppida appellantur* Huesca, Tyriassona, Calajuta, Barbastum, Monsonium *sive* Moncon, Fraga, *sive* Zverra, Gurrea, Aierbium, Urgella, Calaguris-Nassica, *cujus cives à Pompejo obsessi, uxores suas & natos præ fame mactarunt, sale macerarunt & devorarunt.*

XVII. Catalonia *ultima est pars Hispaniæ: ejus Metropolis* Barzelona *dicta, miram antiquitatem redolet. Ædificiorum elegantiâ, platearum munditie & rectitudine reliquis civitatibus ferè præferenda. Agrum habet ex irrigatione amnis Boetuli lætissimum.*

Tarracona, *urbs opulentissima, à Concilio quondam ibi instituto, famosa.*

Lerida, *Academiâ & mercaturâ celebris.*

Moson, *peramœna civitas est, in quam tertio quovis anno Rex, pro reditib⁹ suorũ Regnorũ perci-*

 piendis,

piendis, se se confert. Cætera oppida sunt Donchosa, Chirona, Colibra, Vich, *ubi agrestes & inhumani reperiuntur incolæ:* Cardona, Salsona, Monferrato, *ubi imago Mariæ summâ reverentiâ colitur.*

CAPUT IV.

DE GALLIA.

GALLIA, *secunda Europæ regio, nostro seculo non æquè latè patet atq; olim: nam & Italiæ pars quæ* Gallia Cisalpina, *vel* Citerior, Togata, Italica, *ut &* Fonsa, *quondam dicta fuit, nunc autem* Lombardia *appellatur;* Gallia *insuper* Belgica, *Rheno, Scaldi, Mosæ atq; Mosellæ fluvijs vicina, similiter* Helvetia, *hodiè Germaniæ adscribuntur.*

A Septentrione Oceanum Britannicū & Belgii, ab occidente Oceanum Aquitanicum, & Pyrenæos montes; à meridie mare mediterraneum, ab ortu vero Helvetiam & Alpes in confinio Italiæ, habet. Jacet, respectu cœli, in Zona temperata Septentrionali à Parallelo 13, si Æquatorem connumeramus, & desinit in 18vum ferè Parallelum ut ita ab initio ferè Climatis Septimi, in medium usq; Nonum extendatur: habeatq; in Australibus terræ locis diem maximum, horarum 15, in Septentrionalibus horarum 16, min. 15, atq; ita differentia

ferenti

ferentia sit; horæ unius cum quadrante, quâ dies in Gallia inter se variant.

Longa est 115, lata 127, in ambitu 485 milliarium Germanicorum ferè.

Hisce temporibus dividitur in tres partes, 1 in Aquitaniam, 2 Lugdunensem & Narbonensem.

Aquitania *sub se habet 17 provincias:* Bearniam, Bigorniã, Gvasconiam, Gviennam, Comingiam, Querci, Perigortium, Sanctoniam, Pictaviam, Limovicum, Arverniam, Berri, Turoniam, Saloniam, Borbonium, Forestum & Vallai.

Lugdunensis *tractus complectitur 11 provincias:* Britanniam, Nortmanniam, Anio, Maine, Beause, Franciam, Picardiam, Campaniam, Burgundiam, utramq; Bononiam & Lotharingiam.

Narbonensi *Diœcesi subsunt 4 provinciæ:* Langvedocia, Provincia, Delphinatus & Sabaudia, *Quas omnes, 32 in una summa, Galliæ partes, speciatim pòst considerabimus.*

Stagnis atq; Lacubus amplis destituitur, excepto lacu Genevensi.

Fluvij *præcipui 5 sunt, 1* Garonna, *2* Ligeris *sive* Loire, *3* Sequana *vel* Seyne, *4* Rhodanus,

danus, *vulgo* le Rhosne; *s* Arar, *sive* la Saone.

Sinus *primarij sunt*, Aquitanicus, Diepæ, Constantiæ, Gallicus major & minor, Gamblacitanus.

Portus *celebriores sunt* Staliocanus, Ictius *alijs* Caletanus Brivates, Vindana, *hodie* Fenstiers *sive* Conquest, Secor, Lusson, Rochelle.

Montes *eminentiores appellantur* Pyrenæi Alpes, Montes Alverniæ, Vogesus, *hodie* Mont de Faucilles *dictus*, Mons S. Claudi; Gebennæ, *cum jugo suo* Tararo *dicto*, *per quo iter Lugdunum versus patet, ideò ad illius rupe* la chere de la verite, *Mercatores, novitios Nu dinatores Lugdunenses, collocare, examinare, in suam societatem, deposito honorario, recipere s lent. Inter multos dictorum montium ramos, e unus, qui* mons Aureus *dicitur, ab herbarum simplicium copia nobilis. Convalles thermis plur mis gaudent.*

Sylvis quidem, sed non adeò densis, abunda In Lugdunensi districtu sunt Les Forests Versay, Longulney, Persi, Sille, Charna Audain, Maine *&* Concise. *In Britannia s* de Bostblane, de Toriant *&* Gvierche. *pud Pictones sunt* Les forests de Mouliere

Dyr

Dyne, Bresse, Ligne. *Biturigum primaria sylva est* S. Roberti. *Andegavenses habent sylvam* Loursaje *&* Marson. *Bononiensis universus tractus sylvis circumdatus est, quarum partes dicuntur* Les bois de surene, Celles , Hardelot, Dalles, *&* Boursin. *Versus Peronam sunt* Recoigne *&* Beuhan: *In Picardia,* Bois de Bayne, de Beaulieu, de la Fere, *&* de Coussi. *In Lotharingia* Varnet *Sylva,* Le Bambois, Bois de Mondon, de Heyde, de S. Benoit, de la Voyge , Mortaigne *&* Doseyne. *Burgundia passim quoq; sylvulis referta est.*

Ducatus Galliæ sunt 18; Horum Ducum etiam sunt 35 comitatus hæreditarij. Præter hos sunt alij 14 Regij.

Sunt in hoc regno Archiepiscopi 17, quibus alij Episcopi 108 subsunt. Alij tamen autores plures, alij pauciores constituunt.

Duo ferè trientes, regni Gallici, ad sacrificulos possessione vel dominio pertinent: hinc reditus annuus Ecclesiasticorum sese extendit ad 20000000 Coronatorum. Reditus verò annuus universi Regni ad 15 milliones auri.

Parlamenta 8 habentur. Pares Franciæ antiquitùs 12 numerantur.

Academiæ sunt 22: Prima est Lutetiæ Parisiorum,

orum, 2 Tholosæ, 3 Burdegalæ, 4 Pictavij, 5 Biturigibus, 6 Andegavi, 7 Aurelijs, 8 Dolæ, 9 Montepessulano, 10 Luguduni, 11 Valentiæ, 12 Montalbani, 13 Nemausi, 14 In Pont de Musson, 15 Rhemi, 16 Salmurij, 17 Carpentorati, 18 Gratianopoli, 19 Cadurcæ, 20 Bisanzij, 21 Sedani, 22 Cadomi. *Et hæ omnes vulgo* Academiæ *appellantur; licet quædam tantum Gymnasia sint; cum competentibus Privilegijs non gaudeant, & saltem uni atq; altera Facultatum in ijs publicè proponatur. In multis Jurisprudentia tantum docetur.*

Nobiles familiæ creduntur in hoc Regno esse bis M. supra C M. & L. Feudorum 70 millia, Civitatum 400, Pagorum 27 mille. Incolarum in universo Regno ultra 15 milliones. Quod ad munitiones attinet, non alia est Regio, in qua earum major numerus sit.

Solum Galliæ fertilitate, amœnitate, cœli salubritate & temperie nulli Europæ parti cedit. Tritici tam est ferax, ut Gallia Hispaniæ Horreum *vulgo dicatur. Sunt inprimis huic Regno qua*tuor Magnetes, *qui foris ad se pertrahunt pecuniam 1 Frumentum. 2 Vinum. 3 Cannabis sive Tela, & 4 Sal, qui longè Hispanico vegetior & suavior est. Ferro, Croco & Glasto abundat. Lapides il*

pides ibi renaſcuntur & lapicidinarum hulcera ſpontè complentur iterum.

Sunt autem Galli corpore compacto, animo vigili, ore libero, alacres & ad arma proni, leves, ſubroſtrarÿ, judicio & literis præſtantes, litigatores, aleatores, venerei, luxurioſi, in veſtitu novatores, in carpendo cibo ſordidi, feſtini, monomachi.

Sequitur deſcriptio XXXII partium Galliæ.

I. BEARNIA *ad Pyrenæos mõtes conſtitutá dividitur in ſuperiorem & inferiorem. Superior metropolin habet egregiam* Oleron. *Inferior, intra valles ſita* Leſcarem *habet Civitatem &* Pau *Parlamento & Arce ornatam. Sunt & ibidem præſtantia oppida* Nay, Navarrins *muniſsimũ,* Ortes, Morlas, Bajona, *arx ad mare.*

Incolæ hujus partis Galliæ, præſertim in Vallibus degentes, ſunt aſpectu hilares, agiles, libertatis amantes, & ad arma expediti. Reditus optimos colligunt ex milio & capris.

II. BIGORNIA *Comitatus eſt nonnihil à Bearnia verſus ortum vergens, cujus metropolis* Tarba *ad rivum Adurro ſita, in quatuor partes diviſa eſt.*

Lorda, *locus eſt benè munitus, ut & oppida*

ferè omnia in hoc Comitatu.

Baigneres, *aquis calidis claret. Incolæ sun. Fabri lignarij, audaces, ad iram proni.*

III. GUASCONIA *Comitatum* Armeniacum *&* *Ducatum* Albredanum *continet. Comitatus Armeniacus sive* Armignag, *habet oppidum* Aux *in rupe locatum ad fl. Gers. Reside ibi Archiepiscopus Auxitanus.*

Templum illius Cathedrale totius Galliæ e ditissimum & pulcherrimum.

Lesture *sive* Laictoure, *in jugo montis est fontibus & munitionibus nobilis civitas.*

Supra hanc ad Bache fl. est Condon, *iten* Nerac, *quod oppidum est ditissimum ad fl. la Bi ire situm. In arce illius Parlamentum edictale in negotijs & religionis inter Reformatos & Pon tificios haberi solet. Consiliarij illius ex parte r formatam, ex parte Pontificiam religionem s ctantur. Prope arcem est Hortus, cui vix par e alius in tota Gallia & Italia. Sylvula etiam i est amœnissima, cum ambulacris, odoratis arbor bus cinctis.*

Ducatus Albred *non admodum habitabil est, ob agrorum sterilitatem & defectum Portuum.*

Primarium ejus oppidum est Dax, *therm*

salin

Salinis, ferro & bitumine clarum.

IV. GVIENNA, *deserta ferè provincia & locustarum incursionibus obnoxia, habet Metropolim* Burdigalam, *vulgo* Bordeaux, *Patriam* Ausonij *Poetæ, ad Garonnæ fl. in plaudibus sitam. Ornata est Parlamento, Archiepiscopatu, Academiâ (in qua omnes Facultates docentur) & Portu, propter affluxum & defluxum æstûs marini, tutissimo. Visu etiam digna maximè ibi sunt 1 Curia Parlamenti. 2 Curia Civitatis, ob tres statuas Marmoreas. 3 Templũ Tutelarium. 4 Templum D. Andreæ, cum suo Organo. 5 Arx Italorum. 6 Alia Arx munitissima regia. 7 La Bersa, sive Aula mercatorum. 8 Armamentarium. 9 Palatia Ducis de Conde & Espernon. Extra Urbem sunt 1 Palatium Galieni, sive Amphitheatrũ. 2 Templũ S. Severini, cum Cœmiterio celebri, ob magnam capulorum lapideorum ferreis ligamentis connexorum, copiam: ex hisce capulis unum sub Plenilunio repletum est aquis, sub novilunio siccum: quod tamen saltem per rimulam, quia aperiri non potest, observandum. 3 Ræmundi Hortus cum Antiquario. 4 Cardinalis de Sourdis Hortus ac Palatium. Numerantur in hac urbe 30 millia Civium. Plateas obtinet latas, & ædificijs præclaras, quas multi etiam Mercatores Portugallenses,*

margaritis

margaritis & gemmis negotiationes suas exercentes, incolunt.

Cadillac *superbit arce magnificentissimâ, quæ nullam in universa Gallia sibi parem habet.*

Blaiæ *insigne est fortalitium & clavis Galliæ, Patria* Rolandi, *Caroli M. nepotis, in qua & sepultus dicitur. Non procul ab urbe locus est celebris,* la garde du Roland *dictus. Hinc facile pervenitur ad Præstantissimam Pharam, quæ* Corduana turris *appellatur, ad ostium fl. Garumnæ condita.*

Burgo *est etiam Gviennæ oppidum, ut &* S. Macaire, *ubi præstans habetur Collegium Iesuiticum.*

Liburne *perelegans civitas sita ad navigabilem fluv. Dordone, qui uti fl. Garumna crescit & decrescit.*

V. COMINGIA *Comitatus duplex est.* Superioris *duæ sunt Civitates;* Sanct Bertrandi *ad Goronnam fl. &* Conserans *ad Lagiere fl. Incolæ ex re pecuaria vivunt.*

Sunt ibidem & oppida S. Beati, Mon regio *&* Salces.

Inferior *Comitatus habet oppidum* Lombres *ad Salve fl. ubi abundantia vini est et frumenti.*

Muretum *ad Garumnam fl. gaudet agro fertili.*

Comingiæ *adjacet Insula* Iordan *dicta*, *item* Chimentam, Mirande, Rieux, *ad Garumnam fl.* Foix *est Comitatus à Civitate ejusdem nominis dictus, in quo & Episcopalis sedes* Paniers *dicta*.

VI. QVERCY, *sive* Nitiobrigium, *regio amœnissima est, ob vallium planitiem, & fluviorum varietatem, quæ armentis & piscibus abundant, & carbones lapideos producunt. Primaria ejus urbs est* Cahors *in colle exstructa, sat pulchra, dives & Musis clara*.

Montauben *in edito & fructifero colle sita, valde munita & præstans urbs, Academiâ Reformatorum clara, ut & Ponte super Tarnam fluv. longissimo, & totius Galliæ altissimo, eminens. Fontem habet admirabilem. Multas adversitates in quinis obsidionibus perpessa est. Cultri & forfices in ea parantur optimæ.*

Agen, *urbs commercijs celebris, ob Garumnæ, Dordonnæ & Lothi, fluviorum vicinitatem. Rudera vetusti Pontis ostentat. Sedem in ea tenet Gubernator Aquitaniæ & Vasconiæ. Habetur item hic Seneschallus. In hac urbe (quam tamen alij ad* Perigortum *referunt) vixit* Julius Cæsar Scaliger, *cujus adhuc domicilium & in Monasterio Franciscano sepulchrum extat, cum hac*

Epigraphe:

Epigraphe: JULII CÆSARIS SCALIGERI, QUOD FUIT. *Patria est* Josephi Justi Scaligeri.

Moissac *Civitas vetusta ad Tarnim fluv. commendatur à pulchris plateis, opulento Monasterio Benedictinorum, in quo requiescit S.* Cyprianus. *Cives variæ mercaturæ student.*

VII. Perigortum, *regio saxis & montibus aspera, non frumento quidem, sed castaneis, herbis præstantissimis, terrâ medicâ, porcis, ferro, ut & piscibus, ob amnium copiam gaudens. Fert & vinum, sed tenue & austerum. Incolas habet firmos & vivaces, ob salubrem aërem. Metropolis ejus* Perigueux *sita est in convalle, ad Lille fluv. quæ & regioni nomen dedit. Rudera Amphiteatri, ethnica turris, Templum S. Stephani, ut & S. Front Visu digna sunt. Plateas habet angustas, sordidas, domos simplices, fœmellas turpes, idioma corruptum. Ob Seneschallatum & judicium provinciale ornata est singularibus Privilegÿs.*

VIII. Sanctonia, *vulgo* Xantoine *ob fertilitatẽ suam* Margarita Galliæ *dici meruit.* Saintes *est Metropolis & Episcopalis ad Charante fluv. civitas: habet vestigia antiquitatis, præcipuè Amphitheatri, Aquæductûs, arcûs Trium-*

phal

phalis, & viarum subterranearum muris munitarum.

Ponts *Civitas ornata est arce excelsâ, munitâ ad fl. Singonam: hortis etiam amœnis gaudet.*

Angoulesme, *ad flumen Sciaratam, partim in monte, partim in valle exstructa & probè munita Episcopalis civitas est.*

Rochella, *sive* Rupella, *urbs munitissima, partim ex situ, partim ex arte & opere. Habet enim ad levam mare, ad dextram paludosam terram, quâ accessum prohibet. Ante & pene munitiones optimas, quibus similes in Gallia non reperiuntur. Habet portum insignem, qui eam ditat. Ad mœnia urbis turris pyramidalis est, præ se ferens laternam, quâ nautis noctu laborantibus signum dari solet. Privilegijs præ cæteris Civitatibus gaudet, sed aliquoties graviter, causa religionis reformatæ, cui cives addicti hactenus fuerê, oppugnata, & tandem Anno 1628 à regio exercitu per famem expugnata est. Præses urbis,* Major *dictus dignitate & authoritate reliquos, in alijs Galliæ partibus, semper superavit, a cujus & honorem Festum Ascensionis Christi annuatim tanta cum solennitate & pompâ celebrabatur, ut ex plurimis Galliæ angulis turba ejus videndi gratia confluxerit. Sed hic mos fortè no-*

viter

viter abolitus, & autoritas Majoris, per expugnationem urbis fracta est.

IX. PICTAVIA, vulgo Poictou dict. regio est frugum, pecoris, lanæ liniq; feracissima vino, frumento dives, avium ac ferarum qua peculiare domicilium, inde aucupio & venatio nibus incolæ sunt addictissimi. Viperis abundat quæ captæ pro Theriaca præparanda Venetia mittuntur. Tres in hac sunt Episcopi, qui Tolosa no Archiepiscopo subsunt 1. Pictaviensis, 2 Lu sonensis, 3 Mallacensis, Diœceses, sive Abbatiæ i universum hujus tractus sunt mille ducentæ.

Metropolis est Pictavia, Poictiers, sede piscopali, Academiâ & antiquis monumentis ur memorabilis, magnitudine sua Lutetiam ad quans; at non est tam populosa, nec elegans. A des habet ligneas. Intra mœnia passim obtinet pr ta, vineas & agros. Obsidionibus & direptionib multis, præsertim Anglorum, exposita fuit. Vi ibi digna sunt: 1 Templum primarium D. Petr 2 Templum S. Hilarij, qui Episcopum ibi egit. Athanasius etiam in hoc templo docuit. In eode est lectulus, furiosos in illo decumbentes, ratio (ut vulgo creditur) restituens. Habet & tum lum, ex lapide pessimè olente, confectum, qui c davera imbi posita, spatio 24 horarum consume

dicitur. Adjunctum templo est Monasterium, cujus Abbas ipsemet Rex est. 3 Templum de nostre dame la grande, in quo B. Mariæ Virgini, dextrâ manu claves portæ urbis tenenti, singulare miraculum cives attribuunt, eamq; ob causam Solemnibus Paschalibus, processionem generalem ad portas urbis instituunt. 4 Palatium curiæ præsidialis sine columnis. 5 Collegia Universitatis. 6. Amphitheatrum ex rupe constructũ. 7. Lapis ingens formâ ovali, super quinq; alios positus, extra urbem, cui viatores pleriq; memoriæ causa, nomen insculpere solent. 8 Locus alius saxosus extra urbem, transitu difficilis ac periculosus. 9 Monumentum famosæ illius Melusinæ. *10 Sambucus vetustissima. 11 Palatium Regium. 12 Cutis Crocodili. 13 Ceimiliarchia Pauli Contanti, Pharmacopolæ. Puteis hæc urbs caret, ideò aqua per muros in civitatem vecta venditur. Urbem circumdat Clanus fluvius. Ab hac urbe patet prospectus ad* Montem Henrici. *Circa* Poictiers *visitandæ sunt arces* Bonnivet, *item* La fosse, *S.* Pierre, Champigni, Rochefaulcaut, *Abbatia* Charaux.

Chastelleraut, *ad Vigennam fl. à turribus portarum crassis, optimis cultris & forficibus, nec non lapidibus Adamanti similibus nobilitatur.*

Luſson. & Mailecai *ſunt Epiſcopales ſedes.*

Luſignanum *arcem habuit munitam, quam ſedem olim fuiſſe dicunt Lamiæ illius* Meluſinæ, *clamoribus feralibus, ante fatalem terminum Regum & Principum, quondam infeſtam. Arx illa & turris Meluſinæ Anno 1573 ſolo æquata eſt.*

Iuliodunum *oppidum laudatum habet panem croco coloratum.*

Dove *oppidulum famoſum reddit Amphitheatrum 12 millium hominum capax, uno in latere ex unico ſaxo exciſum eſt, ſub ſe habens aliquot cryptas, in quibus feræ olim fuêre reſervatæ, ad dimicandum producendæ.*

X. LEMOVICCUM *caret tritico; habet tamen cæteras fruges, ut & caſtaneas cum rapis & uvis ignobilibus. Duos habet Epiſcopatus, raras urbes ob hominum infrequentiam. Incolæ perverſiſsimè Gallicam lingvam loquuntur. Fœmellæ deformes, ſed admodum caſtæ. Dividitur in* ſuperius, *quod planius eſt & metropolim habet* Lemoviccum, *vel* Lemoſin, *arce muriſq; munitum. Eſtq; Civitas longa, non lata, adjacens monti, & in vallem extenſa ad Vigennam fluv. Epiſcopatûs gaudet dignitate & mercaturâ valet. Ædes obtinet quidem præaltas ſed ligneas. Baſilica ad S. Stephanum, Collegium Jeſuiticum &*

Aul.

Aula Episcopalis spectatu digna sunt. Commendatur hæc civitas ab artificiosis fabris cultrarijs, & quibusdam ingeniosis opificibus les Mabreaux *dictis.*

Inferius *montosius est* superiore, *& primariam habet urbem* Tutelam, *vulgo* Tule *dictam, in aspero loco, atq; montoso ædificatam. Habet &* Usarchi *oppidum ad flumen Veciram, quod expugnari non posse Galli dictitant, ut etiam proverbio utantur :* Cui Usarchæ est domus, Arcem is posſidet in Lemoviccum ditione. *Situs ejus est peramœnus, ut &* Brivæ *oppiduli, planitiem fertilem habentis.*

XI. ARVERNIA, *sive* Avarnia *in* Superiorem, *quæ meridionalior est, &* Inferiorem, *quæ septentrionalior est, dividitur.* Superior *inter montes collocatur, frumento ferè caret, at armentis abundat; unde multum caseorum & butyri colligit.*

Habet metropolim S. Flour, *quæ in monte saxoso sita, inexpugnabilem sese exhibet. Habet sedem Episcopalem & Præsidialem.*

Inferior *planior fertilissima est frugum, fructuum, vini, croci mellis, piscium, argenti, thermarum, aquarum & lapidum mirabilium. Ejus Metropolis appellatur* Claromontium, *dispositū*

in monte

in monte sensim assurgente. Circumdatum collibus vineis ornatis. Arce & Episcopali sede claret. Probè munitum est, ut & alia hujus provinciæ oppida. Visu digna habet hæc urbs: Archiepiscopale Templum, Xenodochium, Palatium regium, Oenopolium, Puteum S. Petri, & Puteum ad Aulam Archiepiscopalem situm, Pontem mirabilem super fluvium Tiretaine, Abbatiam S. Illidij, Officinas nobilissimæ papyri totius Galliæ.

Montforand *elegans civitas gaudet sede Præsidiali.*

Rion *Curiam provincialem & Seneschallatum obtinet.*

Prope Besse *oppidum est lacus, in quem lapis projectus tonitrua, fulgura & tempestatem pluviosam, vel grandines excitat. Idem præstat vicinus Specus* Soucis *dictus.*

XII. BITURICENSIS *Ducatus, vulgò* Berry, *dictus est segetum, pecoris viniq; fertilissimus.*

Metropolis ejus olim Avaricum, *nunc* Bourges, *sive* Bituriges *nuncupatur. Alluitur ab Aurone fluvio. Una est è maximis Galliæ civitatibus, ferè inexpugnabilis, quod undiq; fluminibus & paludibus circumsepta sit. In oblongiore forma est ædificata, in agro plano & fertili atq;*

amœno. Textrinâ maximè excellit. Commendatur ab Academiâ, turri excelsâ, foro hebdomadali, Ædificijsq; splendidis, inprimis Ædificio Dominorum de l' Aube spine, cum sua crypta milliare longa, Domo Teutonica, Sacello Salvatoris, Templo Cathedrali Argentinensi conformi, alijsq; multis templis collegiatis, monasterijs, sede Archiepiscopali, Palatio Regio: Septem Suburbiis gaudet. in quorum uno est Monasterium magnificum atq; munitum S. Sulpitij. Carcer Ludovici XII visu etiam dignus ibi est. Studium Juris in ea à longo tempore floret, hinc & Cujacius *ibi sepultus est, ut & alij I. C: præclari. Veteris urbis ruinæ nec magnis sumptibus, hactenus demoliri potuerunt.*

Vicina civitas Henrichmont *nova & elegans est.*

Hujus Ducatus oppida munita censentur 33, è quibus sunt Issodunæ, *arce & magno suburbio notum:* Sancerra, Castenosso, Viertson, Nehum *&* Concresont.

XIII. Turonia *est provincia valde angusta, sed propter suam amœnitatem* Paradisus Galliæ *dici meruit.*

Ejus metropolis est Turonum, *vulgo* Tours, *Ligeri vel Loire fl. alluitur. Antiquitate, Concilijs, Arce, Archiepiscopatu, cui olim D.* Martinus *præ-*

nus *præfuit, lanificio & byssi texturâ, ludo palmario, portâ Hugonis, unde* Hugonotti *(ut quidam volunt) nomen adepti sunt, sacro oleo, & templis S. Martini & Gratiani nobile est.*

Blois, *sive* Bloesa, *ad Ligerim amnem condita, sæpe ob aëris clementiam et loci amœnitatem sedes est Regum & Magnatum valetudinem suam curantium. Ob eandem etiam causam in hac urbe regia proles, & Ambasii educantur. In hac quoque urbe visuntur aquæductus mirifici. Castrum ejus in rupe situm, notum est, ob utrunq;* Gvisium *Ducem, jussu regis ibi interfectum, & concrematum. Adjacet huic arci viridarium & vivarium visu digna. Circa mœnia urbis non commodè obambulatur, ob amnis obliquitatē & colliū inæqualitatem. Extra portam urbis ambulacra pulcherrima prolixissimaq; habentur, arboribus consita. In agro hujus urbis effoditur terra sigillata, Lemniæ colore & efficaciâ haud impar.*

Amboise *oppidulum commendabile est arce munitâ, excelsâ; sede Regulorum; & Armamentario. Conspiciendus ibi est fœtidus locus, qui Regi Carolo 8 emortualis fuit.*

Montluys *intra cavernas montium ædes constructas habet, quarum camini gramine tecti tantum prominent.*

SALLONI-

XIV. SALLONIA *est parva regio, arenosa, nec adeo fœcunda. Ejus primarium oppidum est* Cleri, *ob indulgentias, (quas ibidem à S. Maria Galli quærunt) singulariter notum. Habet & Civitates* Sully, Gergeau, Laflerte, S. Lorentz *dictas.*

XV. BORBONICUM *territorium nomen habet à Castello* Borbon. *Metropolis ejus est* Molins, *civitas opulenta ad fl. Elaur, thermis amœnis, varijs arboribus fructiferis, Arce regiâ & officinis cultrarijs præstans.*

XVI. FORESTUM *regio montosa & transitu difficilis, habet Metropolim* Mombrison, *agri sterilis, at lignorum et fossilium carbonum ferax. Incolæ simplices, paucorum verborum, & rebus acquirendis valde sunt studiosi. Pertinet huc & amplissimum oppidum* Rodumna, *ubi Collegium Jesuitarum & Forum spectatu digna sunt.*

XVII. VALLAI *habet primarium oppidum* Pici, *celebre ob D. Mariæ cultum.*

Ac tantum de prima Galliæ parte, Aquitania.

Nunc ad alteram LUGDUNENSEM *Partem nos convertimus, quæ à Lugduno vulgò* Lion *dicta urbe celeberrima nomen habet.*

In ea prima provincia, et in ordine XVIII *est*

BRITANNIA

BRITANNIA MINOR, *olim* Armoria *di-cta, frumento, lino, pecoribus, lacticiniȷs, piscibu & vino, sed austero affluit. Incolæ agriculturæ rei pecuariæ & navigationi (cum mare eorun littora ubiq; pulset) student. Equi etiam & cane ibidem provenientes in magno pretio habentur In locis littoralibus aquas marinas ad Solem ex coquunt, salemq; hoc modo colligunt, qui in Hollan diam & Zeelandiam delatus, affusâ aquâ marin ad niveum candorem redigitur.*

Dividitur in Superiorem *&* Inferiorem.

Inferior *est ad Oceanum Britannicū, et* Rhe nes, *vulgò* Rhes *Metropolim habet, quæ ob ju dicium regium cameræ, seu Parlamenti, & mer caturam maritimā in peculiari est æstimatione.*

Dinan, *civitas ad fl. Rausa in loco amœn posita, in qua Duces suas habent recreationes: op timos maris Portus habet duos* S. Malo, *versu septentrionem; &* Brestæ *ad sinum Occidental Oceani,*

Superior *Ligeri adjacet, atq;* Nantes *Civi tatem primariam habet, quæ commerciorum cau sa Rhenensem præit. Episcopali dignitate, arce munitionibus gaudet. Est autem triplex ferè lin gva apud Britannos in usu. Nam* Frigvere, *&* S Pauli *Britannicè; In* Rhenes, Dol *&* S. Malo

Gallic

Gallicè; In Nantes, Vannes *&* S. Brioux *mixtim loquuntur.*

XIX. NORMANNIA *à* Nort, *voce Germanica, ita dicta, quia maximè septentrionalis regio Galliæ, fertilis est frumenti, pomorum, pyrorum. Alij eam à Nortmannis populis derivant.*

Urbs ejus primaria est Rottomagus *vulgò* Roven *vel* Roan, *non procul à mari Anglico ad fl. Sequanam posita. Urbs elegans & meram antiquitatem sapiens. Commendatur 1. ab Archiepiscopali domo. 2. à Parlamento. 3. à Mercatorum navigatione in Indiam usq;. 4. à templo B. Virgini sacro tres altissimas habenti turres, quarum media turris dicitur butyracea, quod ædificata fuerit, stipibus corrogatis à populo, ab obtinendum quadragenarij jejunij tempore, butyri usum. In eadem turri visitur Campana, quâ majorem tota Gallia non habere dicitur. 5. à Ponte Sequanæ; ad quem fluxus & refluxus vicini maris bis per diem fieri sine noxa solet. 6. à Pannificio. 7. à Castello. 8. à Templo S. Ovani; in cujus chorum fœmini calcaribus induto, ingredi licet. 9. à Collegio Jesuitico. 10. à Cœmiterio de S. Maclou. 11. à duobus Palatijs regijs. 12. à Curia. 13. à Bursa Mercatorum. 14. à loco in quo Joanna rusticana est combusta. 15. à loco in quo Antonius, Rex Na-*

varræ globo eſt trajectus. Canonici illius loci quotannis Feſto Aſcenſionis Chriſti criminum capitalium reum, ſolenni pompâ libertati reſtituere, & poſtmodum lautiſsimo convivio, cui etiam ipſi Canonici et Senatores interſunt, excipere ſolent. Cujus liberationis cauſam S. Romano acceptam referunt: de qua copiosè diſserit Georgius Braun tom 3 Theatri urbium. Si terra huic urbi vinum non denegaſset, omnia illa in eam ſua munera contuliſsent.

Vicinus pagus Quevilly Reformatis Rotto magini templum artificioſum præbet.

Non procul à Rothomago intra montes ſitum eſt Diepa, nobile emporium, ob portum tutum & ſtationem regiarum navium, ob arcem, ut & ob monumenta antiquiſsima, celebre. Dani hanc urbem olim incoluerunt.

Pont de l'Arche elegantiſsimam habet arcem cum Horto topiario.

Lou viers munitiſſimum eſt oppidulum.

Calais ſive Caletum elegans, maritima, & probè munita eſt Civitas, quâ in Angliã commodè traÿcitur. Alÿ hanc Civitatem ad Picardiam referunt. Ubi etiam ejus mentionem facturi ſumus.

Pertinet ad Regionem hanc primò Conſtantini terra, ab urbe Conſtantia nomen habens, a

ma

mare & Voulle fl. posita, muro carens, sed situ & aquæductibus nobilis est.

Auranche *civitas in colle rotunda, sed minor suis suburbijs. Inde denominantur Principes Uranienses, qui ibi habet fortissimam et spectatissimam arcem. Civitas novis ornata est moenijs & fossis profundis. Ante Portam Lugdunensem sese conspiciendā præbet Arcus Triumphalis universæ Galliæ vetustissimus. Extra civitatem etiam monstrantur rudera Thermarum, Amphitheatri & Fons Lavecon. Intra urbem sunt rudera Theatri, templi Herculis, Martis, Aquæductuum. Olim hîc Academia fuit.*

Bajusa, *claret templo artificioso.*

Falesa *ad Voulle fl. sita est.*

Caen *fl. Ornâ cincta, Musis claret. Castellum ejus habet turrim quantitate admirandam.*

Secundò Auge *territorium, quod* Crevecoeur *oppidum habet.*

Tertiò Leperche, *cujus oppida sunt* Laigle, Eureux, & Mortaigne.

Quartò Caulx *regiuncula, in qua primogenitus solus, ex asse hæres fit, quæ consvetudo & in Campania, quam primo loco proposuimus, ferè observari solet. Ejus Civitas est* Candebeg, & Havre de Grace *arx munitissima, cum portu tutissima.*

ANIOU,

XX ANIOU, *Ducatus non quidem amplus, sed summè fertilis est, fluvijs ferè 40 irrigatur, inter quos Ligeris præcipuus est, in quem reliqui confluunt. Vini Generosissimi totius ferè Galliæ ferax est. Montes illius marmora producunt.*

Metropolin habet Angiers, *vel* Andegavum *dictam, cujus arx in colle sita 14 turribu munita est. Adjacet urbs fluvio Majenne. Acade miâ & Arce claret. Templum Cathedrale S Mauritij ostentat costas de ceto, continetq; mu tas Sanctorum reliquias. Ante portam in quod horto visuntur rudera amphitheatri, & in Tem plo S. Cyri duæ tabulæ artificiosissimè pictæ. Pr tum ibidem German: conspicuum est. Præsidia judicium & Seneschallatum, nec non sedem Ep scopalem habet.*

Salmurium *ad Ligerim fl. præstat munit ne, Academiâ, Suburbijs, armamentario, Galer arce, Sacello, Nostre Dame des Ardilliers, D. P tri Fano.*

XXI. MAINE, *Comitatus ejusdem nomi habet Metropolim* Maine, *ad fl. itidem sic dict ut & ad fl. Sarem & Hulgne sitam. Sylvis est co mendabilis; ampla quidem, sed regi planè sub cta & infirmarum virium est.*

XXII. BEAUSE *vel* Beausse *Domi*

etsi aq

etsi aquis ita distituitur, ut etiam in æstate maxima siccitas ibidem deprehendatur; est tamen terra adeò frugifera, ut nec Apuliæ, nec Siciliæ cedat. Ejus metropolis est Chartes, *olim* Carnutum *dicta, totius ferè Europæ antiquissima civitas, paulò post diluvium condita, ideo & Cathedrale illius templum Galliæ est antiquissimum. Gaudet Episcopali sede & solo fertili, unde &* Horreum Lutetiæ *dicitur. Nucibus affluit. Dimidio milliari Gallico ab hoc Oppido sunt* Horti Domini de Chantelou *totius Galliæ, ob amœnitatem celeberrimi & miraculis mundi annumerandi.*

Est & ibidem sita in loco paulò editiore, Aurelia, *hodie* Orliens *nuncupata ad Ligerim fl. populosa, ampla urbs, continens in circuitu, præter suburbia maxima, milliare ferè Germ: Ejus solum fertilissimum est frumenti & vini generosi. Regnũ olim fuit peculiare hic Ducatus, continebatq; sub se totam Burgundiam, Delphinatum & Provinciam. Pons, super Ligerim ornatus est statuâ æneâ Joannæ d' Arc. In angulo templi Episcopalis S. Crucis in lapide quadrato antiquum* manumissionis *vestigium conspicitur. Academiâ ornata est clarissimâ, in qua præcipuè Jurisprudentia floret, & Germanica Natio peculiarem habet*

Procu-

Procuratorem, sive Rectorem Magnificum. Via Aureliensis magna ex parte lapidibus strata est. Linguæ Gallicæ (quæ ibi est purissima) mercandi & studendi gratia, peregrini huc frequentes confluunt. Quondam Attila tyrannus irrito conatu hanc urbem benè diu obsedit. Carolus tamen ... propugnacula illius universa diruit, soloq; æquavit. Arx superstes in colle habet puteum totius Galliæ profundissimum. Prospectus ex hac arc... patet in varias provincias. Ibidem visu digna sunt Armamentarium & rudera Amphitheatri ut & arcus triumphales Caÿ Marÿ.

Montargis *egregia, sed non ampla civitas est. Arx ibi regia amplissimum totius Galliæ obtinet Palatium. Super* Caminum *hujus arcis directi... est memorabilis historia de Cane.*

XXIII. FRANCIA *regio nomen suum adep... ta est à Francis Germanis, qui ibi suam sedem pri... mùm fixerant. Regio est populosa, fertilis, ad negotiationes apta.*

Habet Metropolin Lutetiam Parisiorum *totius Galliæ celeberrimam. Ob suam amplitudi... nem & populositatem (quæ ad quingenta milli... hominum æstimatur, & eapropter omnes Chri... stiani orbis Civitates superat) non pro* Urbe, *s...* Orbe, *secundum pronunciatum Francisci I Reg...*

Gall. habenda est. Domos ferè 20 mille; Plateas
ultra 510 habet, quarum una ad Suburbium S.
Iacobi, longitudine exæquat milliare Germanicū.
Decē Suburbÿs gaudet, ÿsq; amplissimis. Templa
primaria habet 54. Urbem hanc Sequana duplici
...mne dividens tripartitam constituit; quarum
...rima Universitas, altera Civitas, tertia Urbs
...ominatur. Plures in hac Lutetia numerantur
...abulæ, quàm in universa Germania, quæ tamen
...ribus partibus Galliâ major est. Residet in ea Rex.
...isu digna ibi occurrunt: 1 Academia celeberri-
...is viris semper ornata, cujusq; Rector ex Facul-
...te tantum Philosophica electus, suâ magnificen-
...â vix Duci Veneto inferior est, & in publicis
...ctibus præ Episcopis, Cardinalibus, Legatis Pa-
... vel Principum, superiorem locum sessionis &
...onis obtinet. Numerus studiosorum se ut pluri-
...um ad 10, 12, quandoq; & 30 mille extendit.
...llegia illius sunt 55, è quibus eminent Navar-
...rum Regium, ob amplitudinem suam; & Sor-
...ense, ob acerrimas Disputationes à tempore ad-
...rsariorum Petri Rami, ibi hucusq; variè insti-
...as. 2. Parlamentum, quod, ut Lutetia bacu-
... est Galliæ, ita hoc Parlamentum Lutetiæ
Pupilla. Habet ideò amplum spatium, ut ei
...lū in tota Europa par sit. Venduntur in eo mer-

ces om-

ces omnium pretiosissimæ: ideoq́ crumenarum sectores, frequenti populo, ibidem perpetuas insi dias struere solent. In atrium Parlamenti, siv hujus, sive alterius Galliæ, nulli ingredi licet calcaria gestanti, quæ scribæ & famuli Procura torum auferre, nec ante redemptionem restitu re solent. 3. Palatium Regis, sive Arx regia Lo uvre, Luparia dicta, ad Sequanam fl. in cuju medio est Domus artificij aquatici, & conclav regium auro & gemmis nec non lectisternijs ser ceis; in superiore parte, avium peregrinarum pl mis exornatum. 4. Galeria, ædificium longis mum emblematibus & Antiquitatibus varijs co decoratum. 5. Viridarium Regium. 6. Palatiu Ducis de Conte, habens mensam ex Agate co structam. 7. Armamentariū. 8. Templum Du ad Parlamentum situm, reliquijs Sanctorum fertum, nullis columnis innixum, vulgò Sac lum S. Michaelis dictum. 9 Cœmiterium S. nocentij, cujus parietes ex ossibus & capitib funestarum nuptiarum (in quibus & P. Ram internecioni datus est) sunt confecti. Inter ali Epitaphia habet hoc Cœmiterium, etiam cuju fœminæ, quæ 295 liberos & nepotes habuit. runt insuper, quod ejus terra intra novem dier spacium, cadavera absumat. 10. Pons B. Virgi cui

cui 68 ædificia magnifica superstructa sunt. 11. *Templum B. Virginis, cum effigie Christophori, in rupe excisa. Templum hoc in aqua Sequana est conditum, & 170 columnis innititur. Illius turris una habet campanam adeò magnam, ut ad ejus tractionem 20 viri requirantur.* 12. *Monasterium Augustini, ostendens monumentum* Philippi Cominæi. 13. *Monumentum des Mathurins, habens Epitaphium* Johannis de Sacro Busto, *Mathematici eximij, nec non* Baldvini I. C. Gvagvini, *duorumq; studiosorum Lutetiæ quondam suspensorum.* 14. *Templum Templariorum benè munitum.* 15. *Ædicula S.* Genevieſuc, *Patronæ Lutetiæ, quæ continet monumentum Regis Clodovæi.* 16. *Templum D. Jacobi Laniorum, habens monumentum* Johannis Fernelij, *Medici clarissimi.* 17. *Pyramis Johannis Castelli, parricidæ, qui Henricum IV Regem interficere conatus fuerat.* 18. *Arx Bastilia, quæ Principum & Magnatum carcer est, & Gazophylacium Regum, ideòq; præsidio Helvetico & Gallico probè instructum.* 19. *Porticus captivorum, ad Parlamentum sita, in qua plurimi captivi quotidie deambulare solent.* 20. *Monasterium Franciscanorum continet Cenotaphium* Nicolai Lyræ *commentatoris Bibliorum.* 21.

 Monaste-

Monasterium S. Martini gaudet pulpito Musico-rum orichalceo, totius Galliæ nobilissimo. Visi-tur etiam ibi artificiosissimè picta Fœmina. 22. Basilica stupendæ amplitudinis ad S. Eusta-chium dicta. 23. Nymphæum, in quo scilicet nu-ptiæ celebrantur. 24. Xenodochium de S. Lovy magnificentissimum. 25. Patibulum Montfaul-con *dictum. 26. Bibliotheca regia S. Victoris S. Germani & Thuani. 27. Viridarium Mari de Medicis, & Virid:* Ducis *de Conde. 28. Pr[illegible] tum Clericorum. Observatu tandem ibidem d[illegible] gnum est, incendium die Johannis, ad locum su[illegible] plicij, quotannis in quercina arbore institutum, a[illegible] quod conspiciendum omnes magnates Parlamen-ti & urbis officiales, in processione conveniunt adjunctis 5000 armatis viris. Extincto incend[illegible] plebei ibidem choreas & cantus instituunt, n[illegible] non rixis & verberibus lignorum distrahunt r[illegible] liquias, quibus singularem sanctitatem attrib[illegible] unt. Parisiis vicini sunt duo pagi* Vanues *&* G[illegible] nesse, *quorum posterior sapido pane, prior pr[illegible] stanti butyro nobilitatur. Pagus insuper proxim[illegible]* Gentylly *dictus, à frequentibus conventib[illegible] quondam ibi habitis, notus est. Lutetia 14 leu[illegible] distat* Fontainableau, *arx regia augustissim[illegible] amplissima, multa in se visu digna complecte[illegible]*

H[illegible]

Huic par vix in Gallia reperitur. Dimidio à Lutetia milliari, distat vetusta arx Wiceſtria, *cujus rudera hodie tantum supersunt, in qua olim Magiam Diabolus docuit, & Scholam suam habuit, hincq; Stygius ille Doctor annuatim unum discipulum de rotâ agitata, delapsum mercedis loco sibi reservavit. Locus iste & nostro tempore spectris infestus est.*

Le Bois de vincennes *arx est Regia famosissima, propè Lutetiam sita. Oppidum* S. Dionysij, *vulgò* S. Denis, *claret templo divitiis variis & raris ornamentis regiis, nec non Regum sepulturis instructo. Seriem reliquiarum S. S. & rerum pretiosarum numero 43 Paulus Henznerus in Itinerario suo ordine enumerat. Tectum hujus Templi fuit olim argenteum. Nundinæ ibi anniversariæ per integrum mensem celebrantur. quibus durantibus nullus Mercatorum quicquam Lutetiæ, quæ duobus milliaribus inde distat, vendere audet.*

Lechasteav Madril, *arx est quam Franciscus I Gall. Rex ad formam Madriti Hisp. in qua à Carolo V. Imp. captivus detinebatur, fieri curavit.*

Fanum S. Germani, *vulgo* S. Germain en Laye, *arx regia est, ad Sequanæ ripam, multa*

artificiosissima ædificia exhibens, inprimis Hortus topiarius visu ibi dignus est. Adjacens oppidulum mœniis caret.

Possiacum *obtinet egregium Cænobium monialium.*

Ruel *vicus ab eleganti horto commendatur.*

Charenton *oppidum Reformatis Parisiensibus religionis exercitium præbet.*

In Francia hac Comitatus quoque est Valesius, *à quo quidam Reges Galliæ cognomen suum adepti sunt.*

XXIV. Picardia, *Regio nobilissima & amplissima, vino tamen & diversoriis instructis carens. Olim peculiares habuit Comites & Dominos. Civitates ejus insigniores sunt* Laen *in monte prærupto benè munita.*

Ambianum, *vulgò* Amiens, *munita civitas od Somam fluv. Patria est* Johannis Fernelij, *Medici. Curiam novam habet elegantissimam. Anno 1597, 11 Martij, Arnantelus Hispaniæ Regis Capitaneus astu eam cæpit, & 25 Sept. Gallis iterum cessit. Celebris ea fuit obsidio Gallorum, ob varia stratagemata militaria ibidem adhibita. Nobilis etiam hæc urbs est Episcopali sede. Ædium partes exteriores ut plurimum immundæ & lotio conspersæ sunt. Castrum*

jam hab

jam habet vix expugnabile. Cathedrale templum valde sumtuosum est. Collegium Jesuitarum ornatum est Bibliothecâ egregiâ & horto eleganti.

Abbatisvilla, sive Abbeville perpolita, ampla & munita est civitas ad fl. Somam. Ornata est magnificis templis, è quibus S. Olfrandi eminet.

Crecy sibi famam acquisivit à conflictu memorabili Anno 1346. ibi habito.

Soisons, sive Svessio titulo regio olim gaudebat, nunc hæc civitas dignitatem tantum Comitatûs habet.

Pecquigny oppidulum commendatur à firma arce.

Clairmont ab arce & vasis eleganter formatis, nota est civitas.

Gre ad fl. Oyse exhibet arcem pulchram, in qua Carolus VI. Rex mente captus, custodiebatur. Alÿ tamen scribunt, dictum Regem captivum usq; ad mortem detentum fuisse Perronnæ, quæ arte & naturâ munita hujus provinciæ est civitas, obtinens templum structuræ mirandæ.

Pertinent ad Picardiam Thieranche ducatus, cujus metropolis est Gvisa munitissima, unde Gvisianorum familia originem & nomen habet.

bet. Vermandois *Comitatus*, *cujus caput est* S. Quintini Fanum *ad Somonam fl.* Redelois *Comitatus*, *cujus metropolis est* Retel: Tartenois, *in quo* Lavere: Bononiensis *Comitatus*, *in quo* Boulongnei *civitas duplex antiqua*, *mœnibus validis cincta*, *à Cathedrali templo & peregrinationibus votivis clara.* Gesoriaca *seu* Ictia terra *ab Ictio portu dicta*, *unde è Gallia in Britanniam compendiosissima est navigatio*, *habet Oppidum* Gvinnes *&* Hames, Calais, *sive* Caletz, *Arx quoq; est mari & paludibus cincta. Totos ducentos & 12 annos potestati Anglicæ subjecta fuit.*

XXV. CAMPANIA, *sub qua etiam* Brie *territorium comprehenditur, plana, pascuosa, fertilis & passim Cretacea est regio. Metropolis ejus* Brie *constituitur, nundinis clara.*

Tricassium, *ad Sequanam*, *fertile habet solum*, *à sede temploq; Episcopali, mercaturâ, Curiaq; præsidiali nobilis est civitas.*

Rhemos *est civitas, in qua Reges novi Galliarum inunguntur oleo*, *uti ferunt cœlitus misso. Florent in ea literæ.*

Meaux *monti opposita est ad Sequanam fl. & rivo quodam in duas partes secatur.*

Sedan *claret Academiâ.*

Provin-

Provinz *Civitas est ampla, cuius incolæ subalbicantibus atq; rubris rosis, quas cætera Galliæ loca non adeò præstantes habent, quæstum singularem quærunt, unde varia rosacea condimenta præparant.*

Semsi *ad Sonnam fl. sita habet Archiepiscopatum antiquissimum in terra fertilissima. Palus vicino in monte sita, vivam aquam præbet, quâ cum civitas, cum tota ferè vicinia irrigatur.*

Campaniæ adjacet Bassigni *territorium, in quo* Chaumont *metropolis est, obtinens sedem Præsidialem. Posita est cum arce in monte saxoso.*

Langres, *ampla, elegans, munita & excelsa est civitas, cujus mœnia quasdam antiquitates redolent, Cathedrale templum S. Mammei spectatu dignum est. Ornata est sede Præsidiali.*

Campaniæ etiam adjacet Territorium Senonois, *in qua, ad fl. Yonne, sita est, ampla, elegans & Archiepiscopalis urbs* Sens *dicta, ubi eminet templum S. Stephani, obtinetq; judicium regium. In hac civitate quondam Fœminæ per plurimos annos prægnanti post mortem infans lapideus ex utero excisus est.*

XXVI. BURGUNDIA *celebritatem singularem nacta est à Ducum potentiâ, qui illi Provinciæ præfuerunt, & à generoso vino, quod ibi-*

dem crescit ; ut ut frumento non adeò abundat.

Dividitur Soanna fl. qui & Arar, *sive* Araris *dicitur, in partes duas, primam* Occidentalem Inferiorem, *quæ* Ducatus *dicitur, & alteram* Orientalem, Superiorem, *quæ* Comitatus *nuncupatur. Ambas Carolus IX. Rex bello, Regno suo adjecit.*

Inferior *Ducatus habet Oppida:* Salins, *quæ amplissima est civitas, à salsis denominata fontibus,* Arbosuum, Poligni, Portarlier, Noseroy, S. Johan de lana, Talanta *arx est benè munita.*

Cabillonum *urbs, sive* Chalon, *pro dimidia parte subest Regi, pro altera Episcopo. Cives Gallicæ linguæ sunt disertissimi, & elegantiæ studiosissimi. Sita est ad Saone fl. Mercimoniis exercendis apta civitas, plurimas domos nobilitares privilegiatas obtinet, Arx & templum S. Vincentij spectatu digna sunt.*

Barrum, *ad Sequanam arce Ducali gaudet.*

Autun, *olim* Augustodunum *appellatum antiquitus adeò potens & opulentum fuit, ut eā jam Romæ cedere noluerit : hodiè vix pristini splendoris vestigia supersunt : uti sunt ruinæ è templo Proserpinæ & Plutonis,* la Janitoy *nunc dictæ, reliquiæ theatri & capitolij templi*

Apollinis

Apollinis, Simulachri Anubij, pyramidum, columnarum, aquæductuum, arcuum & multorum aliorum ædificiorum ad imitationem urbis Romanæ extructorum. Hoc seculo habet aliquot templa magnifica cum quibusdam ædificiis splendidis, quæ potissimùm à Clero, quorum multi ibi sunt, inhabitantur. Intra mœnia dimidium urbis spatium, agri obtinent. Posita est ad montem Senis *& fluvium Arroux.*

Diion *ad Oscarum fl. contra incursiones Helvetiorum mirificè munita est, in plano & amœnissimo loco totius Burgundiæ. Parlamentum habet, & regium Gubernatorem. Palatiis magnificis & Fortalitio* Talant *dicto, superbit.*

Beaulne *oppidum est pulcherrimum cum arce munita & Nosocomio opulentissimo. In urbis agro uliginoso & nemoroso Cistertiense est Cœnobium clarissimum.*

Matiscona, *ad Ararim fl. primum cœpit Dominicam diem inter Christianorum ferias celebrare. Ab antiquitate conciliis & gestis nota est civitas.*

Huc referendus est Ducatus Neverniæ, *cujus primaria urbs dicitur* Nevers, Noyers, *aliis* Noviodunum, *situm ad fl. Nivernim & Ligerim, turribus, paræciis, officinis vitrariis &*

Ponte nobilis, benè munita. In arce Dux Nivernensis residet. Carbones lapideos & ferrum ager illius profert. Non procul inde pessima via est, quam Inferni, omniumque Diabolorum plateam *vocant. Hæc civitas produxit* Johannem Ravisium Textorem.

Superior *verò pars, seu* Comitatus, *exiguus est tractatus, at dives frumenti, vini, pecorum & equorum egregiorum. Nec desunt Salinæ, ex quibus Sal coquitur. Continet* Vascontium *sive* Besanzon *civitatem Imperialem, loco & arte munitam, quam Dubis sive Doulx fl. intersecat. Cincta est sylvosis & vitiferis montibus. Frumenti ubertate adeò præstat, ut totius Burgundiæ Granarium semper sit habita: Archiepiscopatu, Collegio Jesuitico, Palatio Comitis de Canteroix, Armamentario, Hortis topiariis, templo S. Stephani & priscis monumentis hæc urbs inclarescit.*

Fanum S. Claudij *à miraculis & reliquiis notum est oppidum.*

Orgeletum, *mercaturâ & pannificio claret. Reperiuntur ibidem* campi sine gramine, Fluvij sine piscibus, Montes sine lignis, *juxta vicinorum proverbium.*

Dividitur hic Comitatus in tres partes, quarum

rum Metropoles sunt Grai & Dolen, quæ clavis regni, ob munitionem suam dicitur. Claret Academiâ, Parlamento, Templo egregio, Bibliothecâ instructissima, & Salinis.

Velulium, habet mœnia fortissima.

Lonsalinum in finibus utriusq; Burgundiæ situm, elegans est emporium.

Tournue munito monasterio claret, jacet ad Saonam fl.

XXVII. BONONIA, vulgò Boulongne, à civitate ejusdem nominis dicitur, ad mare Britannicum sita est, atq; de hac, quia in XXIV parte, Picardiæ jam egimus, ad XXVIII. LOTHARINGIAM nos convertimus, Loraine aliàs dictum. Plaga hæc quamvis montibus peraltis cingatur, tamen fertilis admodum est, atq; gregibus, armentis, pratis, frumento, vino, stagnis piscosis, sylvis, thermis, Salinis, ferro, ære, plumbo, stanno, argento, Chalcedonio & variis fluminibus abundat. In Vogesi montis valle, fontes conspiciuntur, tantâ unionum & gemmarum copiâ abundantes, ut in tota Germania nullæ iis frequentiùs in usu sint. Hæ longè à peritis præferuntur Indicis atq; Orientalibus. Sunt & ibi Lazuli generosissimi. Hæc Provincia duplex constituitur, una intra Rhenum & Mosam, quæ olim dicta est

Austrasia,

Austrasia; & alteram, quæ inter Mosam & Sellam constituitur, ac Vestrasia appellatur.

Austrasia etiam hodie Vestrasia nuncupatur, estq; regio tres Episcopatus continens, primò Metensem, à Meti civitate dictam, quam Henricus II. Galliæ Rex, Anno 1552. ab Imperio Romano avulsit, & sui juris fecit. Mosella & Sellâ amnibus irrigatur. Amplitudini & vetustati suæ plurimum per obsidionem Gallorum decessit: opulenta quidem, sed non propugnaculis mœniorum munita hodie est urbs. Præsidiariis tamen tribus millibus semper instructa. Castellum munitissimum in quo Gubernator residet. Templum Cathedrale, in quo Baptisterium Porphyreticum, & Palatium Senatorium, spectatu digna sunt. Secundo Verdunensem ab Episcopali sede Verdun nuncupata; & tertiò Tullensem, à sede Tul quæ ambo à Romano Imperio avulsæ, jam subsunt Principibus Lotharingiæ. In hac visenda Basilica S. Stephani.

Præcipua verò urbs Lotharingiæ, & Ducalis sedes est Nancy ad Mosellam fl. cujus & suburbia Anno 1587. Dux illorum mœnibus probè munivit. Visu ibi digna sunt Hortus Ducalis, Hippodromus, Armamentarium, Monetariæ officina, Macellum, Fontes. Inprimis hanc urbem nobilitat in

tat internecina Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis, ad eam accepta, clades, Anno 1476.

Academia Lotharingiæ est in Pont de Musson ad Mosellam.

Sunt & ibi Oppida, Darne, Ludoville, quorum posterius Duci annuatim ex frumenti, vini, carnium & Salis vectigalibus, quinquaginta millia coronatorum largitur.

Blaumont sexto lapide à Nancy situm oppidulum, nobile est castro veteri, magnifico & spatioso, cum Palatio Ducis novo. Incolæ integritate conspicui, agriculturæ dant operam.

Barle-Duc, Arce & Camerâ Rationariorum gaudet. Dividitur in superiorem, inferiorem & novam Civitatem. Parantur in ea elegantia gladiorum manubria.

Niclasburg, mercaturâ & nundinis claret.

Ut verò ad NARBONENSEM Galliam tandem deveniamus, primò LANGVEDOCIAM, quæ XXIX. est regio, examinemus. Hæc insigniter fructifera est, arboribusq; odoriferis abundat, quæ mala Auraica, citrea, Punica, oleas, ficos aliosve similes nobiles fructus ferunt. Iisdem arboribus, vineæ ferè omnes sepis loco, muniuntur. Reliqua tellus, quæ aratoris vel vinitoris non subjacet imperio, sua sponte Rosmarinum,

Cypariſ-

Cyparissum, myrthum, salviam, aliosve fruti-ces & herbas odoratas tantâ producit copiâ, u[t] non solùm camino & foco culinari, sed & pistori furno, cæterisq; opificum officinis, abundè suffici-ant, ne alio ius ligno opus sit. Metropolis ejus es[t] Tholosa, *ad Garumnæ ripam sita, elegantio[r] ac amœnior Lutetiâ est, celebris 1. ab Academia 2. ab Archiepiscopatu. 3. Parlamento. 4. Templo-rum & ædium magnificentiâ. 5. populi multitu-dine. 6. divitiis. 7. amplitudine. 8. antiquitatu[m] monumentis. 9. Soli fertilitate. 10. molendin[is] artificiosissimis. 11. Collegio Jesuitarum. 12. Pa-latio Parlamenti. 13. auro Tholosano quod pro-verbio locum dedit. 14. Templo maximo D. Sa-turnini, ob reliquiarum S. S. copiam. 15. Tem-plo B. Virginis. 16. templo des cordeliers, [in] quo locus, ubi sepulta cadavera non consumuntu[r]. 17. templo Jacobino, in quo sepulchrum est* Th[o]-mæ Aquinatis. *18. Templo Cathedrali, si[ve] Archiepiscopali ad S. Stephanum, in cujus tur[ri] campana pendet 500. centenariorum. 19. Insul[is]. 20. Collegiis juridicis & medicis splendidis. 2[1]. Curiâ sive Capitolio. 22. Armamentario. N[on] procul ab urbe in Pyrenæis montibus ex antro [a]-qua guttatim distillans, in lapidem vertit[ur], mediam inter glaciem & saxum, naturam ob[ti]-nentem; ideò spectatu id quoq; dignū.* C-

Castelnau d' Arry, *ampla & populosa est urbs, molis alatis circumdata, ædes ligneas habens.*

Carcassonne, *urbs florentissima & munitissima, quam Ande fluvius alluit, & in duas veluti partes dividit, in colle sita est. Hunc nulli facilè absq; consensu Gubernatoris intrare licet, intrantesq;, ad portam arma deponere oportet: unus item è militibus eos undiq; comitatur. Gaudet sede Episcopali, & Curiâ præsidiali. Pectines hic è ligno pretioso elaborantur elegantissimi. Extra portam est statua lapidea Viraginis, urbem à Saracenis quondam liberantis.*

Narbona *urbs, tempore exitûs Israelitici ex Ægypto, condita à Narbone Rege Galliæ, ut quidam volunt, Narbonensi Regioni nomen dedit. Ob fortissimam munitionem suam* Clavis *quoq;* Galliæ *dici meruit. Præ aggeribus & muris altis, vix ædificia conspici possunt. Et quia in depresso & paludoso loco sita est, quondam* Galliæ Cloaca *appellata fuit. Archiepiscopatu claret. Templum S. Justo sacrum, idemq; Cathedrale magnificentissimum, exhibet tabulam dipictam, maximi artificij & precij, ut & Organum Musicum ex fistulis constans, in varias templi partes ad columnas distributis, quæ tamen omnes uno*

spiritu

ſpiritu per canales uno in loco ab Organædo pulſantur. Inter Antiquitates præcipuè viſu dignu eſt, in urbe Arcus triumphalis, D. Auguſto Rom Imp. dedicatus. Propugnaculum mœniorum fortiſsimum, inciſas habet albo marmori, antiquiſsimas literas. Amphitheatri, Capitolij & Aquæductuum veſtigia adhuc videntur. Armamentarium & Palatium regium etiam habet.

Mons Peſſulanus, *vulgò* Mompellier, *e. in loco apprimè ſalubri ac venuſto, ſed tamen ſcorpionibus obnoxio. Nobilis ejus fama eſt ab Epiſcopatu, & celeberrimâ Univerſitate; cujus Rector tantæ eſt autoritatis, ut Studioſi, quacunque etiam de cauſa egredientem, comitari, honoris gratia, cogantur. Medicum & Botanicum ſtudium, à longo tempore ibi ſemper floruit: hi. Pharmacopolis & Chirurgis profitendi & diſputandi, Gallicâ linguâ locus eſt, ſingulis diebus Dominicis. Doctoribus Medicinæ noviter creat dici ſolet:* Vale *&* Occide Caim. *Extra urbem, Henricus IV. Rex, Hortum verè magnificum & regalem pro Medicis extrui curavit, q infinitis ferè herbarum ac plantarum generib & quidem exoticis, utplurimùm plenus eſt. Habetur etiam ibi Theatrum Anatomicum. Æ urbanæ ſunt perelegantes, Plateæ quidem ang-*

ſtæ,

stæ, sed puræ. Curia magnifica. Noviter Rex ibi Castellum in suburbio extrui curavit, contra Hugonottas, quos Anno 1632 subegit. Non procul à monte Pessulano distat Insula, in qua est arx Magellona dicta, à famosa illa Magellona sive Magalona, (cujus cadaver in loculo saxeo exhibetur ibidem) dicta. Circa eandem civitatem visu etiam digna sunt 3 Montes, 1. Mons lupi, 2. Hortus Dei, 3. Mons Ceti, quorum penultimus 12 milliaribus Gallicis, primus & ultimus 4 tantum ab urbe distant. Ad Montem Hortum Dei pagus est, habens puteum tonitrua moventem, si aliquid inyciatur. Vicinus etiam pagus Vigand lapidescentem aquam ex fonte profluentem monstrat. Ad Montem Ceti plurima quoque mirabilia occurrunt, tàm in vicino Castello quàm in Portu.

Nemausus, hodie Nimes, olim tam ampla fuit, ut mille turres & septem colles in ambitu suo obtinuerit; quæ tamen hodie, ut etiam ex reliquiis mœniorum antiquorum videre est, in multò angustiori planitie posita est, ac sui pristini splendoris, quam plurima rudera ostentat, inprimis nobile ibi est Amphitheatrum, ob dignitatem, inter miracula mundi referendum, in fundamento obtinens cryptam, per quam olim via Arelatum

usque patuit. Visu etiam ibi digna sunt Arx, Capitolium, Porta Coronæ, Statua Geryonis, Templum & Lacus Dianæ, Columna Francisci I Regis, Collegium Henrici II & Academia, Cathedrale templum, ob pavimentum artificiosissimũ Antiquarium cujusdam Canonici. Juxta monti radicem, specus perennis aquæ, cujusq; fundum nemo mortalium invenit, conspicitur. Antonini Philosophi & Domitiani Imperatorum, natalibus claret. Ædes etiam privatæ, hinc inde gentili statuas exhibent. Extra urbem est Echo & turris ascensu digna. Solum ejus olearum ferax est. Ab hac urbe duobus milliaribus distat Pons triplex, fornicatus structurâ mirabilis, vulgò Pont du Gard dictus, à fluvio Gardon constituens viam regiam.

Pons S. Esbrit, seu Fanum Spiritus S. ad Rhodanum positum, nomen habet à Ponte, arte mirabili, 18 arcubus extructo, qui longitudinis est 1030 passuum, latit: 12. Pontes cæteros omnes Europæos superat. Huc pertinent oppida: Albi, Episcopalis civitas, unde Albigensis ordo nomen habet, Lavaor, Gailas, Rhodes, Mande, Castres, Castenao, Mirepois, Bezier, Aigvesmortes, quæ egregia arx est, habens vicinas Salinas.

XXI.

XXX. *Galliæ pars* PROVINCIA, *vulgò* Provanze, *dici solet. Estq́; terra dives, absq́; cultura etiam frumentum, Orizam, rosmarinum, Castaneas, oleas buxosq́; proferens maxima in copia. Producit etiam, præ aliis Galliæ locis, vinum generosum, nobiliores fructus, ut Citrea, Granata & cotonea mala, crocum, ficus, uvasq́; passulas. Epilepsia hic familiarior est, quàm in aliis Galliæ partibus.*

Dividitur in Ditionem Pontificis, *&* Ditionem Regis.

Pontifici subest Avignion, *ad Rhodanum, vetusta & mœniis crassissimis cincta urbs, sita in territorio totius Galliæ, Italiæ, imò universæ ferè Europæ fertilissimo, amœnissimo, à quibusdam,* Delitiæ terrestris Paradysi *eapropter dicto. Aëre utitur adeò clementi, ut etiam in Januario & Februario Sartores in fenestris extra ædes, in plateam porrectis, considentes, vestes sarciant. Sedem hæc urbs Pontificibus Romanis, annis 70 præbuit, & in hunc usq́; diem Papæ Vicarius, sive Legatus in ea residet, ideoq́; jurisdictio ibi habetur diversa, cùm Papæ, tùm Præfectorũ urbis, sed utriusq́; æqualis est auctoritas. Academiâ & Archiepiscopatu nobilis est. Septies inter se, septenario numero repetita, reperiũtur in ea urbe orna*

menta: 7. nimirum Xenodochia, totidem Monasteria Virginum, 7. Parochiæ, 7. Palatia, 7. Collegia, 7. Portæ. Inter Palatia augustissimum est quod in colle jacet, & in quo Vicarius Papalis residet. Visitur in eo campana odiosa, quæ non nisi morte & electione novi Pontificis sonat, & tum horis 24 continuis. In templo Cælestini conspicitur Renati, Siciliæ Regis demortui effigies, quam ipsemet vivus elegantissimè depinxit. Juxta hanc imaginem, alia miracula sunt depicta: Sunt & ibi reliquiæ S. S. quarum virtute pater quidam filium suum, ex lapsu de turri mortuum, vitæ restituisse narratur. In templo Minoritarum, sepulchrum est cujusdam Archiepiscopi, cujus cadaver non putrefactum, sed planè integrum conspicitur. Pons urbi vicinus, supra Rhodanum, immensæ longitudinis & latitudinis est, sed ejus medii fornices conciderunt. Judæi in hac urbe peculiarem habent Synagogam, cujus tamen farinæ homines, aliàs in Gallia non habentur. V... ulla in urbe Galliæ major fit, tùm in conditione peregrinorum inquisitio. Palatium Archiepiscopi colli superstructum, turrim obtinet fortem, ... qua maximus urbis patet prospectus, & si quis r... supinus in tergo jacens, retrorsum videat, urbis imaginem in aere conspicit. Alia etiam mul... memor...

memorabilia hoc Palatium habet. Carthusianorum Cœnobium hujus loci, reliqua Galliæ præcellit. Pannorum & byssi tincturâ, papyri quoque molis, civitas hæc pulcherrima, singulariter claret.

Pontifici etiam subjectus est Comitatus Veniessinus, *in quo est* Cavallon Carpentras, *& alia munita oppida.*

Ad Regem verò pertinent, Aix *civitas Archiepiscopalis, cujus thermæ appellantur,* Aquæ Sextiæ, *à Cajo Sexto, vel ut alij volunt, à Curio Sextio, Romano Coss; earum conditore, eæque in ædibus privatis hodie habentur. Visu in hac urbe digna sunt, Curia Parlamenti, & templum Cathedrale, ob columnas striatas & sepulturas magnificas. Item Palatium Ducis de Guise, nec non ædes Beriere. Est ibi regia gubernatio elegantiâ & amplitudine multas Galliæ urbes vincit.*

Tolon *civitas, magnum, sed non tutum habet portum,*

Eres *gaudet Episcopali sede.*

Arles, *quondam Arelatæ Regnum, Archiepiscopalis civitas, ad Rhodanum sita, gaudet Portu insigni. Visu digna habet 1. Portam equestrem, 2. Portam de Mariano, 3. Templum S. Honorij, cum cœmiterio, quod* Campos Elysios *vocant. 4. Templum S. Trophimi, 5. Amphitheatrum, 6. In-*

6. *la maison de ville*, 7. *Collegium*, 8. *locum extra urbem* la Raquette *dictum*, *in quo olim in honorem Julij Cæsaris annuatim, Calendis Maij duo juvenes, probè priùs saginati, immolabantur.* 9. *Domum Commendatorum S. Johannis* 10. *Prætorium.* 11. *Xenodochium* 12. *Palatium de Troilla.* 13. *Oenopolium publicum.* 14. *Aulam Episcopalem cum vicinis columnis.* 15. *Armamentariū.* 16. *Portas 5 triumphales.* 17. *Agathi Antiquarium.* 18. *Ædes Porcelletorum.* 19. *Cœnobium Montmajour.*

Arelatanum Regnum olim continebat Delphinatum, Sabaudiam, Burgundiæ *Comit*: & *majorem* Helvetiæ *partem.*

Massilia, *vel* Marsilia *mari tribus Urbis partibus alluitur. Est Episcopalis Civitas, in circuitu tres quadrantes milliaris Germ: complectens. Triplici nomine celebratur; primò ob antiquitatem, quia tempore Tarquinij Romani cóndita est. 2. ob portum insignem, ad quam naves ex universo oriente, ex Africa, & intima Æthiopia cum mercibus, & triremes cum copia mancipiorum diversæ nationis appellere solent.* 3. *ob lanificia, quibus pleriq; cives occupantur, & maximum quæstum faciunt. Incolæ illius moderni reliquos Gallos civilitate & humanitate superare videntur*

tur

tur, adeò, ut proverbium vetus: Mores Massilienses, *cum laude adhuc defendant. Olim in ea Græca lingva, cujus vestigia adhuc hodie quædam observari licet, tantoperè floruit, ut eapropter Romani liberos suos huc miserint. Visu ibi digna sunt præter commemorata, 1. Porta per quam Aqvas Sextias itur. 2. Templum S. Victoris ob reliquias S.S. 3. Curia. 4. Palatium Gvisianum. 5. Horti suburbani. 6. Nota Regia in porta. 7. Propugnacula duo, non longè ab urbe, ultra mare in montium præcipitiis posita. Est quidem hæc urbs potentissima, sed non admodum pulchris ædificiis exornata, vicos habens angustos. In vicinis montibus ea Rosmarini est copia, qualis apud nos Juniperi. Insulæ adjacentes, aliquot Fortalitiis supra petras gaudent, quorum Præsidiarij curam navium adventantium habent.*

5. Jamais *vel* Chamas *Oppidulum partim in planitie, partim in monte situm est. Vicinum habet Specum ad 56 passus transmeabilem, nempè ad fluvium usq; Rhodanum. Dimidio ab eo milliari, duo arcus maximi & antiquissimi, in medio viæ versus Massiliam, conspiciuntur.*

Tarascon *ad Rhodanum sita, elegans & munita civitas est, habens Castrum quadriturri-*

tum, quod cubiculo elegantissimo instructum est.

Vanclause *Oppidum, sive* Vallis clausa, *ostentat domum* Petrarchæ, *ad Sorgam fl.*

XXXI. DELPHINATUS, *vulgò* Delphiné (*à quo primogenitus Regis* Delphinus *dicitur, donec patri in Regno succedat*) *in* Superiorem & Inferiorem *dividitur.* Inferioris *Metropolis in Ecclesiasticis est* Vienna, *ubi & Archiepiscopalis sedes est. Ad hanc relegatus fuit* Herodes Antipas. *Visu hic digna sunt: 1. Pons super Rhodanum, quem Tiberius Imp. cum arce gemina, fieri curavit, unde ejus summa antiquitas æstimanda. 2. Pyramis extra urbem. 3. Officinæ ferreæ. 4. Templum Cathedrale S. Mauritio sacrum. 5. Statuæ fidicinis, & duorum saltatorum. 6. Lapis ingens quadratus. 7. Templum D. Petri. 8. Turris Principis Uraniæ. 9. Asylum. 10. Pilati domus. 11. Bipet Arx. 12. Amphitheatrum. 13. Collegium Jesuiticum.*

In Politicis Metropolis Delphinatûs est: Gratianopolis, *vulgò dicta,* Granoble, *ubi Episcopalis sedes, Academia & Parlamentum est. Pons super Isaram fl. summo artificio stratus, cui similis per totam Galliam non reperitur, est singulare documentum antiquitatum loci illius. Est & ibi terra amœna collibus, in quibus vinum egregium cresc-*

um crescit. Fodinis lapideis gaudet, ut & Domo Rationum ærarij, Camerâ Edicti, duabus arcibus, Armamentario, Domo Parlamenti, Palatio Lesdigverij, Turribus & Portis spectatissimis. Circa Granoble visendus etiam est elegans Pons de Bonne. *In pago* Vif, *arx & Hortus, & inde Fons flammas evomens, post etiam Arx nova est visu digna in oppidulo* Vigile, *ut & celeberrimum illud Monasterium Chartusianum.*

Romanum *oppidum ad Iseram quoq; situm, à pulchritudine, antiquitate & divitiis commendatur. Quoad positum simile dicitur Hierosolymis. Antiquitatibus claret.*

Cæteræ Civitates sunt, Brianson, S. Vallur & Cartraose.

In superiori Delphinatu Metropolis est Embron, *ad Duentium fl. in amœna valle, cujus adjacentes montes Agaricum & Mannam ferunt.*

Montelimart *ad Roubion fl. obtinet arcem & celebre est totius Delphinatus emporium.*

Turnonium *ad Rhodanum fl. gaudet solo amœno, fœcundo, arce, Collegio Jesuitico, Bibliothecâ Papali.*

Valentiam *Urbem antiquam & amœnam, Rhodanus alluit. Academia ejus olim fovit* Cujacium Decium, *& alios IC. celebres. Extra ur-*

bem fons est frigidissimus, per fornices duo milliaria fluens. Obtinet hæc urbs quasdam adhuc Antiquitates Romanas. Intra Valentiam & Turnonium monstrantur ædes Pontij Pilati.

XXXII. *Pars Galliæ est* SABAUDIA, *vulgò* Savoje *dicta, olim per Allobroges inhabitata. Affluit tritico, cannabe, piscibus, fluminibus, stagnis & pascuis. Metropolis ejus est,* Chamberinum, *intra montes sita, in qua Parlamentum & arx Ducalis habetur. Pluviis & nivibus crebris civitas hæc exposita est.*

Burgum, *vulgò* Bourg, *civitas arce nobilis est. Sabaudiæ Dux Anno 1601 eam oppugnatam cum tota ditione Regi Galliæ cedere coactus est. Claret templo novo suburbano, habenti tumbas aliquot marmoreas & orichalceas.*

Montmelianum *profert vina generosa. Incolas habet subagestres, sed arcem munitissimam.*

Nicy *civitas sita est infra montem ad lacum, in hanc Genevensis Episcopus suam sedem transtulit. Urbs autem* Genevæ, *in termino Sabaudiæ ad lacum Lemannum locatæ, descriptionem ad Helvetiam, cui se fœdere superiori seculo, contra Sabaudia Ducem conjunxit, referemus.*

Sed LUGDUNENSIS *territorij, in quo urbs antiquitate clara* Lugdunum, *vulgò* Lion *appellata po-*

lata ponitur, hîc mentio negligenda non est. Hæc enim commerciorum Europæ, tanquam centrum est, unde plurimi etiam trapezitæ & librarij ibidem reperiuntur. Episcopatu antiquissimo, cui olim & Irenæus, Polycarpi discipulus præfuit, nobilitata est. Estq; omnium Gallicarum urbium pulcherrima, exceptâ Avignione; sed fenestras tantum papyraceas, & plateas angustas & ferè sordidas obtinet, quoad amplitudinem Lutetiæ ferè comparanda. Intra mœnia sunt plurimi agri & horti. Antiquitatem ibi redolent, arcus triumphales, aquæductus & Veneris forum. Rhodanus & Arar, sive Sagona fluvius dividunt urbem per duos lapideos Pontes in tres partes. Portus Sagonæ est probè munitus. Templum Archiepiscopale ad S. Johannem plurima memorabilia obtinet.

CAPUT V.

DE GERMANIA.

Germaniæ termini olim angustiores fuerunt. Versus Occasum enim & Galliam, Rheno; versus Septentrionem, Oceano Germanico, & Mari Balthico; versus ortum & Poloniam, Vistulâ; versus

versus meridiem, Hungariam & Rhetiam, Danubio inclusa fuit. At nunc Germaniæ tantum accessit, ut duplo ferè major sit, (licet quidam falsò contrarium statuant) quandoquidem omnes regiones ac populos, Teutonica lingvâ utentes, jure sibi vendicant. Nam primò ab occasu, Rhenum transgressa, usq; ad Picardiam & Burgundiam, Galliæ partes, extenditur, cum tota hæc pars ultra Rhenum Germanicè loquatur, & Germanorum subsit imperio. Deinde ab Ortu & Septentrione, Prussiam & Livoniam sibi adjunxit; quæ tamen nunc sunt sub Polonorum Rege. Tertiò à Meridie & ultra Danubium ad Alpes usq; Germanica lingvâ utentes, sunt Bavari, Austrij & compertinentes regiones, Item Rhetij Vindelici & Helvetij.

Uti Gallia triplò major Italiâ, sic Germania triplo major Galliâ, vulgò censetur. Atq; ita Germania totius Europæ maxima est Provincia.

Posita est Germania respectu cœli, inter Parallelum 15 & 25, ut à principio Octavi Climatis per sequentia, ad medium usq; duodecimum pertingat, sitq; dies maximus in Australioribus Germaniæ locis 15 hor. 30. min. In Septentrionalioribus 17 hor. 15 min. differantq; dies æstivi maximi inter se, ad horã unã & tres quadrantes. Tempor.

verò Orientalia ab Occidentalibus, hora una 28 min. differunt, quibus citius Sol, quoad numerationem horarum, ad meridianum Orientaliorem, tardus ad Occidentaliorem, unde horas diei, Astronomorum more numeramus, pervenit.

Longitudo Germaniæ est 210, Latitudo 135, circumferentia 690 milliarium Germanicorum.

Moderna Germania optimè dividi potest in Inferiorem, Superiorem *&* Mediam *seu* Magnam, *non annumerato* Belgio, *nec* Helvetiâ.

Hanc divisionem nobis largiuntur, qui Moguntiam, urbem Archiepiscopalem, centrum quasi Germaniæ constituant. Inde enim ad Germaniam Inferiorem pertinere dicuntur, quæ vel ultra Rhenum sunt, regiones, vel Belgis appropinquant, ut 8 hæ: 1. Trevirensis Archiepiscopatus. *2.* Coloniensis. *3.* Leodiensis Episcopatus. *4.* Juliacum. *5.* Clivia. *6.* Ducatus Montium. *7.* Westphalia. *& 8.* Frisia orientalis, cum Comitatu Oldenburgensi.

Ad Germaniam *verò* Superiorem, *quæ ad Galliam & Helvetiam sitæ sunt, ac ultra Danubium intra Hungariam & mare Hadriaticum, cobentur 11 hæ: 1* Alsatia. *2* Palatinatus Rheni. *3* Wirtebergensis Ducatus. *4* Svevia.

5. Bava-

5. Bavaria. *6.* Tirolis. *7.* Salisburgum Episcopatus. *8.* Carinthia. *9.* Styria. *10.* Carniola, *& 11.* Croatia.

Ad Mediam *denique seu* Magnam, *quæ Danubio à Meridie, ab occasu, Rheno, maximâ ex parte continentur, 20 hæ pertinent.* *1.* Hassia *cum Ducatu* Valdeccensi. *2.* Franconia. *3.* Thuringia. *4.* Mansfeldiæ Comitatus. *5.* Misnia. *6.* Saxonia *cum* Bremensi Episcopatu. *7.* Magdeburgensis Archiepiscopatus. *8.* Luneburgensis Ducatus. *9.* Brunsvicensis. *10.* Holsatia. *11.* Dietmarsia. *12.* Megapolis. *13.* Pomerania. *14.* Marchia Brandeburgica. *15.* Lusatia. *16.* Silesia. *17.* Bohemia. *18.* Palatinatus Superior. *19.* Moravia. *20.* Austria.

Præcipua Flumina *Germaniæ sunt* 5. Danubius, Rhenus, Albis, Odera *sive* Viadrus, *&* Vesara *sive* Visurgis.

Montes *celebriores Germaniæ sunt* : Jurassus, Vocetius, Vogesus, Alpes Rhetiæ, Pinnifer, Adula, Cæcius, Obnobij, Carpathici, Sudetes, Brennerus, Bernhardinus, Bructerus, *sive* Melibocus, Gigantæus, Zabotus.

Sylvæ *primariæ sunt* : Hercynia, Sudetes

Ardu

Arduenna, Ingriones, Saonus, Semana, Luneburgensis, Ottonis. *Sed de harum & Fluviorum Montiumq́ Germ: situ, in specie, locis competentibus agemus. Conditio terræ longè nunc melior est, atq́ olim fuit. Fruitur enim aëre mediocri, ut ut frigidiori temperie, culturâ diligenti, amœna, hortis & arboribus frugiferis ornata est; omnis generis frumento ac leguminibus, necnon obsonis variis, ut & Glasto, Glycyrrhiza, Rubia passim abundat. Vinum etiam hinc inde, sed non adeò generosum profert, nisi ad Ripas Rheni & Neccari. Nec desunt ei pretiosissimi thesauri, argenti, auri, æris, plumbi, ferri, aliorumq́ metallorum, præter stannum. Producit etiam sulphur ac alumen. Habet insuper salis fodinas & fontes, maritimusq́ Sal passim advehitur, unde Sal coquitur. Serico, oleo & aromatibus caret, quæ aliunde importatur. Croci tamen alicubi ferax. Thermis salutaribus affluit. Pecora, jumenta, feras, volucres atq́ pisces undiq́ habet.*

Inhabitatores Germaniæ moderni, nec virtute, nec dignitate priscis Germanis, ullo pacto cedunt: par robur inest corporibus: animo longè ornatiores. Cum enim olim in totum literas ignorassent, nunc mirificè in omni scientiarum genere pro-

re proficiunt, Græcæ, Latinæ, Hebraicæ, imò & aliarum lingvarum orientalium gnarissimi. Sunt plurimi diserti Oratores, acuti disputatores, Juris peritissimi, Medici versatissimi. Mathematicos verò nulla Europæ vel Orbis Regio, magis consummatos habet: instrumenta bellica, machinæ bombardariæ & Typographia Germanorum sunt inventa, circa æris, ferri & omnium metallorum officinas, nec non circa Horologiorum constructionem, miro ac callido ingenio, versantur. Jam Sacra Romani Imperij Sedes, quæ in Occidentem & Orientem divisa, variis multarum gentium excursionibus labefactata, dissidiis lacerata, mole suâ ruinam minitabatur, relictâ Italiâ non aliâ potiùs regione, quam Germanicâ, præsidium, robur, salutem, ultra 8 secula, quæsivit. Corpore sunt ut plurimum pulchro, mediocris staturæ, colore candido, rubore intermixto, laboriosi, constantes, fortes, audaces, bellicosi, fideles, misericordes, sed luxui, commessationibus compotationibusq; nimiùm dediti.

Germanicum Imperium distingvitur in 7 classes. In 1 Classe sunt 7 Principes Electores, ex Archiepiscopis tres, & Principibus Politicis quatuor, inter quos etiam Rex Bohemiæ locum obtinet.

Secun-

Secunda Classis habet alios quatuor Archiepiscopos.

In Tertia Classe continentur 27, in Comitiis locum & votum habentes.

Quarta Classis comprehendit cæteros Politicos Principes, quorum 18. sunt familiæ. Ex his Archiduces Austriæ præ reliquis eminent.

Ad Quintam Classem pertinent Prælati, Abbates & Præpositi numero ferè 22.

Sexta Classis, Comites & Barones ultra 60 complectitur.

In Septima Classe sunt Civitates liberæ, circiter 48, è quibus tamen paucæ in hoc rerum turbulentissimo statu, libertates & privilegia sua pristina sarta tectaq; conservare, aut inviolata retinere potuerunt.

Æstimatur Imperatorem Germanicum olim habuisse plus quam 6 myriades in reditibus, sed nostro seculo numerus hic mirum quantum decrevit. Incolarum verò per universam Germaniam, non computando Belgiam & Helvetiam, circiter decem myriades sunt. In exercitum educere potest, cum equitum, tum peditum ad ducenta millia.

Copiâ & elegantiâ tàm Urbium quàm Academiarum, Germania Italiam, Galliam & Hispa-

niam superat, uti ex subsequenti particulari descriptione patebit.

1. Primum Trevirensis Archiepiscopatus *in Germania inferiore sese offert, qui à Civitate totius Germaniæ antiquissima* Treviri *vulgò* Trier *dicta, nomen accepit. Hæc urbs ad Mosellam sita, fuit quondam Sedes Imperatorum; hinc* & altera Roma *appellabatur, præsertim, quòd multa, Romæ Urbi conformia, habuerit, veluti Palatium, Capitolium, Campum Martium, Circum, Theatra, quorum adhuc passim ruinæ supersunt. Academia ibi quoq; est vetustissima. Cænobium habet Maximini, quo nullum est in universa Germania celebrius. Ditio Trivirensis ab Astrologis malè audit, appellaturq;* cloaca Planetarum, *quod illius aër frequenter sit nubilus & pluviosus. Colles circumjacentes vitium sunt feraces. Fluvij & duo lacus vicini, copiosos pisces præbent; lapides etiam Laichensis lacus nitidissimos, viridis, crocei & rubicundi coloris Smaragdis & Hyacinthis conformes. Sunt & ibi fodinæ argenti, plumbi & ferri, nec non salutares thermæ.*

Comitatus ei subsunt 5: 1. Manderscheit *ad Leseram.* 2. Eyfel *ad Kil fl.* 3. Vernberg *ad Nerivum.* 4. Herrenstein. 5. Veldenz *ad Mosellam.*

Abbati

Abbatiæ huc spectant 4. Prunum, Metlochium, Himmelbrot, Toley.

Oppida tandem, præter Triverim, sunt ad Mosellam præfatum Veldenz, Berncastella; *quæ propriè referuntur ad terram vulgò* Hundsruck *dictam, ubi &* Creuznach *sita est.*

Confluentia, *vulgò* Coblenz, *ad ostiũ Mosellæ eo in loco, ubi se in Rhenum exonerat, condita, unde & nomen suum sortita est. Conspicua ibi est arx Archiepiscopi editissima*, Hermanstein, *sive*, Ehrenbreitstein / *dicta, ad Mosellam in latere Rheni. Visu etiam ibidem digna sunt, bina Canonicorum Collegia, Teutonica Domus, Palatium Electoris, & cœnobia multa. In vicino monte sunt acidulæ. Cives emunctæ naris sunt homines, aliquid Attici spirantes.*

Cæteræ civitates ad Eyfaliam *terram sunt*, Sarburgum *ad Sar fl.* Vitlichum *ad Leserum.* Ulma minor *ad Us fl.* Mejen *ad Nette.* Sinzing *oppidulum perelegans, arce præditum est, ad Aar fl.*

II. Coloniensis Archiepiscopatus, *olim Ubiorum Sedes fuit, eiq; nomen ab urbe primaria* Colonia Agrippina, *sive* Colonia ad Rhenum *est inditum, quæ libera Imperialis Urbs est, quoad situm Lunæ cornutæ similis, uni-*

versæ Germaniæ maxima Civitas: continet enim in ambitu milliare Germanicum ferè cum quadrante. Suburbiis caret. Circa Curiam & in Fœni Foro sunt valdè magnificæ ædes. E pluri- mis suis Templis eminet Cathedrale, sive S. Petri, quod ferè ob suam magnificam structuram, sed non absolutam, inter miracula mundi referendum esset. Ferunt ibi recondita esse corpora 3 Regum, seu potius Magorum. In reliquis templis Reliquiæ S.S. exhibentur, ut & Alberti Magni sepulchrum, cum suis manuscriptis libris. Pretoriæ ædes à turri variis statuis, præsertim Consulis Leonem interficientis, & peristyliis artificiosis exornata commendantur. In Sacello Jerusalem dicto pictura memorabilis visitur. Habet Monachorum cœnobia 15, 89 Virginum, 19 templa Cathedralia, 11 Xenodochia, Nosocomia totidem, Gerontotrophia, Brephotrophium, Mente privatorum Ergastulum, Academiam, 3 Gymnasia, ultra 100 Scholas triviales. Intra mœnia continentur horti amœni & vineæ. Fossæ urbis, arboribus proceris vestitæ sunt, ideò ob ambulatiunculis Studiosorum meditantium, valdè delectabiles & accommodatæ. Antiquum Forum exornatum est artificioso horarum indice. Bertius hanc urbem Germaniæ Romam ap- pellan

pellandam censet, ob similem Imperij formam, ratione Consulum, Proconsulum, Prætorum, Censorum, Tribunorum, Vigilum, Quæstorum, Ædilium Præfectorum annonæ, &c. Divitense munimentum è regione urbis ultra Rhenum vicem nunc obtinet, Monasterij Benedictini Ord. exstructi, ab Heriberto Archiepiscopo Coloniensi, pœnitentiæ loco, quod nempe tempore caritatis annonæ plurimos mendicos, horreo inclusos, comburendos curaverit.

Broel, *oppidulum ornatum est arce & vivario. Ad hunc Archiepiscopatum pertinet* Novesium *sive Nuys, quæ probè munita urbs est, ornata Templo Collegiato, & mola artificiosâ, Olim Rhenus eam alluebat, sed ab urbe longius recessit.*

Rheinberga *multis vicibus ab Hispanis & Belgis est expugnata. Nunc Hispanis paret.*

Andernacum, *Telonio & Valentiani Imperatoris tumulo est celebre.*

Bonna, *ad Rhenum, agrorum fertilitate & amœnitate gaudet. Comitatus Arnspergicus huc quoq; referendus, cujus præcipuum oppidum est* Arnspergum *ad Ruram situm, arcem editiore monte adjunctam habet, commodam Episcoporum residentiam, inprimis quoad venationes & piscationes.*

 III. Leo-

III. Leodiensis Episcopatus, *sive Diœcesis, habet agrum amœnissimum atq; fertilem, inprimis Brabantiam versus, hinc &* Paradysus Sacerdotum *vulgò appellatur. Deprehenduntur ibi ferri, plumbi & auri fodinæ, sed hæ parciores sunt. E montibus atq; lapicidinis, eruuntur marmora candida, saxa grandia, fossilia ad ignem idonea, quæ vocantur* Carbones Leodienses, *unde annuatim ultra tonnam auri lucrantur incolæ: qui tamen eorum usu noxio plurimum pallent. Si semel ignem hi concipiant, oleo quidem is restingvitur, at aquâ vires recuperant; calor iis inest vehementissimus, quando & Leodienses hæc tria sibi præ aliis locis, arrogant quod* Panem habeant, pane meliorem; Ferrum, ferro durius; & ignem igne calidiorem. *Urbes in hoc Episcopatu præcipuæ sunt*

Leodium, Lüttich/ *Episcopalis sedes, quæ in circuitu milliare ferè Germanicum, multo montes, vitibus, consitos, complectitur. Irrigatur rivis, Utâ, Vesâ & Ambluariâ, in Mosam Urbem transeuntem, sese exonerantibus. Ei meridie adjacet sylva Arduēna, acidulis affluens. Mœnibus prœaltis, & latis plateis ornata est, Academia illius adeò olim floruit, ut in ea Reges. Principes & Comites simul studiis operam navarin.*

rint. Multis Monasteriis & Collegiatis templis claret, è quibus S. Lamberto sacrum thesaurum obtinet, cum statua aurea Equitis S. Georgij. Palatium Episcopi est magnificum. Puteis abundat, inprimis Fons Ciceronis nobilis est. Cives sunt hospitales; sed poculis nimium dediti. Ædes Lævini Torrentij præter Bibliothecam instructissimam, alias quoq; perplurimas res memorabiles cum Antiquitatibus continent. Extra Urbem Cœnobium D. Laurentij ornatum est. Campanis harmonicè consonantibus.

Tungri, Civitas, ad fl. Jekel, munita & ampla, Lutetiâ 50 ferè milliaribus Germ. distat; quæ via olim tota lapide constrata fuisse dicitur, extantibus etiam nunc quibusdam reliquiis manifestissimis. Herculis templo & Statuâ celebris est civitas. Octo milliaribus ab hac civitate distat Pagus Spa dictus, fonte insigni præditus, cujus aqua phthysi, hydropi, febribus nec non aliis morbis efficaciter medetur.

S. Trudn, est Abbatia & oppidum.

Hoy habet rivulum impetuosissimum, sese in Mosam ibidem exonerantem. Sita est in amœnissima valle. Pannificio, ferri fodinis, frumento & vineis claret. Arce Episcopali firmâ, in monte exstructâ, cum puteo profundissimo &

Sphæristerio gaudet. Cruciferorum Domus & B. Virginis templum, visu quoq; ibi digna sunt.

Sunt etiam in hoc Leodiensi Episcopatu Ducatus Boullionensis, *Marchionatus* Francimontensis, *Comitatus* Berchlonensis *seu* Leotensis, *& Comitatus* Hasbaniæ, *multi item Baronatus, Abbatiæ ultra 50 opulentissimæ. Oppida reliqua dicuntur* Bulionum, Francimontum Bachvorm, Hasselt, Dinantum, Maseicum Stochum, Busenum, Viserum, Tuinum Varenum, Beringum, Herc, Brec, Hamontium, Sincium, Fessa & Lavinum.

IV. Juliacensis Ducatus *à Juliaco urb & munitione nomen habet. Hic est* Aquisgranum, *urbs Imperialis, in valle, montibus cincta Religionis causâ, aliquoties turbæ in ea ortæ sun. Summum Templum obtinet monumentum Caroli M. cujus etiam Palatium ibi conspicitur: Thermis gaudet, plumbi & ferri fodinis scatet. Effoditur insuper in illius agro lapis* Cadmia *dictu quo cupri color rubeus, in aureum colorem mutatur. Cætera ejus oppida sunt:* Marcodurum, *sive Düren,* Monasterium *ad Iselam, cum arc & Collegio Canonicorum,* Euskircha, Berchmum, Grevenbruck, Gladbachum, Dalmum, Vassenbergum *&* Erculensa. *Ar*

Nobilin

Nobilium sunt: Pallant, Meroden, Renschenberg, Nessebroden, Vachtendunk. *Baronatus* Vikradiensis *habet arcem munitissimam.*

V. CLIVIAE Ducatus *habet agrum fertilem frumenti, lætum pascuis & irriguum aquis. Tophi ibidem ex quibus cæmentum fit, magna in copia colliguntur, & Brabantis ingenti lucro divenduntur.*

Insignes in eo civitates sunt, 1 Clivia, *ad clivosum montem sita; juxta munimentum antiquæ structuræ: Collegio Ecclesiastico ornata est. Non procul inde distat famosissimum munimentum* Schreckenschantz/ *ad confluentem Vahalis & Rheni.*

Vesalia, *libera olim civitas posita est ad concursum Lippæ & Rheni, à Belgis Anno 1629 occupata, postquam Hispani eam 15 annos obtinuissent.*

Rhesa *ad Rhenum sita est*, Calcaria, *lanificio, cerevisia, Foro septimanali, Granario Ducum, Judicio appellatorio Curiæ, Bibliothecâ celebris.*

Genapium *ad Nersam fl. angvillas laudatissimas suppeditat.*

Teutoburgum *sive* Deutschburg / *vetus Francorum regia egregium habet templum, Salvatori sacratum. Ad hanc civitatem sylva est*

montosa, rivis quàm plurimis referta, feras omnis generis, equos indomitos, sues etiam in magna copia producens. In hoc Saltu Legiones M. Quintilij Vari cæsæ sunt, teste Tacito, de quo paulò post plura.

Embrica *ad Rhenum nobilis est templo Collegiato, Gymnasio aliisq́; splendidis ædificiis. Sunt & Cliviæ oppida,* Grietha, Griethusium, Gocha, Santum. *Huc pertinent Comitatus* Moers *ab ejusdem metropoli nomen habens, in quo etiam arx præclara* Modilinia *conspicitur.*

Spectat etiam ad curiã, Cliviæ Dominium Ravenstein, *à civitate ad Mosam sic dictũ. Oppida illius sunt* Herpen *&* Volkel.

VI. Montensis Ducatus *habet agrum fertilem tritici, unde candidissimus panis conficitur. Metropolis ejus est* Düsseldorpium, *a Dussela amne, qui eam mediam perfluit, dicta, in loco admodum amœno sito; ideoq́; Duces Juliacenses, Clivenses, & Montenses plerunq́; in hoc oppido sedem suam habent. Abundat hic Ducatus atro carbonario lapide. Inter Præfecturas commendantur* Blanckenburg, Steinbach, Siburg, *ad Sigfl.* Lennep, Erverfeld.

Essendia *Imperiale Oppidum Canonicatum præstat. Abbatia asyli privilegio gaudet, & locus*

in ea

in ea maximè Die Bohrt dictus. Celebratur à candido pane, textrinâ, fabrili opere & sclopetis, fontibus, atro carbonario lapide.

Huc meritò refertur Marchiæ Comitatus, à Mark Oppido, ad Lippæ fluvium. Verdona ad Ruræ amnem angvillis feracem. Oppidani rem pecuariam & agrariam commodè exercent. In montibus prealtis & sylvosis porcorum greges alunt, induratas fumo pernas & petasones sapidissimos præparant.

Dortmunda Imperialis civitas ædificiis nobilis, inprimis Collegio S. Panthaleonis, templo S. Martini, nec non Monasteriis Xenodochiisq;.

VII. VESTPHALIA, est frigida, dura, at salubris & fructifera regio, sed earum magis rerum, quæ alendis pecoribus quàm hominibus conducunt. Porcos, ob copiam glandium, plurimos alunt, hinc pernas fumo exsiccatas, aliis regionibus suppeditat.

Vulgò de Vestphalia circumferuntur versiculi:

Hospitium vile, grof Brot / dün Bier / lange Mile /
Sunt in Vestphalia, si non vis credere lop dar.

Sed quæ de pane & milliaribus, hîc dicuntur pro veris; è contra, de hospitio vili & cerevisia,

pro

pro falso habenda sunt. In primariis enim civitatibus, non tantum hospitia competentia, verùm etiam sapidam cerevisiam reperies. Continet 4 Episcopatus, qui omnes subsunt Archiepiscopo Coloniensi. 1 Monasteriensis, *2* Paderbornensis *3* Osnabrugensis, *4* Mindensis.

Monasterium *totius Vestphaliæ Metropoli est, in compascuo loco sita, munitissima, & pe Anabaptistarum sectam, ibi deletam, celeberri ma reddita. In hac olim literæ summoperè floru erunt. Quinque Collegiis nobilitata est. Gaude cerevisia triticâ,* Münsterisch Koit/ *vel* Pat vica *dicta, accolis gratissima & Hamburgen similis.*

Susatum, Soest/ *secundas obtinet, po Monasterium, quoad munitionem, amplitud nem & præstantiam suam. Decem Basilicas t net. Abbatiâ Patrocli, cerevisiaque sapidâ nob litatur. Pagus vicinus* Passendorf, *Salem civ bus suppeditat. Pertinent huc Oppida:* Bochol Horstmar, Rhem, Zassenburg, Ride, Ri berg.

Paderbornensis *Episcopatus, à* Paderbo *civitate insigni, quæ, quod Pade fons, ibidem templo Cathedrali, sub altari summo, oriatu nomen habet, & inde in Lippiam, quæ quoque lon*

longè inde fontem suum habet, fluat. Huc spectant Harstele, Deilbrug, Saltkoten, Kleinberg, Desenberg, Brakel, Huxhorn. *Non procul à Paderborno inter Lippiam & Amisiam est locus iste cum monumento à Germanico Imp. erecto, ubi* Quintilius Varus *Rom. Belli Dux, tribus legionibus, à Germanis cæsis, sibi ipsi mortem conscivit.*

Osnaburgensis *Episcopatus, ab* Ossenburg *civitate & arce munita, ad Hasam amnem, in convalle sita, dicitur. Celebratur à duobus Canonicorum Collegiis, cerevisiâ pingui,* Buse *nuncupatâ, nec non gryseo & lineo panno. Ejus Oppida sunt:* Melle, Quaczenburg, *ad Hasæ fl.* Stenforda.

Mindensis *Episcopatus, similiter à* Minden *civitate amœnissima & munitissima, ad Visurgim & Fuldam posita, denominatur. Coquit bonam cerevisiam hæc urbs, multis vicinis gratam, variis mercaturis abundat. Ejus oppida sunt:* Himmelrük, Petershaga.

Varburg, *claret cerevisiâ, ferri & plumbi fodinis.*

Comitatus deniq; W*estphalia hos ferè habet.* Lemgoviensem, *cujus primaria civitas est* Lemgav *ad fl: Bega, claret solo fertili, Gymnasio, Ty-*

sio, Typographia & cerevisia sapida. 2 Benthimensem, *cujus primaria civitas est* Benthem: 3 Lingensem, *à* Lingen *civitate: cui valde vicina sunt oppida* Haselunen, Meppe, Kloppenburg: 4 Teklenburgensem *à* Teklenburg *Oppido*: 5 Tipholtensem *à* Dipholt *civitate*, 6 Schaunburgensem, *cujus civitas in montanis suspicienda est* Schawenberg. *Sub quo Comitatu etiam sunt* Rinteln *ad Visurgim fl. quæ urbs Academiâ Anno* 1621 *ornata est*: 7 Ravensburgensem *à civitate* Ravensburg, *in monte sita. Huc spectat* Hervorden *&* Bilefeld, *quæ posterior civitas claret arce & telâ nobili.* 8 Lippensem, *cujus civitas ad fl. ejusdem nominis sita est* Lippa, Rivulus Weiha, *per omnes urbis ferè vicos qui benè ampli & æquales sunt, fluit. Gaudet agro fertili, sed tamen aquatico, hinc stagna frequentia habet. Faciem urbis decorant templa 4 magnificæ structuræ.*

VIII. Frisia Orientalis, *fuit olim peculiare regnum, estq́ regio ferarum & armentorum, ut porcorum, boum, equorum optimorum & vaccarum feracissima, unde lacticinia plurima parantur. Nec desunt ibi frumenta fabæ, pisa. Salem etiam in alias regiones mittit.*

Sunt in ea civitates ad mare sitæ duæ, prima

ria Embdena, *ad Ems sive Amasium fl. emporium celeberrimum, habens portum opportunum, alveo admodum profundo, ut etiam navigia maxima, passis velis, admittat. A civium multitudine, commerciorum frequentiâ, Anglorum Stapulo, Arce Comitum, mœniis munitissimis, Gymnasio, divitiis & ædificiis splendidis, nec non cerevisiâ sapidâ commendatur. Ager illius multo gramine, fœcundus, planus ac palustris est. Ligno caret, bituminoso cespite & sicco stercore boum, ignes incolæ fovent.*

Altera Frisiæ hujus maritima Civitas est Hansverum. *Est & Mediterranea Civitas* Aurichium, *Germanis* Aslingen *dicta nobilis, quæ ob sylvas & nemora vicina, in quibus venationes & aucupia plurima se offerunt, à nobilibus præcipuè inhabitatur.*

Comitatui Embdensi alÿ duo, Oldenburgensis, *&* Jeverensis, *qui nunc sub uno Comite sunt, adhærent; ille ab* Oldēburg, *civitate munita, fl. navigabili Hund irrigua, ubi & Comes sedē suā habet, denominatur. Hic à* Jevira *civitate* Ostringiæ *cui ad ortum* Rustringia *plena pagis adjacet. Ambo Comitatus pascuis pro pecoribus, quæ magnâ copiâ alunt, & lacticiniis abundat, & caseos laudabiles, carnes suillas ac pernas optimas proferunt,*

ferunt, similes Westphalicis. Huc pertinet Delmenhorst, *arce munitâ superbiens.*

Ac tantum de Germania inferiori, cui rectè jungitur Belgium, in sequenti capite explicandum. Nos verò ad Germaniam Superiorem procedimus, in qua sese offert.

ALSATIA, *quæ* IX. *est pars Germaniæ. Huic alia Regio in* Rhenensi *tractu, ob singula rem fertilitatem frumenti, vini, arborum, ca stanearum, leguminum, aliarumq; frugum, vi comparari potest. Montes mineris, inprimis ve rò argenti, æris & plumbi abundant. Paret di versis Dominis, partim Archiducibus Austria partim Basiliensi, partim Argentoratensi Episco po, partim Abbati Marbachensi, partim aliis Jacet maxima ex parte inter Mosellam & Rh num fluvios, & dividitur in* Superiorem e Inferiorem.

Superioris *metropolis est* Ensheimium *ubi Archiduces Austriæ, peculiarem curiam h bent, ad quam ab inferioribus tribunalibus a pellatur.*

Rubeaquum, Ruffach / *antiquissimum A satiæ est Oppidum, à Romanis conditum, à re quiis Valentini, & animadversione gravi in j*

res, ol

res, olim fuit celebre. Arcem Episcopalem obtinet, estq; imperialis urbs.

Colmaria fluviis 4, Lucha, Duro, Fœchta, & Ello irrigatur; multis cœnobiis referta est. Granarium, Armamentarium, & Mercatorum domum habet. Prope hanc urbem sita sunt Hohenlandsberg, Ammersveiler, Rapozveiler, Münster.

Gebveiler inter juga montium vitiferorum sita est, subest Abbati Marbachensi, qui plerunque ibi residet. Claret thermis; ut & Vatveil extra montes posita.

Sletstat sive Selestadium, Patria Beati Rhenani Historici, ad Ill fl. refertur inter 4 pagos Rom. Imp. Templo summo, turri & Cathedrâ nobilis est.

Keisersberg, Oppidum Imperiale, optimum totius Alsatiæ vinum profert.

Gengenbach, obtinet totius ferè Germaniæ monasterium nobilissimum.

Bernfeldia castrum est apprimè munitum & præcipuum hujus tractus propugnaculum.

Inferioris Alsatiæ primaria urbs est Argentoratum, Germ. Straßburg / ad Rhenum, Kinzgium & Illum fluvios sita. Bruschus etiam amnis eam ferè mediam dividit. Munitis-

ſima, florentiſsimaq́; eſt civitas. Viſu maximè digna præbet. 1 Turrim inter miracula mundi numeratam, totiuſq́; Europæ & Aſiæ artificioſiſſimam. 2 Collegium Academicum. 3 Armamentarium. 4 Granarium. 5 Aulas nonnullas Principum & Comitum. 6 Xenodochium, Vernaculè Die Elendherberg, *7* Das Blatterhauß. *8 Monaſterium S. Marci. 9 Monaſterium D Wilhelmi, utraq́; aſyla Studioſorum pauperum. 10 Pontem ligneum, quem vix inter dimidian horam, obambulando emetiri potes. 11 In Cœnobio nadipedum Ceimiliarchiam. 12 In Curia Po culum ligneum capaciſsimum. 13 Cancellariam 14 Officinam monetariam. 15 In ſummo templ Organum muſicum maximum, Cathedram, Bi bliothecam, maximum, minimum, duriſsimum molliſsimum & ſummè incurvatum lapidem Artificem ruſticum per rimam feneſtræ apicem turris; imagines hieroglyphicæ in ſummitate c lumnæ lapideæ (ſuggeſto oppoſitæ) exſculpt. Globum, Simiam, Horologium cum Aſtrolabi 16 Sphæriſterium. 17 Palæſtram. 18 In Tur quadam* Nummularia *dicta, vexilla vetuſ & cornu Monocerotis. 19 Viridarium D. Luke 20 Antiquarium Schoneri. 21 Hortum medicum 22 Molam ad turrim albam. Laudatiſsima flor*

Repu

Republ. Rapis, cæpis, raphanis, caule, papavere, napis. Horti intra mœnia abundant, unde aliquot centeni Hortulani quæstum magnum faciunt. Compactores ibi librorum reliquis palmam præripiunt.

Offenburgum, *elegans, sed exigua imperialis est civitas.*

Taberna Alsatica, *vulgò* Elsaß Zabern/ *fuit munimentum Romanorum contra incursiones Germanorum in Galliam. Ejus mœnia anni septimanas & dies repræsentant. Vino & frumento abundat.*

Luzelstein *gaudet arce & vectigali, situmq; obtinet in angustiis montium* Klaus *dictis, in terra* Westereich / *ad quam etiam tres subsequentes civitates referuntur.*

Hagenavv, *civitas imperialis, posita est in solo arenoso. Quatuor Imperij pagis annumeratur. Undiq; sylvis vastis cingitur. Imperij insignia olim in Palatio Friderici Barbarossæ ibidem extructo reservabantur.*

Weissenburgum, *Sepusium dictum, civitas imperialis elegans, in* Vasgoja *ad Lutram fl. & Vogasi montis radices, sita, collibus humilibus, sed amœnissimis undiq; clauditur, per cujus medium Lutra amnis labitur. Corona cuprea in templo*

& *Monasterium spectatu ibi digna sunt. Loca hujus districtus privilegiata, lapidibus altis, sunt in via signata. Castaneis affluit.*

Landoia *sive* Lindavia *imperialis civitas probèq; munita, sita est in fertili solo, ad Queich fluvium.*

Molsheim, *nobilitata est novo Collegio & Academia Jesuitarum. Canonici Argentoratenses ibi resident, & templum Parochiale tenent.*

Ad Alsatiam *referendi sunt* Suntgovia & Briscoja *vicini tractus.*

Suntgovia *complectitur Comitatum* Tphirtensem, *cujus civitates sunt* Tphirt, *vino & frumento abundans, &* Thann, *ad vitiferum montem Rang & Thur fl. sita, præditâ arce editâ, & domibus elegantibus.*

Mulhausen, *urbs quondam imperialis tàm naturâ quàm arte munita, ut quæ 4 fossis circumluatur, & totidem pontibus adeatur. Solum habet vini ac frumenti fertile, ad* Suntgoviam *etiam spectans.*

Mas-münster, *claret Monasterio virginum.*

Eidem Suntgoviæ *assistit & Comitatus* Montisbelgardi, *cujus egregium oppidum, collegium arcemq; egregiam, cum viridariis & variis ostentans, est* Montisbelgardum. *Ci-*
h...

hanc civitatem, visuntur plurima Antiquitatis Romanæ vestigia.

Huc etiam spectant Glans, Clarvana, Passevang *una cum castris suis, Duci Wittenbergico subjectis.*

Bruntraut *obtinet arcem & sedem Episcopi Basiliensis.*

Briscoja, *nobilissima & feracissima regio, paret partim Archiduci Austriæ, partim Marchioni Badensi. Ejus metropolis est* Brisacum *ad Rhenum in monte prealto, rotundo, instar Castri situm, unicum tantum puteum obtinens. Sub finem Anni 1638. à Duce Vimariensi Bernhardo, post diuturnam obsidionem, tandem deditione captum est. Fodinas habet opulentas. Non procul inde distat Veneris mons famosissimus.*

Friburgum, *intra montes & varios rivulos positum, in loco amœno. Claret Academiâ, chalcedoniorum expolitoribus, turri & ædificiis magnificis nec non thermis vicinis.*

Sulzberga & Valdkirch *nobilitantur etiam thermis proximè adjacentibus.*

Einsheim *obtinet tribunal Austriacum, inque templo Parochiali ostentat lapidem grandem è nubibus quondam delapsum.*

Huc referendi quoq; sunt tractus Zœringen-

sis, Hochburgensis, Badenvilensis, *thermis clarens*, Stauffensis, Burkensis, Habsburgensis, Zulzensis, Mersburgensis, Rappolsteinensis & Reichenveilensis, *in quo vinum crescit generosum.*

X. Palatinatus Rheni, *sive* Inferior *amœnitate, fertilitate & ubere rerum omnium proventu, vix ulli parti Germaniæ cedit, cum & vitiferis montibus, qui præstantissimum vinum & castaneas plurimas proferunt, & egregiis pomariis ac insuper agri frumento, tritico siligine & hordeo turgentibus, abundat.*

Metropolis ejus est Heidelberga, *ad Nicrum fl. & Ottonis sylvam sita. Observatu ibidem digna sunt: Arx Electoralis in monte, Academia Templum S. Spiritus, Horti Electorales, Armamentarium, Dolium maximæ molis, cum suis notis, in cella vinaria, Collegium Casimirianum Pons cum Simiæ nota.*

Iter illud amœnissimum sive tractus montanus inter Heidelbergam & Francofurtum, vocatur Die Bergstraß / *ob colles vitiferos, lucos umbrosos, prataq; lætissima, ibiq; Ottonia sylva incipit.*

Udenheim *sive* Philipsburg *novum & forte castrum est, ad Alsatiam potiùs referendum.*

Spir

Spira, *Nemetum liberaq; Imperij civitas, nobilitata est summo tribunali Romani Imperij. Templum Cathedrale ostentat multa Imperatorum, Regum, Principum Mausolæa, ut & montem Olivarum, inter miracula mundi referendum. Habet is suas peculiares notas, de quibus peregrinus spectator ipsemet inquirat. Ante Templum Collegiale spectatur lapis grandis, rotundus & excavatus, quem quisq; novus Episcopus invisere solet. Cella publica obtinet amplum dolium. Aula Episcopalis palatiis magnificis eminet.*

Rheinzabern, *obtinet Cœmiterium antiquitatibus plenum. Non procul hinc nascuntur sub terra vasa fictilia.*

Vormatia, *urbs Vangionum, à crebris Comitiis ibi institutis, & dignitate Episcopali clara est. Monstratur ibi gigantis cujusdam pertica & sepultura. In fornicibus novæ Curiæ multa etiam ossa gigantea pendent. Visitur ibidem arbor ingens enata ex spina; Horologium item cum effigie Imperatoris Friderici* IV. *Judæis scatet. Tantum vini intra muros quotannis producit, quantum toti urbi posset sufficere. Vinum autem ejus loci rubeum, ab* Anserum pedibus *nomen habet.*

Moguntia, *Archiepiscopalis munitissimaq; urbs ad Rheni & Mœni confluentiam sita est. Districtus ille, in quo hæc civitas & Wormatia est, vulgò* Vestrasia, *appellatur. Estq; Francofurto minor latitudine, longitudine tamen superior. Majori ex parte continet ædes Clericorum, vicosq; angustos. Domus quidem sunt amplæ & altæ, sed vetustioris formæ. Nobilitata est Academiâ & arce munitâ S. Martini* Castrum, *dicta, in qua Archiepiscopus Moguntinus, æstivo tempore, residere solet. Visu digna ibi sunt, Templum Collegiatum, Templum Franciscanorum, Collegium Jesuiticum, Bibliotheca. Nulla est in toto Rheni tractu civitas, quæ plura Antiquitatis monumenta ostentat, quàm hæc. Inprimis ibi extra urbem visitur monumentum* Drusij, *in modum piræ extructum, vulgò* Echelstein / *appellatum. Conspicitur etiam ibi ejusdem statua. Apparent insuper ibi antiqua vestigia limitum* Superioris *&* Inferioris Germaniæ. *Huic Typographiæ & tormentorum æneorum inventio adscribitur. Alij aliis locis has artes attribuunt. Ager illius vinum producit salubre. Ob amœnitatem & ubertatem rerum in hac civitate, Germanorum ortum est proverbium :* Wenn Franckfurth mein wer / so wo

so wolte ichs zu Mäyntz verzehren. *Frequens ibidem pulsus campanarum ad Missas, proverbio etiam alio Germanico locum dedit:* Eben/ als wenn einer zu Mäyntz gewesen were / vnnd hette nicht hören leyten / oder zu Rom / vnd hette den Bapst nicht gesehen. *Juxta Moguntiam est districtus* Ringoviæ, *à vino generoso famosus, continens* Elfeldium, Erpachium, Montem S. Johannis, Rudensheimium, Vallachum, Lerchum, Marienthalium, *&c.*

Ingelheim, *celebris à priscis Conciliis, Comitiis, Palatio Caroli M. ubi & natus dicitur. Inde quoq; oriundus fuit*, Sebastianus Münsterus, *Cosmographus.*

Höchst, *amœna civitas ad Mœnum fl. sita est. Ad hanc An. Chr. 1622 Christianus, Dux Brunsvic. à Cæsareanis profligatus est.*

Bingium, *ad confluentiam Rheni & Nahæ, juxta se habet in medio ferè Rheni, Turrim Murium, à tali eventu sic dictam.*

Aschaffenburg *obtinet arcem munitam, augustam, prospectu amœnam, in qua Archiepiscopus Moguntinus hyeme residet. Cellam habet amplissimam, longissimamq;. In ipso oppido est Collegium Jesuiticum.*

Pfeddersheim *vineis undiq; cincta est generosissimis, nec Baccheracensibus cedentibus.*

Neckermund *notum oppidum ab officinis & molis cupri. Ei adjacet arx* Disperg.

Franckenthal *novum & munitissimum est Emporium, à Belgis exulibus An. 1576 ut pluri-mum conditum: olim tamen à Monasterio quoq; clarum fuit.*

Ladenburg *ad Neccarum, est sedes Episcop Wormatiensis.*

Oppenheimum *vetusta civitas ad Rhenum, quoad situm Hierosolymam refert. Typographiâ gaudet. Circumquaq; solum generosum vinum profert.*

Manheim *munita civitas cum arce, ubi f Nicrus in Rhenum influit, 24 Papæ Rom: consp cicnc us est.*

Caub *oppidulũ juxta se habet duas arces edita*

Keifersluter *ad Luter fl. ostentat Palatiu Friderici Barbarossæ lateritium.*

Bretta *Patria est* Philippi Melanchtoni

S. Gevver *oppidulum situm est ad cataracta Rheni ubi à voragine plurimum aquæ absorbetu*

Baccharum *vino generoso claret.*

Divisus est hic Palatinatus in 4 Præpositu*ras. Prima est* Heidelbergensis. *2* Alzensis,

Alze

Alzea oppido. 3 Neostadiensis, *à* Neostadio *civitate perelegante, ad Luter fl. ubi conditum est corpus* Zachariæ Ursini Theologi, 4. Mozbachensis *à* Mozbach *civitate pulchra ad Neccarum, quæ à confectione cultrorum & gladiorum nobilis est.*

Palatinatui adjacet Ducatus Bipontinus, *dictus à* Biponte, *civitate,* Zweybrucke/ *ubi &* Taberna montana Bergzabern/ *obtinens arcem, horologio artificioso gaudentem.*

Selza *sive* Schvarzach, *ad eũ locũ Rheni sita est ubi ex arena illius fluvij plurimũ auri colligitur.*

Huc etiam Marchionatus Badensis *spectat, à civitate* Baden/ *ubi thermæ salubres sunt, quo pertinent* Neoburgum, Phorzeimium, Durlachium, Etlingen, Heidelshemum, *ad Salzam fl. Alij tamen Phorzheimium* Kreichgoviæ *adscribunt, ubi etiã sylva* Hagenschies *est.*

XI. Wirtenbergensis Ducatus *nomen habens, à* Wirtenberga, *arce veteri in editiori colle sita, aërem habet salubrem, agrum frumenti, leguminum, fructuum & vino fertilem, inprimis ad Neccarum fl. sed circa Suevicas Alpes, & Nigram Sylvam, solum ejus est subasperum vitibus inimicum, pascuis tamen idoneum. Sunt in hoc Ducatu urbes, arces & pagi admodum frequentes.*

Inter

Inter civitates verò præstant, primò Tubinga, *ad Neccarum locata, in qua visitur arx præclara, vitifero colli superstructa, quæ olim Comitum Tubingensium sedes fuit. Academia illius præclaros semper sustinuit Professores, Collegium novum magnificè extructum est. Bibliothecam habet instructissimam. Exercitia linguarum ibi institui possunt. Consistorium ejusdem, Palatio Principis æquiparari potest. Ostentat aliquot sceletha & testudinem artificiosè depictam. Senatus Academicus habet potestatem damnandi reos capite, supremum tribunal Duces ibi instituere solent. Visu digna exhibit Armamentarium, Templum S. Georgij, in quo monumentum Ludovici Truchsessij, & in fenestra homo, rotæ impositus, singulariter observatur. In cella publica monstratur Dolium insitatæ capacitatis. Commendatur hæc civitas singulari decore Puellarum.*

Stutgardia, *metropolis, regia Wirtenbergensium Principum, in valle sita, montibus vitiferis cincta, ædificiis non adeò splendidis gaudet. Pestis sæpè ibi grassatur. Templum Collegiatum obtinet, sepulturas Ducum; Templi Leonhardi monumentum* Capnionis *sive* Reuchlini, *viri clarissimi. Arx habet hy-*

caust.

faustum capacissimum, & hortum peregrinis fructibus & herbis instructissimum, ut & Sphaeristerium cum Hyppodromo ornatissimo. Solarium novum, sive das newe Lusthauß / multa memorabilia, inprimis Antiquitates Romanas & scaturigines artificiosas exhibet. Equile Ducis & armamentarium visu quoq; digna sunt.

Reitlinga ad Cohez & Nicrum fl. celebris est ob officinas papyraceas & ferrarias; hinc & Reitlingenses gladij commendantur. Templum summum obtinet duo organa magnifica, cum Sepulchro Christi. Curia & Xenodochium quaedam notabilia ostentant. Civitas non tantum est imperialis, sed & privilegio singulari gaudet, ut homicidae improvisi tutò in eam tanquam in Asylum se recipere ibidemq; sine confiscatione bonorum suorum, habitare queant. Dimidio milliari ab urbe, specum amplum viatores invisere solent. Adjacet etiam urbi arx Hohen à chalm dicta.

Göppinga ob fontes acidos & thermas salubres celebre est oppidum.

Chalb oppidulum similiter penes se habet thermas, ferinas dictas. In hoc Ducatu etiam sunt thermae Cellenses.

Wila ad Wirms amnem, imperiale oppidum probè

probè munitum, *Patria* Johannis Brentij.

Vinida *oppidulum illustratur Domo Teutonica*, *& nativitatibus* Polycarpi Lyseri, Ægidij Hunnij & *I G.* Sigvarti.

Villinga, *nobilitatur thermis vicinis in nigra sylva.*

Aurach, *in convalle sita*, *obtinet arcem editam. In Cœmiterio monstratur Sepulchrum* Nicodemi Frischlini, *qui ex captivitate dictæ arcis effugere conatus*, *rupto funiculo, in subjectam petram præcipitatus, miserè periit, An.Ch. 1590*

Kirchheim *munita est civitas*, *arce*, *armamentario*, *stabulo, mola equina, aliisq; rebus necessariis probè instructa.*

Eslinga, *ad Nicrum nobilis est Xenodochio* [illegible]*pulentissimo*, *quod cella octuplici condecoratur* [illegible] *Templum ejus artificiosam imaginem B. Mari*[illegible] *ostentat.*

Heilbrunna *ad Nicrum*, *splendidis ædifici*[illegible] *& plateis mundis ornata est*, *ager illius vites* [illegible] *marmor gignit. In foro spatioso habet nobilem c*[illegible]*sternam*, *ut & Curiam cum artificiosissimo H*[illegible]*rologio*, *Solis ac Lunæ cursum repræsentante* [illegible] *Turris templi spectatu etiam digna est.* *H*[illegible] *imperialis civitas à conventibus crebris Prin*[illegible]*pum clara est. Ejus districtus vulgò appellat*[illegible]

Creic-

Creichgavv, *in quo & oppidum* Wimphea *situm est.*

Schorndorffium, *egregium oppidum, patria est* Scheckij, *eximij Philosophi. Commendatur à munitione & cellis præstantibus.*

Maulbrona, *Monasterium est elegans & famosum, à colloquio Theologorum quondã ibi instituto.*

Lauvenna & Rotenburgum ad Neccarum *oppida, ferè sunt obscura, nisi quod hæc thermas in Au habeat.*

Nirtingen *ad Neccarum fl. in meditullio obtinet arcem Ducalem.*

Huc refertur Comitatus Zollern, *ita dictus ab arce ejusdem nominis, in jugo montis, cui vicina &* Hechnica *&* Hohenberg *Dominium, in quo sunt* Rosenfelda, Sulz, *thermis gaudens, &* Rotvil *ad Nicrum in colle eleganter & firmiter instructa, in qua exercetur Consistorium imperiale.*

XII. Svevia, *regio ferè montosa & sylvosa est, saluberrimi aëris, multi frumenti, & pecora quãplurima alens. Ex montanis argentũ, æs & ferrum colligitur. E sylvis amplissima & notissima illa est quæ* Nigra *dicitur. Paret partim Archiducib⁹ Austriæ, partim Bavariæ & Wirtenbergicis Ducibus, & hi posteriores plurimum quidem possident. Urbes in ea primariæ sunt:* Ulma,

Ulma, *Imperialis civitas, ad Danubium, Blavium, & Ilerum fluvios condita, magnopere munita, præclaris ædificiis ornata. Summum templum quantitate & splendore suo, reliqua Germaniæ superat, ejus structura novem constai tonnis auri; nunc, in hac rerum omnium carita te, vix 20 condi posset. Visu in ea digna sunt Sacrarium cum nota aleæ, Cathedra, Baptiste rium, mons olivarum, Organum ultra 3000 fi stulas continens. In turris vicinæ sublimitat monstratur locus, ex quo Maximilianus I Im perator ferè delapsus fuit. Claret etiam hæ urbs Gymnasio, Curiâ, Granario, Armamenta rio, novo quodam ædificio, Civium Domo, Aul vinariâ. Molis equinis & manuariis, Hydrau lica officinâ, Xenodochio ditissimo, duobus baln is ægrotorum. Omnium Germaniæ urbium e opulentissima, unde etiam ipsi subsunt aliquot re empti Comitatus, cum oppidis & multis pag. In ambitu ferè sesqui milliare sese extendit. C ves ex lanificij specie, quam Vescanicam, Germ ni* Parchen *&* Golsch *vocant, divitias sibi pl rimum comparant. Republicâ gaudet laudat sima.*

Lavinga, *patria* Alberti M. *antiqua civitas, uti ex monumentis apparet.*

Gundelfingen & Dillingen *sita sunt ad fl. Prenz & Danub. Hæc obtinet Collegium Jesuitarum.*

Augusta Vindelicorum, *urbs imperialis præclarissima, inter Lechum & Vertham fluvios sita, ante Christum natum annos 1220 condita. Urbs suis commerciis, ingeniosis inventis, prudenti Senatu, misericordiâ in pauperes, ædificiis publicis, ante alias multùm nobilitata. Inter ædificia publica præcipuam laudem merentur: Armamentarium, curia cum turri,* der Börtler *dicta. Turres aquaticæ, Fontes publici, Xenodochia, Leprosarium, Expositorum infantum domus, morbo Gallicorum infectorum ædificium. Pons artificiosus circa curiam. Fuggerorum ædes antiquitatibus plurimis ornatæ, templum Episcopale, in quo monstrantur Carolo V. Imp. insignia, Vexilla, gladius, sceptrum, aurea corona. Horologium etiam ibi habetur nobile. In templo S. Ulrici crypta ostenditur, in quam glires atque mures omnes urbis, miraculosè collegit dictus S. Ulricus, unde vulgò dicitur, nullos ibi glires nec mures in hunc usque diem reperiri. In Palatio novæ curiæ, singulares notas peregrinantes observare solent. Sunt & Hypocausta aliquot in curia illa, adeò artificiosè exstructa, ut tempore hyberno,*

exiguo igne paucisq; lignis, calefiant. Aula etiam Episcopalis egregia est. Dominus Heinhoffer & Bimmel peculiares habent Ceimiliarchias, Alb amicorum, horologiis & vitriis artificiosissimi nec non aliis quamplurimis inventis nobilitata. An. 1612 Pannifices in hac urbe fuerunt 1232 qui singulis annis 400 000 petias seu partes Vesc nia, Parchen dictas texuerunt, postquam a tem à Cæsareano milite An. 1634 obsessa, & e defectu commeatûs sese dedere coacta fuit, in niversum vix 15 mille hominum superstites ma serunt, reliquis peste & fame extinctis. Ante opp gnationẽ in ea vixerunt centies mille hominum

Civitates in Algoja sunt Meminga, ad Ile fl. Imperialis urbs, Patriciorum familiis antiqu simis claret. Cives ex lino & gossipio textis ma riis, Parchet/ dictis negotiationes & divitu suas habent. Optima etiam papyrus ibi conficit

Mindelheim ad Mindel amnem, habet monte vicino arcem.

Biberach imp. civitas, sita est ad fl. R inter convalles, in paludoso solo. Textoribu bundat, & à Xenodochio, homicidarum a commendatur.

Giengen, oppidulum imperiale amœnu ostentat Fanum, cujus exterior pars plurimas xis insculptis effigies repræsentat.

In medio ferè Rhetiæ Trans-Danubianæ *sive* secundæ, *vulgò* Rieß *dictæ*, *sive* Sveviæ superioris, *situm est imperiale oppidum* Nordelinga *ad Eger fl. in planitie egregiè munitum, Nundinis celeberrimis gaudens. Ad hanc An. 1634 Cæsareani milites exercitum Confœderatorum Evangelicorum, fuderunt. Ædes pleræq́ sunt ligneæ sed tamen eleganter exstructæ, templum ejus obtinet perpulchram ædiculam Sacramentariam, & turrim editissimam. Est ibi armamentarium & Mercatorum Domus. Cives panno & corio negotiationes suas instituunt.*

Vembdingen *vicinas habet thermas. Huc etiam spectant* Weissenburg, Schvabach, Monhaim, *ubi plurimæ acus conficiuntur.*

Kaufbevern *Im. Civitas, genuit* Victorinum Strigelium, *virum* C L. *Referuntur insuper huc* Hohenloe, *Comitatus, in quo* Hala *Suevorum est urbs libera, inter sublimia juga Kochenthalia ad Kocharum amnem condita, qui eam mediam dividit. Nomen accepit à salsis lacunis, & fonte salso, qui centum circiter officinis salariis, materiam præbet salis coquendi. Situs urbis, ob vicinos montes ad defensionem tantopere commodus est, ut circa illam nec castra locari, nec tormenta bellica ordinari valeant. Ob-*

tinet hæc Civitas Commendaturam Johannitta-rum.

Dominium Limburgense, *ab arce in edit[o] colle sita, ut &* Helfenstein *Comitatus, simil[i]ter ab arce, nomina sua sortita sunt, à qua no[n] longè abest* Geislingen, *civitas Ulmensibus sub-jecta, celebris à figulina & tornario artificio.*

Ravensburgum *est oppidum imperiale ele-gans in valle ad Schuss fl. juxta montem vitife-rum, cui arx incumbit.*

Fürstenberg *oppidum & Castrum in mon[te] sublimi sita, Comitatus titulo gaudent.*

Uberlinga *fuit quondam Sueviæ Ducum re-gia. Sita est ad lacum Podamicum, ubi statio [&] trajectus navium est.*

Buchorn *oppidulum est imperiale & op[u]-lentum.*

Cella Ratolfi *oppidum elegans, magno fo[ro] frumentario claret.*

Campidonum Kempten/ *Imperialis & ve-tusta civitas, celebris à textrina & telâ.*

Vangen *oppidulum imperiale ad Arg fl. c[la]-ret tribunali, falcibus, telâ, & vino rubro.*

Isna *etiam imperiale oppidum, lino & tel[a a]-bundat, uti ferè omnes* Algojæ *civitates.*

Gemundia *oppidum Imperiale ad orifici[um]*

am[nis]

amnis Remisi sita. Est hîc magnum negotium lapillorum crystallinorum, succini & ossium, è quibus formantur globuli precatorij filis innexi. Non procul inde distat Castrum montanum Hohenstaufen & celebre monasterium Lorch dictum.

Dunkelspula urbs Imperij vetusta, ad amnem Bernicum locata, abundat zeâ, frumenti genere, stagnis & vivariis. Optimum mulsum ibi coquitur.

Lindavia Imperialis civitas, intra lacum Bodamicum sive Acronium, eleganter & firmiter extructa est; gaudet cœnobio, mercaturâ, solo vicino fœcundo & aëre salubri.

Brigantium ad Bregenz fl. oppidum vetustum habet & celsam arcem.

Constantia, ad præfatum lacum condita, Episcopali gaudet dignitate, celebris à Concilio An. 1414 ibi instituto, ex cujus decreto Johannes Husſ & Hieronymus Pragensis combusti sunt, quorum carcer & locus supplicij peregrinis ibi adhuc monstratur. Basilica, Collegium Jesuiticum & Monasterium Cappucinorum spectatu dignissima sunt. Vicinus ager fertilis est frumenti, fructuum & vini & pascuorum. Datur ibi limus aquosus, ex quo verum ferrum paratur.

 XIII. BA-

XIII. BAVARIAM *Danubius irrigans, eam duplicem facit*, Superiorem, *quæ nobis ultr Danubium ad Alpes extenditur.* Inferiorem *quæ cis Danubium nobis est propior, quanquam & ultra Danubium, tractus nonnulli humiliore referantur ad Inferiorem Bavariam.*

Superior, *montibus, sylvis ac lacubus ingen tibus impedita, minus habitatur, ferarum, v lucrum & pecorum est altrix. Sues ob copiam glandium & pomorum sylvestrium, multas n trit; & sicuti Hungaria Boves, ita Bavaria S es, aliis populis vicinis affatim suppeditat. Sun autem ibi præcipuæ civitates:*

Monachium *ad Iseram fl. universæ Germ niæ pulcherrima urbs, & valdè populosa. Æd in foro omnes insistunt porticibus. Patritius or hic nobilior est, quàm alibi, quique quotannis D minico die, qui Epiphaniam sequitur, sese p urbem trahis circumvehunt, & convivium sple didum in curia postero die, instituunt. Corpo Christi festo in hac Civitate, ob processionem, r gio apparatu institutam, plurima visu digna currunt. Arces duæ in ea continentur, vet & nova. Nova quæ Electoris sedes est, ref architecturæ Italicæ symmetriam, eamque stup dam. In ea ornatissima sunt conclavia, Bibl*

t

theca, Ceimiliarchia, Autiquarium, Oratorium. Vetus Castrum suas quoq; notas habet singulares. Ibi etiam visendum Armamentarium & Sphæristerium. Templum & Collegium Jesuiticum, quoad elegantiam, cæteris Europæis præferenda sunt. Templum Cathedrale abundat clenodiis & variis reliquiis S.S. Gaudet etiam Organo, ligneis fistulis instructo. Officinæ aquaticæ variæ & viridaria ibi reperiuntur. In curia Electorali aluntur seorsim Leones, tygrides, lynces. Nundinis hæc civitas claret. Ex texturâ holosericâ cives quæstum habent. Præter opulentissima Xenodochia, ibi etiam est Diversorium pauperum peregrinantium. Hæc paucula ex plurimis in ista urbe visu dignissimis innuisse, sufficiat; de reliquis curiosus Peregrinator ipsemet sedulò singillatim percontabitur.

Bürkhausen *egregia civitas, ad Salzam fl. arcem habet in monte excelso conditam.*

Fürstenfeldum & Dachau *oppida, ad Ambre fl. sita sunt.*

Freisinga, *urbs elegans, ad confluentem Mosachi cum Isera condita, in solo aspero & clivoso, penes paludes, obtinet arcem Ducalem.*

Ottinga, *oppidulum nobile, ad Innum fl. juxta se habet* Ottingam veterem, *vicum templo*

eleganti & Collegio Jesuitico clarum.

Inferioris Bavariæ *ager, non solùm magnâ varietate, Pomonæ, & præstantissimo Liberi patris liquore, Deos pariter ac homines recreante, & beatâ Cereris fruge, sed & pinguissimo & uberrimo salis munere luxuriat.*

Metropolis ejus est Landshuttum *ad Iseram, in loco amœnissimo, vitifero & maximè pascuoso locatum; claret templo magnifico & turri totius Germaniæ editissimâ, (uti Turris Argentinensis artificiosissima, Viennensis fortissima) cui inest grandis campana. Curia & Domus provincialis splendidè sunt extructæ. Palatium Ducale, vulgò novum ædificium dictum, magnificentissimum est, cum horto operibus topiariis nitidissimo. Extra urbem in monte vetus arx Ducalis est. Peregrinantium notâ, in hac urbe e[...] caput osseum sive mortuum.*

Ratisbona, *libera & imperialis civita[s] condita fertur tempore Passionis Christi. T[ot] templis & sacellis decorata fuit, quot annus di[es ha]bet. Turribus etiam plurimis gaudet, ideò tu[rr]ita urbs appellatur, satis est ampla at non pop[u]losa, & undiq; clero referta. Ob Comitia i[bi] sæpè instituta celebris. Pons saxeus super Dan[u]bium Germaniæ est pulcherrimus, subtus mol[...]*

vers-

versatiles aliquot habet, in quibus acuuntur & poliuntur ferramenta varij generis. In ponte etiam maximus & minimus lapis, ut & statua à peregrinis observari solet. In Cœnobio S. Emerani Dominicanorum, in templo Collegiato sive Episcopali, in Curia in Collegio & Templo Jesuitarum, multa memorabilia visuntur. Extra urbem conditum est monasterium celeberrimum Carthusianorum, cui par in Germania ad splendorem nullum est.

Ingolstadium *ad Danubium, propugnaculum totius Bavariæ est munitissimum, ideoq; nec à Svecico exercitu superioribus annis expugnari potuit. Arce, Collegio Jesuitico sive Academiâ, templo B. Virginis, multis antiquitatibus & monumentis, aliisq; ædificiis condecorata civitas est.*

Hochstat *vel* Hastet *oppidum prolixum, arce præditum.*

Donavertha *ad Danubium, gaudet suburbiis amplis, & monasterio augusto cum templo, monumentis Principum instructo.*

Passavium *urbs Episcopalis, ad ostium Oeni in Danubium sita, gaudet templo & Palatio Catulari, nec non arce in monte Georgij conditâ,* Oberhusa *dictâ, celebris à transactione inter*

Evangelicos & Pontificios Anno 1552 ibi constituta.

Straubinga *Danubij vicinitate, Curiâ Ducali & templo summo illustratur; gaudet solo fertili, plano & amœno, Ædificia continet egregia.*

Pfätter *oppidulum commendatur à rapis sapidis.*

Numerantur alias in Bavaria 35 urbes, 49 oppida, 75 Cœnobia, 720 Arces, 4700 Pagi 2874 templa, 16 Lacus, 5 flumina navigabilia, 65 amnes illustres, 270 ignobiles rivi, 350 Piscinæ, 263 Sylvæ, 290 montes Sylvestres.

XIV. *Comitatus* Tyrolis *nobilis est ab chalybis, ferri, cupri ac argenti fodinis, & eapropter Regno comparandus. Habet montes altissimos, pertetuis nivibus obductos, & in illis sylvas damis, capreolis & aliis feris refertissimas.*

Primariæ ejus civitates sunt: Tyrolis *a vallem vetustam & Athesin fl.*

Halla, *ad Oenum fl. ubi salinæ sunt, officina monetaria, Vitraria & Palatium regium, templum & monasterium egregium atq; opulentum. Ædes urbanæ, ad formam Italicam, planis tectis condecoratæ sunt.*

Brixia, *ad Rientium fluvium, inter montes sita producit vinum rubrum sapidissimum. A*

&

& scaturiginibus salubris gaudet. Æstivis ædiculis amœnissimis, collibus superstructis abundat. Templum Collegiatum magnificum est, ut & curia Episcopalis.

Bozen, frequens est Emporium, nundinis & sede judiciali clarum. Incolæ vexantur, quod canem, loco ursi, occiderint & deglutiverint. Accolæ bobus suis ferreos calceos induunt, quò commodius montes ascendere queant. Venationibus locus est valdè opportunus.

Oenipons, Germinspruck inter montes editissimos, sita est. Fluvius Oenus eam mediam ferè dirimit, Mœnibus, ob montes, non undiquaq́ cincta est. Suburbia gaudent ædificiis præclarioribus, atq́ ipsa civitas, ut ut & in ea splendidæ domus sint. Notatu digna ibi sunt, Monasterium Franciscanorum, cum templo ejusdē præcellenti: Arx Archiducalis augustissima, Armamentarium instructissimum, Porta Septentrionalis, Dicasterium, Gazophylacium. Buleuterion magna ex parte deauratum. Oenoponticæ alpes celebriores redditæ sunt, per Maximiliani Imp. periculosissimam venationem, in cujus rei memoriam signum crucis, in rupe illa inaccessa, erectum est.

Exiguo milliari ab urbe distat Arx Ombras,

quæ

quæ tot Antiquitates & ingeniosissimas inventiones continet, ut stuporem potiùs, quàm admirationem, spectanti pariant.

Svazia ad Oenum fl. Pagus est, in valle conditus, tantæ magnitudinis, ut ultra millenos inhabitatores contineat, circa illum quamplurimæ sunt argentifodinæ.

Tridentum juxta Athesin fl. in alpibus vitiferis situm, celebratur ob concilium istic habitum Anno 1546. Civitas est ampla, egregiis ædificiis exornata. Promiscuè Germanicâ & Italica linguâ utitur, & quidem utrâq; tam purè, ut neq; in Germania neq; in Italia sit purior. Castellum & Palatium Episcopale, ad urbem sun operis exquisiti. Rivuli omnes plateas irrigant Germanorum sentina hæc urbs; Italorum ver refugium est; cùm quid infortunij illis occurri Parùm frumenti; sed plurimum vini profer Dies caniculares ibi sunt æstuosissimæ, hyems a gidissima, quæ omnem aquam ipsis subtrahi Templum Episcopale, ornatum est Organo præce lentissimo. D. Petri fanum obtinet aliquot mon menta & reliquias S. S.

XV. Salisburgensis Episcopatus, n mē accepit à Salis copia, qui ibi excoquitur, que admodum & alia mineralia, aurum, argentu

& fe

& ferrum, item sulphur, alumen, vitriolum & Antimonium terra illa gignit, ut ut non fert frumenta & fructus, ob paludum & montium multitudinem, ex quibus pabulum pro pecoribus & feris crescit, unde & venationibus instituendis locus optimus est.

Ejus urbs metropolitica Salisburgum, ad Salzam fl. opibus, elegantiâ, munitione & templo Collegiato memorabilis est. D. Petri Fanum Thesaurum obtinet. Nosocomium S. Sebastiani nobilitatum est Sacello Diederici elegantissimo, & monumento sepulchrali Theophrasti Paracelsi, Chymici celeberrimi. Castrum Archiepiscopale, in colle situm, inexpugnabile æstimatur. Suburbium visu dignum exhibet Palatium Mirabella appellatum. Non longè ab urbe sita sunt Estiva Archiepiscopalia, cum hortis artificiis hydraulicis & topiariis ornatissimis.

Civitates quasdam alias obtinet ut: Fravensteinum, Veisbachum, Reichenthal, Raus, Pergam, Mansee, Wasserburg, quæ ultima ad Oenum fl. sita est inter montes: Gaudet ædificiis splendidis, inprimis templis perpulchris.

XVI Carinthia, est regio valdè monsa, abundans lacubus & fluviis, unde & paucius frumenti; nonnulli tamen colles triticum & secale

secale copiosè ferunt. Incolæ passim sunt Strumosi, inprimis ad montem vulgo Kazberg dictum.

Metropolis in ea est S. Vitus, *ad Glanum fl. urbs suspicienda, ob forum amplum, & fontem aquæ limpidissimum.*

Villacum *in planitie quidem situm est, sed rupibus altissimis septum ad Dravum fl. Negotiationes ibi versus Italiam instituuntur.*

Klagenfurtum *urbs egregio vallo cincta, Collegio Judiciali celebris est. Olim in ea, si qui furti insimulabatur, illico suspendabatur, & pòst demum sententia lata an justè vel injustè vit privatus sit.*

Spital, *ad Dravum fl. superbit palatio Com. tum de Ortenburg.*

Frisachum, Marchburg & Volckmarchum *ad Dravum, etiam sunt oppida Carinthi.*

XVII STIRIA, *dividitur in* Superiore & Inferiorem. Superior, *sita ad Ortum, montosa admodum est, atq; ideò asperior. Estq; universa Stiria argenti & ferri fodinis, therm & Salinis passim referta, ac à rusticanis præcipè inhabitatur, qui etiam plerîq;, ut & boves Strumas maximas gerunt in gutture, ob aquas ex i metallicis venis erumpentes. Plurimi Germani, nonnulli Sclavonicâ linguâ utuntur.*

Urbs præcipua cum munitissima & editissima arce est, Grazium *ad Muram fl. elegans at non amplum, suburbiis tamen latioribus gaudet, celebre à conventibus publicis, summâ Curiâ judiciali & nundinis. Visu hîc digna sunt Parochiale Templum S. Ægidij, reliquiis S. S. ornatum, Collegium magnificum Jesuitarum, Cœnobium Franciscanorum, Cœnobium Fratrum misericordiæ, S. Andreæ fanum, Aula cum Ceimiliarchia & Bibliotheca Archiducali, Prætorium, Armamentarium, Domus leporina.* Judenburg *Metropolis superioris Styriæ ædificiis nobilium præstat, ut & Collegio Jesuitico.*

Vaasen, *arx munitissima, ornata est hortis artificiosissimis. Reliqua oppida dicuntur* Leoben, Rackelsburga, *quæ est antemurale contra Turcas. Gaudet arce, armamentario & Granario Ordinum Styriæ.* Bruckum, *ad Muram fl.* Veravia, Pettau *ad Dravum fl.* Sopianum. *Plures in eo Comitatus sunt, inter quos* Warasdiensis, *ad Dravum fl. &* Lebraviensis *ad Muram amnem. Comitatus Ciliæ, habet urbem, ejusdem nominis, vetustam, cum arce interna & externa. Vivario etiam nobilis est. Templum Minoritarum, obtinet Comitum sepulturas. Sunt ibi quædam vestigia Antiquitatum.*

CAR-

XVIII. CARNIOLA, Krayn *Germanis dicta, duplex est.* Inferior *tota Italici juris est, &* ſicca *apellatur, ob poroſam terram.* Superior *dicitur* irrigua, *ob copiam aquarum. Civitates in hac regione primariæ ſunt,* Labacum *ad fl ejuſdem nominis, habens penes ſe arcem in coll ſitam. Civitas quidem elegans est, ſed impur aëre affligitur. Celebris ob publicos conventu Epiſcopalem ſedem & Eccleſiam. Germanica Provincialis, Præfectiq; Domus, præter mona ſteria obſervandæ hic ſunt: Prope hanc civita tem est ſtagnum illud famoſiſſimum & miracul ſiſſimum,* Zyrkniter See *dictum, in quo, d verſis anni temporibus, piſcatio, venatio, aucup um, pabulatio & meſſis inſtituitur.*

Goritium, *est metropolis, Comitatus* Gor*tiæ, claret munitione, collegio Jeſuitico, Dom provinciali, & aliis ædificiis primariis.*

Idria, *ad Gilniz fl.*

Ranzina, Vippach Portus de Liſontio *ſunt obſcuriora Carniolæ oppida.*

XIX CROATIA, *pertinet partim ad Imperium Rom. partim ad Ungariam; Turca tam potiorem nunc illius partem obtinet. Præcipu civitates habet,* Zeiſſenburg, *ad Gurg fl.* Rudolphsverth *ad eundem;* Rhein *ad Savum*

Lai-

Landstras, Metling, Carolstadium, *quæ ampla & munita est.* Vihiz *anno 1592 à Turcis occupatum.* Charastoviz, Modrisch, Copraniz Crux *&c.*

Nunc MEDIAM seu MAGNAM GERMANIAM aggredimur, *in qua sese offert, in nostra Methodo* XX, HASSIA, *Regio est dives pecorum, ovium, lanæ, lini, ferarum, argenti, cupri, plumbi, ferri, alabastri, lapidum fissilium & carbonariorum, gypsi, calcis, acidularum, salinarum, viniq; acetosi.*

Primariæ hujus regionis urbes sunt, Marpurgum *ad Lanum fl. totum ferè monti adhæret, ut per gradus & Cochleas passim eundem sit. Claret Academiâ, Arce editâ, (in qua Landgravius residet) cum viridario & area Palæstrica, Dicasterio, Palatio Præfecti urbis, Curiâ, villa cygnæâ, molâ cuprariâ, officinâ fusoriâ, papyraceâ, templo biturrito, domo Teutonicâ, in quibus singulis plurima notabilia occurrunt.*

Cassellæ, *Landgraviorum quoq; sedes amœnissima & munitissima. Dividitur hæc urbs à Fulda amni. Collegium, stabulum Principis, Viridarium, Templumq;* Die Freyheit *dictum visu digna sunt, Mercatu piscium, asellorum, passerum, caseorum, equorum & corij pro calceis, valdè est celebris.*

 Fris-

Frizlaria *in monte sita, habens mœnia turrita, subest Archiepiscopo Moguntino.*

Francoberga, *vetus civitas ad Amnem Ederam, qui aureas volvit arenas. Patria est* Ælij Eobani *Poëtæ. Habet templum elegans.*

Giessa, *ad fl. Lanum, propugnaculum est munitissimum, habens arcem, Dicasterium, Armamentarium instructissimum. Collegium ejus Academicum, noviter in Pædagogium, redactum est.*

Smalcalden, *ad Verram, à fœdere Principum Evangelicorum, nec non constitutione articulorum Theologicorum, famata civitas est, habens Collegium Canonicorum.*

Eschvega, *ad Verram. fl. in colle sita, gaudet arce Ducali & viridario, huc Isatis herba copiosè defertur & ultra promovetur.*

Spangenberg, *munita civitas, claret arce in monte, & puteo in rupe exciso.*

Hersfeld, *elegans oppidum, ad Fuldam fl. Abbatiâ nobilitatum.*

Grünberga, *ampla civitas, commendatur ab arce, ponte, binis templis, binis curiis, binis suburbiis.*

Alsfelt, *ad Schvalmam fl, elegans urbs.*

Darmstadium, *oppidum elegantissimum, in illius medio foro est arx augusta & sedes aulica Principum Darmstadinorum.*

Jaci-

Incorporati, seu cohærentes Comitatus ad Hassiam, hi ferè referuntur: 1 Isenburgensis, *ubi oppidum cum arce* Vechtersbach. *2.* Vetteraviensis, *à* Vettera *oppidulo, quod est Patria* Justi Vulteii *IC.* Crollii *Chymici. Item* Dryandri *Medici & Mathematici celebris. Ibi & ad* Stadam *acidulæ sunt. 3* Nassoviensis, *à* Nassau, *arce editissima, cui subsunt Dominatus* Visbadensis, *in qua Civitas est ejusdem nominis, cum thermis, item* Dillenbergensis, *ab arce* Dillenberga, *Comitum Nassaviæ sede. Huc spectat etiam oppidum* Sigena, *habens arcem in fastigio montis, Ferrifodinis & Martis Scholâ olim claruit. Ibi etiam est* Herborna, *civitas munita & nobilitata, arce atq; Gymnasio, cui per aliquot annos maximum lumen conciliavit Philologus & Theologus, totius Europæ celeberrimus,* Joh. Henr. Alstedius, *Amicus meus quondam observandus, qui Albæ Juliæ Transylv: sub finem anni 1638 mortalitatem exuit, ætatis suæ 50 an. magna cum jactura Rei literariæ. 4* Cattenelbogensis *à civitate ejusdem nominis dictus. In hoc Comitatu, prope* Trebur *oppidum, Pomus est, quæ singulis annis, vigiliâ Nativitatis Christi, floret, & maturos fructus fert. 5.* Witgensteinensis *ab arce* Witgenstein. *6*

Waldecensis à Waldek, *cujus metropolis est* Gorbachium, *nobilitatum Gymnasio, curiâ, arce Basilicâ, Cœnobio, Granario, Armamentario, cerevisiâ, singulis præstantibus.*

Schvalbach, *acidulis nobilitatur.* 7 Zigenhainensis, *ab urbe & propugnaculo, totius Hassiæ munitissimo, in loco palustri, ita dicto.* 8 Hanoviensis, *ab urbe* Hanav, *benè munita & per incolas Gallos & Belgas ædificiis exornata, arce Typographiâ & mercatu commendata.* 9 Solmensis, *in quo Laubacum oppidum, habens arcem & sedem aulicam, cum viridario amænissimo. Habet etiam Scholam militarem, Ager illius gignit terram sigillatam.* 10 Kônigsteinensis 11 Diециensis. 12 Niddanus. *Dominia item* Epstein, Iter, Plesse, Buchavia, *in qua est Abbatia* Fuldensis, *& urbs ejusdem nominis* Fulda *ad fl. Fuldam, ejus templum variis antiquitatibus condecoratum & triturritum est. Commendatur hæc civitas à Bibliotheca, negotiatione lanæ & lini. Incolæ hujus districtus utuntur dialecto Germanicâ peculiari.*

Fridberga *urbs Imperii, mirificè exornata Castro Frid. II. Imp. Equitum Canonicorum splendidâ domo, Synagogâ Judæorum, in qua fons mirè profundus visitur, acidulis extra mœ-*

n.

nia scaturientibus, templo cathedrali & foro amplissimo.

Gelnhusa, *urbs imperialis, inhabitatur ob amœnitatem à multis nobilibus.*

XXI. Franconia *densissimis sylvis ferè clausa est, intusq; Cerere & Baccho, cæparum & raparum fertilis, in Germaniæ meditullio sita, fluminibus piscosissimis perluitur.*

Illustres in ea urbes sunt Würzburgum *sive* Herbipolis *ad Mœnum fl. populosa, multis templis & monasteriis referta, ampla & munda Episcopalis civitas, multas antiquitates ostentans. Gaudet Academiâ, Xenodochio structuræ admirandæ, Teutonicâ Domo, templo collegiato novo, Bibliothecâ. Montes vicini generosissimum Franconiæ vinum producunt, vina enim Germaniæ celebriora hoc modo recensentur:* Zu Bacherach am Rhein / Zu Klingenberg am Mäyn/ vnd zu Würtzburg am Stein/ Sind die besten Wein. *Proximus urbi mons,* Vnser Frawen Berg *dictus, obtinet arcem, in quæ residet Episcopus.*

Bamberga, *Episcopalis quoq; civitas est, ad Mœni & Regnesi fluvij confluentiam sita, patria est* Joachimi Camerarij, *viri CL. &* Christophori Clavij, *Fastorum Reformatoris. Nobilita-*

bilitata est Aulâ Episcopali, Templo Cathedrali, Præpositi Domo cum viridario, Collegio novo Jesuitico. Annumeratur 4 pagis Romani Imperij, ut & nec dum mœniis ubiq; circumdata est. Non datur in tota ista regione amœnior locus, atq; hic est. Ager illius non solùm melones, pepones & crocum feliciter profert, sed & copiosissimè glycyrrhizam, quam alibi Germania non producit.

Francofurtum ad Mœnum, libera imperialis est civitas, universæ Europæ emporium nundinarum celeberrimum, Bibliopoliis refertum, Electioni novi Imperatoris consecratum. Magistri artis Gladiatoriæ hîc creantur. Templum Carmelitanum obtinet imaginem Mariæ ingeniosissimè pictam. Templum Cathedrale cum Sacello augusto, in quo Imperator eligitur, nec non Prætorium; der Römer, dictum, cum Palatio electorali, & locus in quo bos assatur, & vinum ex cisterna continuè fluit, visu digna sunt. Opifices ejus urbis, publicam notam habent, imaginem Christi, ex ære conflatam, in medio ponti. Ultra Mœni pontem oppidum est, Saxenhausen dictum, primariâ urbe munitius.

Gerau, oppidulum à nundinis & agro, frumenti viniq; fœcundo, præstat.

Noriberga, ad Pegniz fl. qui urbem interlu-

in meditullio Germaniæ, imò ferè in Umbilico totius Europæ sita est, in provincia Norica, sive Nordgojensi. Politiâ, mercaturâ, elegantiâ & ingeniositate civium celeberrimâ, mœnibus præstantissimis ex quadratis lapidibus, munita. Visu in ea digna sunt 1 Templum D. Sebaldi, multas antiquitates (quæ tantum Principibus monstrantur) obtinens, 2 Templum D. Laurentij, 3 Monasterium Prædicatorum, habens peculiarem notam. 4 Prytaneum. 5 Curia. 6 Armamentarium. 7 Novum Palatium amplissimū, in quo pugiles Scholas suas & Histriones Comœdias instituunt. 8 Granarium. 9 Arx regia in monte, in quo puteus profundissimus, Horti pensiles & vestigia equi, Apellis de Geilen, monstrantur. 10 Forum primarium, cum suo fonte, statuis ornato. 11 Molæ artificiosissimæ ad confectionem papyri & formationem æris extructæ. 12 Ceimiliarchiæ & viridaria quorundam primariorum civium. 13 Horologia Sonantia & Solaria artificiosa. 14 Varia Nosocomia. 15 Extra urbem campus publicus palæstricus & jaculatorius. 16 Lapicidinæ. 17 Thermæ. Urbis ambitus ad 2 milliaria Germ. sese extendit. Ager illius est arenosus & sterilis. Numerus civium ad 25 mille æstimatur. Vici ibi sunt 528, Putei publici 112, Pontes 12, Balnea 13, Tur-

res mœniales 265, Fora 10, quæ nundinis propemodum quotidianis frequentantur. Gaudet propriâ monetâ, quæ in illius dictione tantùm valet.

Alit & hæc urbs opulentissima, Academiam in oppido vicino Altorf, *quæ tamen non habet potestatem creandi Doctores. Professores in ea celebriores fuerunt H.* Donellus *O.* Giphanius, *F.* Wesenbecius, *S.* Gentilis, *C.* Rittershusius, C. Hofmann *&* D. Sventer, *qui duo posteriores probè de me meriti sunt.*

Lauffen, *oppidulum Noribergense elegans, candido pane commendatur.*

Coburgum, *ad Crempam fl. elegans civitas nobilitata aulâ Ducali, Gymnasio, Grammatophylacio, Castro, extra urbem, in monte sito.*

Sveinfurtum, *ad Mœnum fl. imperialis urbs, claret egregijs ædificijs & molendino, est natale solum* Conradi Celtis, *Poëtæ Germani primi*, *&* Cuspiani *Historici C.L.* Kurberg *inclaruit geniturâ Joh. Regiomontani Mathematici.*

Forchheimum *condecoratum est mœnibus & propugnaculis munitissimis, armamentario & sepulchro* Pontij Pilati, *uti vulgò, sed falsò creditur.*

Kônigshofen *ad Tubarum fl. munitissimum*

opi-

oppidum, continet Granarium Episcopi Herbipolentis, claretq́; populosissimis nundinis.

Rotevburg, *imperialis civitas, ad Tubarum amnem condita, & alto jugo superstructa, aquâ tamen potatili destituta est. A bona politia & eleganti Curiâ commendatur. Ejus situs urbem Hierosólymam repræsentare dicitur. Ob frumenti copiam appellatur* Franconiæ Horreum.

Vinsheim *imperialis civitas, claret bonó vino Gymnasioq́;, ex quo multi docti viri prodierant.*

Mergentheim *nobilitatur sede Magistri Teutonici ordinis.*

Weissenburg *imperialis civitas, ad Almon fl. ostentat fossas, per quas Carolus M. Danubium Rheno conjungere voluit.*

Propè Eichstadium *sita est arx* S. Wilibaldsberg, *in qua Episcopus residet. Huic adjacent 8 viridaria, plurimis ingeniosis inventionibus & operibus topiariis cum clenodiis pretiosissimis referta. Huc referendæ* Gunzelhusium, Cadelsburgum, Gemundum, Wertheimum, Reichenbachum, Ochsenfurtum, Lichtenbergum, Blassenburgum, Svabachum, Culmbachum, Bareitum Curia *sive* Hoff,

Kreilsheimum, Kizinga, *Patria P.* Eber *Theologi*; Weissenfeldum; *à rigore justiti erga oberrantes notum.* Staffelsteinum, Schle singa, *quæ Consistorium, aulam Comitis Henne bergens. & Johannitarum; nec non Gymnasium obtinet:* Onolzbachium; *quæ nitida est civi tas, in cujus arce residet Marchio Brandenburg. cus, exhibetq́; multa memorabilia:* Heilsbrun na *Monasterium Gymnasio clarum*; Hilper hausen *& aliæ Vortlandicæ, Hennebergenses & Onolzbacenses civitates.*

XXII THURINGIA, *feracissima est fru gum, Isatidis, lagaminum, pecorumq́; hinc* Sumen Germaniæ *vulgò appellatur. In longi tudine occupat 12, in latit. totidem milliaria. Ni hilominùs 12 Comitatus & totidem Abbatias & quidem Ducales, 144 civitates, totidem oppid. 2000 pagos, 250 arces, in tàm angusto spatio obti net. Primariæ ejus urbes sunt subsequentes:*

Erphordia, *memorabilis & maxima Germa niæ urbs ad amnem Geram, in loco amœnissim sita, condecoratur Academiâ, templo Cathedral campanâ vastæ molis, & arce* Cyriacsbur *dicta.*

Vimaria, *nitidissimum oppidum ad Ilmam rapidissimum amnem situm. Condecoratur inpr*

mis aulâ & sede Ducali, viridario summâ industriâ consito, nec non templo, cui, præter alia, inest monumentum.

Johannis Friderici *Electoris Sax: Confessoris & propugnatoris fidei Evangelicæ, constantissimi.*

Jena *ad Salam fl. in amœnissima valle, inter vincta condita est, Claret Academiâ, Aulâ Ducali & Bibliothecâ.*

Salfeldia *ad Salam, patria fuit* Erasmi Reinholdi, *Mathematici CL.*

Naunburga, *similiter ad Salam nundinis & cerevisiâ celebris, Obtinet Collegium Canonicorū.*

Isenacum *vicinam habet arcem* Wardburgum, *in monte conditam, sedem Ducalem, quondam Pathmon Lutheri.*

Monasterium Portæ , Gymnasij vicem tenet, in quo stipendiarij sunt Electorales.

Gotta *admirandæ fortitudinis arcem*, Grimmenstein *dictam, sibi junctam habuit, sed Anno 1567 ea funditùs diruta est, & quidem impensis ferè incredibilibus, Curiæ Gothicæ memorabiles Germanici versiculi adscripti sunt.*

Tenstat *populosum oppidum, frumento & glasto fæcundum est.*

Nordhausen *peramœna civitas est. In hac*

aliquot

aliquot comitia celebrata sunt, peperit Joh. Gigantem *& utrosq;* Spangenbergios.

Mûlhusium *celebratur à conventibus Principum, ibidem sæpè institutis.*

Orlamunda *ad confluentem Salæ & Orlæ ostentat rudera arcis primariæ.*

In Comitatu Schvarzburgico *est* Arnstadium *civitas celebris ab arce, viridario, cupri & argentifodinis.*

Nec negligendi hîc sunt duo insignes illi Comitatus Thuringiæ Hohensteinensis, *ab arce* Hohenstein, *in edito colle sita, dictus; in quo sunt duo oppida* Veilroda *&* Bleichroda, *&* Comitatus Stolbergensis, *habens civitatem ejusdem nominis, patriam* Schneidevini, *I. C. cui accensentur* Berga, Vildenach & Ilefeld, *ubi quondam sub* M. Michaele Neandro, *musæ florebant.*

XXIII. Mansfeldiæ Comitatus, *celebratur ob saxa metallifera, seu lapides scissiles, qui adusti, cuprum ac argenti partem reddunt. Habet duos lacus, quorum lapides, piscium ranarum aliorumq; reptilium formas continent, si etiam retia piscatoria nimis profundè in lacum* Salsum *nominatum, immittantur, aduruntur, ac si igne exarsa fuissent.*

Civit-

Civitates illius primariæ sunt, Mansfeldia, *quæ arce & argentifodinis gaudet.*

Eislebia *porri & allÿ feracissima, patria* D. Mart. Lutheri. *Cætera oppida sunt* Heckstad, Lembruck, Wolfelde, Scipstete.

Hildesheimia *nobilitatur Episcopatu, Collegio Canonicorum & Jesuitarum. In templo Cathedrali reservatur* Irmensal, *Idolum priscorum Saxonum. Huic Episcopatui adjacent:*

Goslaria, *ad Gosam fl. Imperialis civitas, adjunctum sibi habet Ramellum montem, olim argenti, nunc plumbi & ferri fodinis famosum. Ferrum ibi facilimo sumtu in cuprum transmutatur. Urbs castrum regium & Collegium Canonicorum obtinet. Cerevisiam habet laudatissimam.*

Ducatus Grubenhagensis, *continet civitates* Grubenhagen, Osterode, Einbeccam, *ubi egregia coquitur cerevisia*, Northeimum, Göttingam & Vipram, *Districtus* Eylfeldensis *continet* Duderstadium & Heiligenstadiũ, *nec non arces* Bischoffstein, Gleichenstein, Scharffenstein, *ut & montem* Hülffensberg *ad quem religiosæ peregrinationes instituuntur.*

Ducatus ANHALTINUS, *nomen habens, à vete-*

à veteri arce ejusdem appellationis; complecti-tur Servestam, *urbem cerevisiâ sapidissimâ, arce & Gymnasio celebrem:* Dessaviam, *sedem Principum Anhaltinorum, ad cujus pontem mu-nitum, supra Albim stratum, Exercitus Comiti Mansfeldici An. Ch. 1626 fusus est:* Bernbur-gum *ad Salam fl. in solo fertili; ubi etiam est se-des Principum,* Ascherslebiam *propè Ascaniam arcem,* Cosvicum *ad Albini* Cötham.

XXIV. Misnia Marchionatus *mineral-bus & metallis passim dives est, Estq; regio popu-losa, cujus incolæ à puritate & elegantiâ lingv Germanicæ maximè commendantur. Mult egregiis civitatibus exornata est, inter quas sun*

Lipsia, *emporium mercium & literarum cl-rissimum atq; florentissimum, ad trium amniu confluentiam, Psysnæ, Elystri & Pardæ situm. Ædificiis tàm publicis, ut arce Pleissenburg -ctâ, Collegiis, Curiâ, templis, Aulâ Auerbachi quàm privatis egregiè nobilitata est. Præter mu-tos clarissimos Professores hîc quoq; vixerunt, thus Calvisius Chronologus, & Joh. Rhen Grammaticus. Exercetur in ea cum laude P-vinciale & scabinatûs Judicium, à quo reliq Provinciæ Electorales dependent. In templo Thomæ observandum Epitaphium Marchio*

Dizmanni, *ibidem interfecti. In cella Auerba-chiana legendi versiculi de* D. Fausto. *Ad potam Grimmianam vulgaris nota,* Pœnitere *dicta, nec negligenda. Ante Curiam etiam Statuæ notabiles habentur. Cerevisia Lipsensis, à studiosis* Rastrum *appellatur.*

Lüzen *oppidulum inclaruit à cruento prælio inter Cæsareanos, Svecos, Anno Chr. 1632. ad d instituto.*

Delitium *à cerevisia, cauda vaccina dicta, nec non texturâ tibialium laneorum notum est oppidum.*

Dresda *urbs memorabilis, ob munitionem ædium æditissimarum splendorem, Arcem & sedem Electoralem, templum Cathedrale, Pontem lapideum totius Germaniæ longissimum, Armamentarium, Ceimiliarchiam, Viridarium, Consistorium Ecclesiasticum, stabulum Principis, Bestiarum domicilia, Granarium, officinam distillatoriam, Domum venatoriã, Bibliothecam, &c.*

Königstein *ad Albim fl. Electoralis Saxoniæ propugnaculum validissimum, editissimum, Dresdam superans firmitate suâ.*

Torga *ad Albim fl. elegans urbs, commendatur ab arce egregia, & cerevisia sapidâ. Provinciales conventus & nuptiæ Ducales sæpè in ea celebrari solent.*

Alten-

Altenburgum *ad Plisnam fl. inclaruit à conventu Theologorum, obtinet arcem editam, ex qua quondam duo juniores Principes Saxoniæ furtim ablati sunt. Penes arcem spectatu dignum est viridarium.*

Schneeberga *argenti ferax est.*

Mariæberga *montana, benèq; disposita civitas, gaudet templo egregio.*

Annæberga *metallicis fodinis claret. Hi & in præfato oppido à sexu fæmineo magna in c pia texuntur fimbriæ acuminatæ, & subtilibu filis lineis, vulgò* Zancken *vel* Spitzen *d ctæ.*

Leinsingum *ad Muldam fl. patria est* Pet Appiani *Cosmographi.*

Rochlizij *arx super marmore, & patibulu super auro consistit, juxta vulgare proverbium Cupro & auro claret.*

Penica *ad Muldam fl. celsis in rupibus notu est oppidum.*

Reichenbach *pannificibus abundat.*

Vildstein *à figulinis notum est,*

Eilenburg *ad Muldam, obtinet arcem & revisiam nobilem.*

Friburgum, *populosa, ampla benè ædifica & argenti fodinis clara urbs, ad Munzbach a*

*nem. In hac duæ historiæ miserabiles olim accide-
runt, una cum Scholari, arte Nigromanticâ, pu-
llam affectante, altera cum filio maledictione
paternâ, per quinquennium, uno in loco consisten-
te. Visu etiam ibi digna sunt Aula Electoralis,
& in Cathedrali templo mausolæa Electorum &
Ducum Saxoniæ : In Sacello marmor artificiosè
positum, item fons cujus aqua lepram sanare di-
citur. Cerevisiam habet egregiam.*

Pirna *ad Albim, lapicidinis excellit.*

Mersburgum *ad Salam, gaudet Episcopatu,
Collegio Canonicorum, & sapidâ cerevisiâ.*

Grimma *ad Muldam, floret Gymnasio, in
quo Elector certum numerum Stipendiariorum
fovet.*

Chemnitium *ad Muldam & Chemniz fl.
situm, produxit* Georg. Fabric.

Misnia *ad Albim fl. in loco clivoso, eoq; amœ-
no, condita, nobilis Episcopatu, tribus arcibus,
Gymnasio, in quo centum alumni Musarum ab
Electore sustentantur : Ponte ligneo, mirabilis
structuræ, cui vix similis est in Germania. In
Castro Electorali observanda est historia lapidi
insculpta, Marchionissæ, primas anni purpure-
as violas affectanti ; Lectus etiam perpetuò mo-
bilis, Ducis Joh. Friderici ibidem contemplan-*

dus. Episcopale templum obtinet monumenta plurima Ducum, ejusq; turris habet tectum lapideum, illustre ac artificiosum. Arces, templum & Gymnasium in montibus eminent: ipsa verò urbs intra juga montium condita, eminùs conspici non potest.

Zeizium *patria* D. Davidis Herlicij, *Medici & Astronomi clarissimi, amici mei quondam carissimi, nobilitata est Collegio Canonicorum, Consistorio & arce. Sita est ad Elystrum fluvium.*

Strâlen *oppidulum ad Albim, ornatum est viridario & arce, continenti mensam mirabile naturæ.*

Coldiz *ad Muldam, arce gaudet.*

Schilde *oppidulum famosum est, ob nugas plurimas, incolis vulgò affictas.*

Misniæ *adjacet* Voitlandia, *sive* Varisci *ad montem* Pinniferum, *vulgò* Fichtelberg *dictum, cujus metropolis est* Egra *ad fl. ejusdem nominis, in amœna valle, ad saxosum montem cui & pars civitatis insidet, posita. Subest Regni Bohemiæ; Mœnibus tribus, nec non vallis & propugnaculis egregiè cincta, gaudens arce munitâ, ædificiis elegantibus, suburbiis amplis, Armamentario, Granario, Teutonicâ Domo, Mul*

sapidi

[S]apido. Respublica illius juxta normam Romanam instituta est. Arces 12, & pagos plurimos sibi subjectos habet. Patria est D. Johannis Habermanni, autoris Precationum vulgarium. Famosior hæc urbs superioribus annis est reddita, per Lanienam Walsteinianam. Peculiari monetâ [u]titur, quæ in Egrana ditione tantùm valet. Non longè ab ea distant acidulæ salubres.

Zvickavia ad Muldam, elegans & firma civitas, à Politia, Gymnasio, pannificio, cerevisia & viris doctis, commendabilis. Ab Henrico III. Imp. Privilegiis variis, & quibusdam ridiculis (ut de gerendis mystacibus & capillis rasis) donata.

Adorf obtinet celebre diversorium, in quo juniores mercatores in societatem seniorum adoptari solent.

Huc quoque pertinent Olsniz & Gera ad Elster fl. quæ postrema Dominorum Ruthenorum sedes est.

Reliquas Voitlandiæ civitates descriptioni Saxoniæ subjecimus.

XXV. SAXONIA distribuitur in Superiorem & Inferiorem. Superior Electori Saxoniæ paret, & sæpè cum Misnia confunditur. Ejus Metropolis est Witeberga, ad Albim fl. Memo-

rabilis est ab Academia & professione Lutheri atq; Melanchthonis. Commendatur insuper à Propugnaculis & mœnibus, è lapide quadrato novitèr restauratis, arce atq; duobus templis, in quibus picturæ ingeniosissimæ, Monumenta Principum & doctorum Virorum, inprimis Lutheri & Melanchthonis, Schemhamphoras Judæorum lapidi incisum, nec non punctiones Hispanici militis, in effigiem Lutheri factæ conspiciuntur. Cerevisia quæ ibi coquitur dicitur, Kuckuck.

Diebenum *ad Muldam fl. aluminis ferax, arce & bono diversorio laudatum oppidulum.*

Kembergam *famosam reddit* Andreas Carolstadius.

Weissenburgum, Belzig, Schliben, Breza, Bitterfeld, *non adeò magni nominis sunt oppida.*

Ad Inferiorem Saxoniam *refertur* Archiepiscopatus Bremensis & Magdeburgensis, *Ducatus* Brunsvicensis, Luneburgensis & Megapolitanus.

In Archiepiscopatu Bremensi *primaria civitas est* Brema, *ad Visurgim fl. emporium munitissimum, in loco paludoso situm. Claret Gymnasio literario, Ergastulo, vulgò* Zuchthauß *dicto, sapidâ cerevisiâ & hydraulico opere. Forum & plateas obtinet peramplas.*

Fer

Ferden *tenet ſedem Archiepiſcopalem muni-tiſsimam.*

Stada *ad Svingam fl. oppidulum eſt vetu-ſtum, probè munitum, pannificio, negotiationi-bus & amplo foro ornatum.*

Buxtehuda *ſimiliter munitum & cœnobio clarum oppidum eſt, ad Eſta fluvium navigabi-lem.*

Cætera oppida ſunt Stottel, Akſtete, Bre-merſurda *ad Oſt fl.* Ledinghuſen. *Item* Co-mitatus Hoje, *à civitate ejuſdem nominis di-ctus.*

Bernburg *ad Ou fl.* Nienburgum *ad Veſe-ram fl.*

XXVI. Magdeburgensis Archiepiſco-patus, *nomen habet à* Magdeburgo, *civitate ante hac munitiſsimâ, ampliſsimâ, populoſiſsi-mâ, variis mercibus & ædificiis publicis, præ-ſertim templo Cathedratico, nec non Gymnaſio inſtructiſsimâ, ad Albim ſita; ſed Anno 1631 per Tyllij copias, vi expugnata, incenſa & miſerabi-liter unà cum incolis peſſundata. Multa obti-nuit memorabilia & viſu digna, quæ pleraq́ jàm in fumum abierunt, vel direptioni militum ceſ-ſerunt. Juxta eam eſt* Berga *monaſterium, in quo Theologi* Formulam Concordiæ *concinnâ-runt.*

runt. Sub se continet Oppida Drakenstede, Calb, Gentin, Lauburg, Gomeren, Vansleben & Wolmersted, *ubi arx Archiepiscopalis est.*

Güterbok *foro amplo gaudet.*

Burg *amplitudine suâ reliquas superat.*

Stasfurd *à Salinis commendabilis est.*

Huic Archiepiscopatui etiam subest Episcopatus Hallensis, *ita ab* Halla *civitate eleganti dictus, quæ ad Salam fl. condita est, claret fontibus salsis & Mauritÿ Castro, nec non templo Parochiali, Collegio Canonicorum, opere hydraulico, Gymnasio, novo Ædificio, nuptiali domo, granario, rubrâ turri. Arx vicina dicitur* Gibichstein. *Lingva Germanica puriùs hîc exercetur, quàm alibi.*

Halberstadensis Episcopatus *similiter huc referendus est, cujus primaria civitas est* Halberstadium, *in solo fertili conditum. In medio urbis est clivus, cui duo templa & Canonicorum ædes superstructæ sunt. Templum Collegiatum exhibet os virginis gigantis. Statua Rolandi in foro visitur, sed non tantæ molis, ut Magdeburgi extitit. Coquitur ibi cerevisia triticea,* Brühan *dicta.*

Huc spectat Quendelburgum, *Sacrarum Virg-*

Virginum, Collegio & Sepulchro Henr. Aucupis Imp. nobilitatum ad Wiperam fl. Non procul inde condita est arx mirabilis, quondam sedes Comitum Regensteinensium.

Verningeroda *hîc etiam locum habet.*

XXVII. Brunsvicensis Ducatus *nomen adeptus est à* Brunſviga *urbe munitiſsimâ, populosiſsimâ. Eam mediam dividit amnis dictus Oera. Continet in se fora cum 5 Curiis, quarum singulæ à peculiari Magistratu frequentantur: in negotio verò graviori, omnes in Curia veteris urbis conveniunt. Castro, Collegio & templo Canonicorum ornata est. Ædificia vetustatem redolent. Cerevisia ibi hyeme coquitur pinguis, punicei coloris* Mumme *dicta, & per universam Germaniam nota. Æstiva cerevisia, albi coloris,* Bråwhan *appellatur.*

Wolfenbüttel *est quoq; oppidum munitiſsimum, arcem firmiſsimam obtinet, in qua Duces Brunſvicenses resident. Situm est in loco plaustri, ideò plateas quoq; lutosas habet. Templum illius ampliatum & lapidibus quadratis elegantiſsimè ante paucos annos renovatum est.*

Helmſtadium *Academiâ condecoratum est, cujus Collegium cum auditoribus diversis, elegantiſsimè & artificiosiſsimè constructum est.*

Privata oppidi ædificia, rudioris structuræ sunt. Situs oppidi est inæqualis, partim in colle, partim in valle. Templum colle, Collegium plano gaudet. Nemore undiq; cinctum est.

Nordheim *firma & satis culta civitas est.*

Hanovera *egregio vallo cincta civitas, ad Laun fl. condita, claret Scholâ & cerevisiâ sapidâ, ab inventore* Brohona *dicta.*

Einbecca *ad Sollingum saltum & rivum Ilmeta, à cerevisia similiter celebris est, uti jam suprà innuimus.*

Hûc referenda oppidula Lutra regia, *vulg* Königs Lütter *appellata,* Neostadium & Battenhausen, Grõninga *commendatur à Sacello Arcis, in quo præter Organum operosum multa alia notabilia occurrunt. Arx ipsa concla ve aureum, & dolium vastæ molis ostentat.*

Bovede *ad Visurgim, oppidulum, contine cives adeò sordidos, ut more Sarmatarum, hyp causto, stabuli loco utantur, interq; porcos & vac cas hospes cum hospita liberis & familiâ versen tur & cubent.*

Hammeloa *ad Visurgim, celebris à tragic historia, quæ cum pueris per genium in monte abductis accidit, Anno 1282.*

XXVIII. Luneburgensis Ducatus, *cl*

r

vet non tantùm à periculosissima illa sylva, die Lüneburgische Heyde / dicta, sed etiam ab ejusdem nominis urbe munitissimâ, Luneburgâ, cujus tria singularia: Mons, Pons, Fons, maxima emolumenta afferunt. Ex Monte namque calx eruitur; per Pontem amnis Elmenau merces vectæ, vectigalia multa ferunt; inprimis verò Fons aquam è qua Sal coquitur, rem incolarum valdè auget. Templum S. Michaëlis colli impositum, famosum est, ob auream tabellam pretiosissimam. Curiæ multa notabilia insunt. Gymnasio plurimum lucis olim attulit Lucas Losſius, libris præclarus, qui Conrectorem ibi egit. Obtinet arcem vetustam, in quam nec indigenis, nec peregrinis facilis ingressus patet. Civilis status more Romanorum distributus est.

Bardovicum vetustissimum oppidum, ab Henrico Leone, Saxoniæ Electore, (quem à Friderico Barbarossa Imp. proscriptum, intra mœnia recipere non tantùm noluerunt, sed etiam contumeliâ & convitiis affecerunt) expugnatum & eversum est. Obtinet adhuc templum Cathedrale & Curiam Ducalem.

Cætera oppida sunt Stockum, Liberstede, Soltau, Ulcen, sive Ulyssea, elegans & munitum, Gishorn, Cellæ, Duces plerunque sedem

suam habent. Huc referendus 1 Verdensis *Episcopatus, à* Verden *oppido, ad Alre fl. sic dictus. Ornatur Arce munitâ & egregiâ sede Archiepiscopi Bremensis, ut suprà diximus. 2* Lauenbergensis Ducatus *habens urbem ejusdem nominis ad Albim. Quò spectant oppida* Dam Nachbare, Benzenberg, Ertenburg. *3 Comitatus* Dannebergensis, *ita appellatus, à metropoli ejusdem nominis, ad Geze fl. Ejus oppida sunt* Neustat *ad Plaue fl.* Domiz, Grabau Berge, Luchau.

XXIX HOLSATIÆ Ducatus, *nomen habet à copiâ lignorum: quibus repletus est; inprimis quercubus & fagis abundat, quarum fructibus pecora saginantur summo cum lucro incolarum. Ejus metropolis est* Hamburgum, *florentissimum, elegantissimum ac munitissimum emporium, inter Albim & Alsteram in solo stormariæ sive in ipso Cimbricæ Chersonesi introitu, situm habens portum insignem. Angli hîc plurimi, negotiationis causâ, resident, gaudentque æde sacrâ peculiari. In templo Parochiali præter plurima monumenta Ducum, Visu etiam digna sunt,* Benedicti V. Papæ, *&* Alberti Cranzii, *Historici. Cerevisia Hamburgensis à nullo non commendatur*

tur. Capacissimum hic peregrinis exhibetur Poculum Stürtzenbecher dictum.

Reinholdsburg conspicuum est arce regiâ & ab Eudera fl. interluitur.

Lubeca, Urbs imperialis libera, Hanseaticæ societatis caput, in Vagria ad Travenam & Vacenissam flumina sita, emporium potentissimum, munitissimum, nitidissimum, cujus primaria ædificia & propugnacula, palis in aquam depactis fusticato opere, plurimùm firmata sunt, nobilitata est Speculâ, Tramunda dicta, ad mare Balticum conditâ. Ejus faciem præcipuè commendat Templum Collegiatum D. Joanni Sacratum, obtinens in longitud: 2150, & lat: 1300 passus in quo reservantur, præter alias antiquitates, rusticæ vestes Gustavi Regis Sveciæ. Fana B. Virginis & S. Petri gaudent Horologiis, automatibusq; insignibus, quæ non modò, ante indicium horæ, Varias harmonias Psalmorum edunt, sed & motus cœlestes contemplandos exhibent. Celebratur etiam hæc urbs ob Armamentarium, varia Nosocomia, Hydraulicum artificiosum & Cerevisiam. Consulatus ex nobilibus & ordinis equestris familiis, eligitur.

Möllen, oppidum Lubecensibus subest. Claret monumento Eulenspiegelij, scurræ illius nugacissimi, An: 1350 ibi sepulti.

Habes

Habet Holsatia *versus meridiem* Stormariam, *in qua, præter dictum Hamburgum sunt Arx* Vandesburg. & Glückstad *ad Albim fl. civitas nova, munita elegans & Hamburgensibus, causa Portorij, sive Tolonij adversa.*

Crempa, *oppidum munitissimum est, quod fl. Crempe interluit.*

Segeberga, *in monte ad Dravum sive Travenam & stagnum, obtinens arcem editam obeliscum & Domum* Henrici Ranzovij, *Musagetæ quondam nobilissimi.*

Oldenburg, *nobilis olim fuit civitas, sed postquam arena ingressus navigiorum opplevit, deserta hactenus mansit, ut oppidum despectum sit. Interluit eam fluvius* Hund *dictus; estque sedes Comitum Oldenburgensium. Comitatus hîc est quidem amplus, sed sylvosus potiùs, & sterilis quàm habitabilis & pascuosus. Pecora & tuguriola parva plurimùm obtinet.*

Chilonium, *vulgò* Kiel, *portu insigni, mercimoniis, conventionibus provincialibus, arce editâ, nec non Palatio Ranzoviano claret.*

Ekelenfort, *portu gaudet opportuno, & cerevisiâ* cacabella *dicta, eò quòd facilè alvum solvat.*

Itzeho, *ad fl. Stora situ, navigio, mercatur-*

tu

emplo, cœnobio & monte Nympharum, nobile oppidum.

Plona, *in loco amœno sita, inter nemora, lacus, agos & arces insignes, è quibus eminet Castrum anczovianum.*

Tunderen, *situ & ædificiis peramœnum est oppidum.*

Toningen, *ad Eyderam fl. arce, portu, pascu. fertilitate, bobus & Vaccis opimis, nobilis est vitas.*

Cætera Holsatiæ oppida sunt, Prece, Borscolm, Niminster, Botkamp, Eyderster, immelport, Hornberg & Stada, *de quo prà dictum est.*

Insula Femeren *obtinet* Landkerk & Stan.

XXX. Ditmarsia *à nonnullis Holsatiæ rs quarta constituitur, sed nos eam cum* Slesicensi *Comitatu conjungemus. Sita autem est Albis fl. ostia. Abundat lacubus, quò fit, ut aër ius regionis sit crassior. Paludibus sylvisq; con. hostiles insultus probè munita est. An. 1559 olæ libertatibus suis vi Bellicâ Ducum Holsa. , privati sunt. Rustici adeò sunt opulenti, ut rimi ædes cupro tectas possideant.*

Oppida ejus præcipua sunt : Meldorp, *ubi*

Mile

Mile fl. in Oceanum Germanicum exit. Judicio regio claret.

Londen, *situm est ad Euder fl. in Oceanum Germ. sese ibi exonerantem.*

Oldenvurden, Edelaken, Brusbittel & Morne *huc quoq; pertinent.*

DITMARSIÆ *adjacet* Slesvicensis *Ducatus Regno Daniæ subjectus. Denominatur verò* à Slesviga *civitate ad Slie fl. qui egregium, in mare Balticum, egressum, ad portum præstat. Emporium olim fuit celebre, & nunc in mediocr. statu conservatur. Gaudet Episcopatu & monu mentis Regum, nec non Idolorum gentilium. Æ dificijs non satis exculta est. Cultri elegantes i ea conficiuntur. Propè hanc civitatem est Castr* Gottorp *elegans, sedem Ducalem & telonium pulentissimum præ se ferens.*

Husen *Portu & Castro egregio claret.*

Flensburgum *constat portu opportuno. S tum amœnissimum, juxta montes & littus Oce ni Germ. obtinet, & platea, quæ illi unica est, lo gissimè ad passus scilicet 1341 sese extendit. Æd habet elegantes, ut & arcem egregiam, in mon locatam. Hinc oriundi fuêre* Thomas Fincki *Mathematicus, scriptis clarus, &* Melchio Lorichius, *pictor famosissimus. D. Joannis* *num longum est 2341 passuum.* Hadei-

Haderslebia, *oppidum, nobilitatur Hansburgâ, arce amplâ & eleganti, ut & foro cum plateis spatiosis, Templo Collegiato, Scholâ, Xenodochio, hortisq; amœnis.*

Jutia *propriè sic dicta, quam Ptolomæus* Cimbricam Chersonesum *appellat, (sub quo tamen nomine etiam Holsatia, Dietmarsia & Slesvicensis Ducatus comprehenditur) caret præclaris urbibus.*

XXXI. Megapolis, *fertilis & piscosus Ducatus, primarias obtinet Urbes,* Rostochium *ad Varnæ fl. emporium literarum & mercaturæ nobilissimum, cuius portus marinus satis tutus est. Distat sesqui tantum milliari, à mari Balthico, ubi & specula erecta est, pro navibus appellentibus,* Warnemünde *dicta. Collegia Academiæ, excepto Auditorio magno, sunt hic 9, Fora 3, Plateæ 40, 7 Portæ, Pontes 6, olim 7, 7 principales viæ, 7 Januæ templi Mariani, 7 turres Curiæ, 7 campanæ horologiorum, 7 tiliæ in Horto rosario: de quo septenario numero peculiares extant Germanici rhithmi. Habet hæc urbs potestatem cudendi auream & argenteam monetam. Cerevisia illius in varias regiones transportatur. Intestinis dissidijs aliquoties vapulavit.*

Vismaria, *similiter emporium maritimum*

foro

foro amplissimo, ædificijs magnificis & incolis plurimis excultum. In templo B. Virginis observandi sunt cancelli, quibus Baptisterium cinctum est. Obtinet Palatium Ducale haud inelegans.

Gustrovia, *nobilitata est sede Ducali & sapidâ cerevisiâ* Geisnack *dicta, similiter* Sverinum, *quod oppidum olim Episcopatûs titulum præ se tulit.*

Cætera oppida sunt Fridland, Neobrandeburgum, Varen, Rubeniz, Lubiz Sterneberg, Goloviz, *&* Razenburg *ad Fluvium Wagniz.*

XXXII. Pomerania, *regio plana, fæcunda, pascuosa, piscosa, & à pernis suillis commendabilis, dividitur in 4 Ducatus, Principat unum, Comitatus duos, & Territoria tria.*

Primus Ducatus est Stetinensis, *ad eum pertinet* Stetinum, *quæ est urbs ampla, populosa, munita, metropolis Pomeraniæ, tribus Suburbiis ad Viadrum fl. aucta, Arce sive sede Ducali (in qua Bibliotheca, Ceimiliarchia, arca argentaria, campana magna, Palatium amplum, templum cum monumentis Principum, visu digna sunt) Cancellariâ, Pædagogio, Nauticâ Domo (*Segler hauß*) Templisq; magnificis condecorata est. Cerevisia Stetinensis, ut ut est amara, plurimùm tamen commendatur & aliorsùm vehitur.* Ancl

Anclamum *ad Pene fl. conditum, abundat piscibus.*

Pasevalk *ad Uker fl. commendatur à Cerevisia. A milite Cæsareano, superioribus annis miserè est devastata.* Demminum *ad Penam fl. Anno Ch. 1638 oppugnationem sustinuit gravissimam.* Pirizium, Griffenhaga, *ad Vidrum,* Treptovia *ad Tollensem fl.* Ukermünda *vulgaria sunt oppida.* Garz *à Svecis militibus An. Ch. 1638 eversum est.*

Alter Ducatus, *superioris Pomeraniæ, continet* Stargardiam, *ad Inam fl. quæ ampla, munita, elegans, populosa, & Reip. præclarâ administratione; sed Anno 1635 in cineres penitùs redacta est. In hac vixit D. David Herlicius, Medicus & Mathematicus, à plurimorum Fastorum computationibus, per universam Germaniam, celeberrimus.*

Treptovia *ad Regam fl. Salinis famosa est.*

Griffenberga *sita est ad eundem fl.*

Platovia, *oppidulum ad eundem fl. clarum duabus arcibus. In una residet Nobilis de Ost; in altera Nobiles de Blücbern, egregiè de me meriti.*

Golnau *ad Ina fl.*

Caminum, Episcopatu gaudet, qui olim fuit

Julini *sive* Vollini *in emporio quondam amplis-simo, sed postmodùm à Danis solo æquato, & à vi-cino mari absorpto.*

Comitatus Neogardiensis, *obtinet oppi-dum*, Neugard, *cum arce ruinosa, in paludi-bus sita.*

Massau, *sedes est Comitum.*

Ad Ducatum Cassubiæ, *refertur* Co[...]berga, *ad mare Balthicum sita. Egregia ob ne-gotiationes maritimas.* Coslina, *ad Radin*[...] Belgard *ad Persantem fl.* Daber *cum Abbati*[...] Belbruk.

Quartus Ducatus *est Vandalorum, infer*[...]*oris Pomeraniæ, cui appropriantur Civitat*[...] Stolpe *ad* Stolp *fl. Commendatur à fidelita*[...] *erga Principem suum, & à copia doctorum vi*[...]*rum inde oriundorum.* Rugen-valde, *ad* [...]*peram fl.*

Principatus *est in insula* Rugia *fertili*[...]*ma, carens civitatibus munitis, habet tamen* [...]*gos plurimos,* Bergam *oppidum & Abbatiam* Hilden see. *Dicitur hæc Insula* Stralsund[...]sium horreum. *Caret lupis, nec glires toler*[...] *sed anseres prægrandes, & equos parvulos* [...]*ducit.*

Comitatus *alter* Gutzgau *complecti*[...]

G[...]

Gryphisvaldum, *emporium literarum & mercium nauticarum nobilissimum. In Suburbio est templum memorabile, ob cadaver iniqui Curatoris Xenodochij, ex sepulchro inde, à Diabolo, sublatum, & molæ alatæ, impositum.* Guzgovium, *oppidum ad Pene fl. conditum est.*

Territorium *primum* Bart, *continet* Bardum *oppidum ad Barth & Regnizij fl. ostium. Commendatur ab arce Ducali, cerevisiâ sapidâ, & negotiatione maritimâ. Habuit & quondam Typographiam.*

Ibi etiam est Stralsunda, *amplum, praeclarum & maritimum emporium, Anno 1628 à Cæsareano exercitu, per aliquot menses, frustrà oppugnatum.*

Hûc spectat Grimma, Tribses *& Abbatia* Campensis.

Alterum Territorium Wolgast *egregiam habet civitatem maritimam, eiusdem nominis. Obtinet arcem Ducalem. Olim in hoc quoq; territorio floruit* Vineta, *emporium amplissimum, sed tandem inundatione maris suffocatum, cuius rudera copiosissima, sereno cœlo, sub aqua marina, in hunc usq; diem conspicua sunt.*

Tertium Territorium *est* Usedonia *Insula, habens unicam civitatem eiusdem appellationis.*

XXXIII MARCHIA Brandeburgica, *complectitur Marchiam quadruplicem*, Veterem, Mediam, Ukariam *&* Novam; *Provincias item* Prigniz, Sternberg, Cotbus *&* *Ducatum* Crosnensem, *quæ regiones omne sunt feraces frumenti, pecorum & piscium, præsertim ad Viadrum, Svevum & Havelam fluvios, Diversorijs autem commodis non ubiq; instructa est.*

Vetus Marchia, *gaudet Metropoli, ampl munitoq;* Stendalio *ad Ucht fl. quæ nobilis e à templo Cathedrali, judicio Provinciali & Pa nificum copiâ.*

Soltquello, *ad Iezo & Duinæ fl. conflue tes situm, vetustissimum est oppidum, præsta tem habens Cerevisiam.*

Gardilegia, *antiqua est Civitas ad rivu Milde, obtinetq; arcem extra mœnia condita Nota est 1 à bona politia; cùm & nullum nisi A demicum & literatum, in Senatorium ordin adsciscat: 2 ab egregia Cerevisia, quæ in vici loca transfertur: 3 à propugnaculis firmis, versus insultus vicinorum Luneburg. Brunsv & Magdeburgensium: 4 à silva periculosissin ei vicina.*

Tangermunda *ad Tanger fl. exstructa*

Sehusi

Sehusium *ad Ucht fl. unde oriundus fuit vagabundus ille Scholaris* Sepusius *dictus, quem pleriq; ex Sepusio, Provincia Hungariæ, patriâ meâ dulcissimâ, denominationem suam traxisse, falsò suspicantur.*

Osterburgum *ad Bisæ & Ucht fluviorum confluentiam conditum est:*

Calba, *egregiam obtinens arcem Nobilium ab Alvensleben, in loco uliginoso condita est.*

Media Marchia *amplior & civitatibus nobilior est; ejus metropolis dicitur* Brandenburgum, *dirimiturq; Havelâ fl. Ornatum est Collegio Canonicorum, & Statuâ Rolandi, quâ pleræq; Saxoniæ Inferioris, & Marchiæ urbes præ reliquis à Carolo M. & succedentibus Imperatoribus, privilegiatæ, superbire solent.*

Berolinum & Colonia ad Spream *sive Svevum conjunctæ sunt civitates; In hac est templum Cathedrale, obtinens campanam vastæ molis. Arx etiam ibi est augustissima, sedes Electorum, in qua observanda: Templum picturis Lucæ Kranach illustratum, & monumentis Electorum exornatum: Sacellum testudinei gradus, Armamentarium, Equile novi ædificij, Gazophylacium, Archivum, Camera argenteæ supellectilis, Palatium majus, Pharmacopolium,*

Conclave Consultatorium, Hydraulicum opus, Domus venatoria, Viridarium, Sphæristerium, Hyppodromus, &c.

Francofurtum ad Viadrum *claret Academiâ, Convictorio sive Communitate Studiosorum satis commodo, nundinis, Bibliothecâ Pelargianâ, viâ Sabinâ, Cœnobio Carthusiano, cujus Prior quondam fuit,* Johannes de Indagine *ex quo etiam aqua scaturit, lignum, folia vel cortices arborum, carbones, ossa ut & testudines in lapidem mutans. Academiam hanc celebriorem, nostrâ tempestate reddiderunt* Christophorus Pelargus, *Theologus;* David Origanus, *&* Beniamin Ursinus *Mathematici per Europam clarissimi, mei quondam Præceptores observandi, qui ambo, tàm coràm quàm Epistolis salutatricibus, parili amore ad terminum usq; vitæ suæ, me prosequi haud dedignati sunt. Cerevisia Francofurtana vulgò* Pössel *dicitur.*

Lebusium *oppidum intra colles situm, ostentat vetustam & exustam arcem Episcopalem monti superstructam.*

Spandovia *oppidum famam sibi acquisivit peculiari munitione, intra Havelam & Suevum extructâ, cujus armamentarium machinis belli-*

cis abun-

cis abundat. *Turris Julij illius loci, dicitur nomen habere à Julio Cæsare. Collegium Canonicorum in colle positum est.*

Brizena *duplex*, fidelis & infidelis; *hæc posita est ad Viadrum piscosum; illa ad Ada fl.*

Bernavia & Fürstenvaldia, *sunt oppida famosa ob cerevisiæ optimæ cocturam.*

Strausberga *per jocum malè audit ob cerevisiam mendacem.*

Cætera oppida sunt: Ratenovia, Angernunda, *ad Velse fl.* Mönchberg, Neustadium, Frejenvaldum & Belizium.

Marchiæ Novæ *metropolis est* Cüstrinum, *in loco paludoso, ad confluentiam Viadri & Varæ fl. super palos alneos, lateribus coctis, exstructum. Affluit instrumentis bellicis & commeatu. Continet etiam Arcem probè valle munitam. Ædes habet satis elegantes & cives moratos.*

Præfecturæ Custrinensi *subest pagus* Zieher, *in quo* Tungerlarius, *vir scriptis celebris, amicus meus quondam singularis, Pastorem egit.*

Königsberga *ornata est statuâ Rolandi.*

Lanzberga *in hoc bello munitior à militibus reddita.*

Arnsvaldia *famosa est ob campanas harmonicas.*

Lippenium *sibi jus illud peculiariter arro*-*gat, ut qui reliquias cerevisiæ exhauserit, ple*-*num cantharum inchoët : hoc Marchiaci* Da: Lippenische Recht *appellant, qui tamen mos &* *alibi inter plebejos observatur.*

Reliqua Neomarchiæ oppida dicuntur: Dri-sani, Bervaldia, Calisium, Morinum, Schi-velbeinium, *ubi est commendatura* Schön-flüssium *&* Fürstenfeldum, Schved *ad Via*-*drum per bella novissima sibi nomen acquisi*-*vit.*

Marchia Ukaria *ab Uker lacu & fluvio per mediam ejus partem fluente, nomen habet.*

Metropolis illius nuncupatur Primislavi *antiquissimum oppidum.*

Templinum, Strasburgum, Granzo-via, Betzau, Lichau, Wolfshagen *sunt fe*-*rè obscura oppida.*

Prignizia *Provincia ampla est, cujus præ*-*cipua oppida sunt* Brizvalkum, Dalminum, Widstockium, *quod à prælio Anno Chr. 163*-*ibidem instituto inclaruit.* Perleberg, Ha-velberga *ad Havelam fl. quæ nobilitatur Ca*-*nonicorum Collegio & munitione novâ, hactenu* *sæpè expugnatâ.*

Velsenacum *olim catervatim frequentaba*-

tur

tur, propter repertam hostiam, sangvine tinctam.

Lenzena *nota est à Telonio.*

Rupinensis Comitatus *obtinet oppida*, Rupinum *vetus & novum* Usterhusium *&* Gransee.

Provincia Sternbergensis *continet oppida* Sternberg, Königsvaldum, Drossenam, Sonnebergam, *sedem Magistri, ordinis Johannitarum*, Reppenam.

Dominium Cotbusiense *habet* Cotbusium, Peizam *arcem benè munitam*, Bescoviam, Storcoviam. *Hujus Dominij situs, licet sit in Lusatia inferiore, subjecta tamen est Marchioni Brandenburgico.*

Crosnensis Ducatus *in Silesia situs est, sed ad Marchiones possessione spectat.*

Ejus metropolis Crosna *ad confluxum Viadri & Boberi, nec non ad montes vitiferos condita est, obtinens arcem Ducalem. Huc pertinent* Zullichium, Sandau, Bobersberg.

XVXIV. Lusatia *duplex constituitur.* Superior *antehac Bohemiæ Regem, nunc Electorem Saxoniæ Dominum agnoscit.* Inferior *maxima ex parte Electori Brandenburgico paret. Superioris 6 civitates primariæ recensentur.*

1 Budissina *ad Spream, Patria* D. Ca- sparis Peuceri, *viri CL. urbs populosa & pro- bè munita, sed An. Chr. 1620 per oppugnatio- nem & expugnationem Electoris Sax. Joh. Ge- org. adeò labefactata, ut damnum urbi tùm illa- tum, ad 40 tonnas auri sese extendat. Præ cæ- teris sex fœderatis Lusatiæ urbibus hâc prærogа- tivâ, tanquam metropolis, gaudet, ut litera- hisce sex urbibus inscriptas imprimis aperiat & resignet. Fuit olim Bohemiæ Principum tempo- re necessitatis, Asylum. Nobilitatur Consistori & Dicasterio.*

2 Gorlicium *ad Nissam fl. est præclara urb. munitione, rei publ. egregiâ formâ, Curiâ, Gym- nasio, Fano S. Petri, nec non ædibus privat. splendidis, & Sepulchro Christi (extra urben) condecorata. Ei adjacet mons* Parnassus *se- non ille celebris à Musis, qui in Phocide, Provin- cia Græciæ est.*

3 Sittavia *ad eundem fl. perpulchra & am- pla civitas est, à foro frumentario, Gymnasio l- terario, Curiâ eleganti & stabulo publico com- mendata.*

4 Laubena *ad Quissum fl. cerevisiâ egr- giâ præstat. Templum illius Husitæ sanguin humano tyrannicè oppleverunt. Hoc oppidu*

Pat

Patria est D. Jacobi Bartſchij, *Medici & Mathematici celeberrimi, Amici mei ſingularis, ante paucos annos defuncti.*

5 Camizium *ad Elſter fl. rudera oſtentat arcis editæ.*

6 Lũbau *conciliabulum præbet Legatis reliquarum 5 urbium.*

Sunt & alia ignobilia Luſatiæ *ſuperioris oppida, ut* Vetgenau, Senftenberg, Biſchofswerde, Reichenbach, Hirſchfeld, Gabel.

Inferioris Luſatiæ *oppida ſunt 1* Lubena, *in qua judicia & conventus procerum celebrari ſolent. 2* Lucca. 3 Gubena. 4 Sommerfeld. 5 Sprenberga. 6 Sonnenvaldum. 7 Forſtum.

Ad Senfftenbergam, Lubenam, Gubenam & Tribeliam *è terra nativæ ollæ effodiuntur.*

XXXV. SILESIA, *non tàm ratione terræ fœcundæ, quàm culturâ diligenti, omnis generis frumenti, leguminum & fructuum, linum, rubiam & calamum aromaticum profert. Ejus longitudo 55, latitudo 20 milliarium. Civitates habet 150, pagos 19000. Incolæ ſunt ingenioſi, ad ſtudia literarum, opificia, tractationem lini & lanæ, nec non ad rem militarem proni & apti.*

Dividitur

Dividitur in Superiorem , *cujus metropolis est* Troppavia , *&* Inferiorem , *cujus metropolis est* Wratislavia. Superior *Hungariæ, Bohemiæ*, Inferior *Poloniæ, Lusatiæ & Marchiæ est vicina. Cùm verò & in 16 Ducatus divid. soleat, ex quibus jam Crosnensem lustravimus, nunc reliquos considerabimus.*

1 Primus est Wratislaviensis, *ita nuncupatus à Metropoli* Wratislavia, *quæ sedes Episcopalis, caput, Lumen, Sol & oculus totius Silesiæ est. Urbs hæc, ad Viadri & Olavæ fluviorum confluentem, sita est, atq; à munitionibus magnificis; ædificijs cùm publicis (ut Templis, turribus, Cœnobijs, Xenodochijs, Collegio Canonicorū in Summo, ceu vocant, Gymnasiis, Castro Cæsareo, Granarijs, Armamentario, Curiâ, Foris, Officinis Hydraulicis;) tùm privatis, optimâ Republicæ formâ, eâq; Aristocraticâ, copiâ doctorū virorū, Bibliothecis, cerevisiâ pingvi,* Schöp *dicta, varijs mercimonijs, platearum elegantiâ commendatissima. Duo disticha in infima parte turris S. Elisab. lectu digna sunt.*

Huc pertinet, Namslavia, *ad Veida fl. oppidum amplum & frequens, in quo est Castrum bene munitum.*

Novoforum *cœmiterio & fertili solo nobile est.*

2 Svi

2 Svidnicensis *Ducatus* Svidnizium *habet primariam civitatem, quæ ad Weistriz fl. incolarum frequentiâ, murorum structurâ, ædiũ privatarum elegantiâ, templo Parochiali cum egregia turri, præ aliis spectabilis est. Castrum etiam Dominorum de Gelhora, Curia munita, armamentarium cum tormentis grandibus, cellæ frigidæ, Suburbia ampla, cerevisia duplex, triticea (vulgò* Stier *dicta) & hordeacea, huic quoq; urbi singularia ornamenta sunt.*

Hûc referendum Reichenbachium, *textorum multitudine insigne oppidum.*

Strigovia, *oppidum amplum, in loco fertili situm, clarum ob terram sigillatam, quæ ibi ex monte acuto, D. Georgii, eruitur; et cerevisiam, quæ quidem ex tritico coquitur, sed acerbiorem, præ aliis, & gratiorem habet saporem.*

Bulkenhein *oppidum est amœnum, cui imminet castrum, Commendatoris Strigensis sedes.*

Freiberga, *sita est ad radicem arcis Fürstenstein.*

Landshuttum, Fridland, Zobten *ad montem ejusdem nominis marmore clarens,* Waldberg & Gottsberg.

3 Jauraviensis *Ducatus nomen habet à* Jaurovia *Civitate, in agro fertili sita, in qua arx est*

ubi Præses Ducatûs residet, qui nomine Imperatoris utriq; & huic, & Svidnicensi Ducatui præest. Destituitur fluviis, Ædes privatæ fornicibus sunt condecoratæ.

Huic subsunt, Leoberga, *ad Boberam fl. in amœno tractu, à Ludovico Nic. & Eliâ Reusneris IC. ædificiorum elegantiâ lanificij, texturis & cotibus celebris.*

Kupferberga, *metallorum proventu olim clara*, Bunzlau, Schœnau, Greiffenberg, Læhn, Friedberg, Lübenthal/ Schmidberg, Naumburgũ *ad Quisum*, Hirschberg *genitura* G. Weinrichij, *Theologi CL. egregi panno, telâ præstantissimâ, & vicinis thermis celebre oppidum.*

4 Glogoviensis, *cujus primaria urbs est* Glogovia *major, ad Viadrum fl. quæ habitatorum frequentiâ, agro fertilissimo, & pascuis lætis, item Collegium Canonicorum valdè insignis, sed & religionis diversitate infamis, & crebris incendiis obnoxia est. Turris in templo Parochiali, crassitie & latitudine cæteras Silesiæ superat, caret tamen capite. Patria est* Abr. Bucholzeri, *Chronologi.*

Hûc pertinent, Freistadia, *quæ licet in valle jacere nemorosis saltibus circumdata esse*

dea

deatur, planitiem tamen amœnam, incolas frequentes, textrinâ plurimum quæstum instituentes, & ædificia pulchra cum Arce, obtinet.

Gura, *ad Poloniā vergens, limitanea civitas benè munita, à frumentario foro commendatur.*

Grunberga, *vineis, agris, pascuis lætissimis, hortis, piscinis, scaturiginibus, nemoribus circumdata est, Pannificio claret. Inde oriundi fuêre* Abrahamus Scultetus *Theologus, &* B. Pitiscus *Mathematicus insignis.*

Sprottavia, *habet cœnobiū Virginibus sacratū, & Arcem, fluvio Bobero & paludibus, per naturam ac artem, satis firmam. Produxit inter alios doctos Viros M.* Beniaminem Ursinum, *Mathematicū Electoris Brandenb. celeberrimū.*

Beuthena *ad Viadrum fl. Gymnasio Schönaichorum illustri, famam sibi acquisivit.*

Köbenam *ad Viadr. fl. illustrem nunc reddit Parochus illius loci J.* Heermannus, *qui Postillas, sive commentaria super textus Biblicos noviter edidit doctissima.*

Neustat & Wartenberg *similiter ad hunc Ducatum spectant.*

Svibussen; *naturâ & arte munita, in loco illustri, pascuoso, fertili, nemoroso, vitifero, arcis & murenulis abundanti, sita est ad fl. Schvēme, qui*

me, qui eam interluit. Visu ibi digna sunt, Basilica, in qua altare, Suggestus, Organum, Chori, Bibliotheca, consideranda, ut & turris cum campanis harmoniacis, Schola, Arx, Curia, Armamentarium, Cœmiterium suburbanum, & facultataria Domus.

5 Lignicensis, cuius primaria & antiqua civitas est Lignizium, munitione in tantum sese, curâ Principum, extulit, ut nulli Silesiæ civitati cedat. Irrigatur fluvio Kazbach, Castri armamentario instructum est. Curiam, Forum ædesq; privatas splendidas obtinet. Consistori gaudet Ecclesiastico, Suburbia sunt ampla & populosa. Vicinus pons, super confluentem lacuum Cunizensem & Coschvicensem extructus, lati simus Germaniæ esse perhibetur. Coquitur in e sapida cerevisia.

Huic subijciuntur, Aurimontium seu Gol berga oppidum, ad Cattam fl. qui auri arena secum fert, literarum cultu tempore Valentir Trocedorfii, Scholæ ibidem Rectoris, inprim clarum. Sapida & ibi habetur cerevisia.

Lubena, oppidum est pervetustum. Vel via, obtinet arcem insignem. Parchvizium tum est ad Cattam fl. Walstadium inclar gloriosâ morte Henrici Pij, à Tartaris ibidem cæsi.

Rel

Reliqua oppida sunt Steinau, Vinzig, Rau-
den, Hernstat, Niclastat, Hayn.

6 Bregensis, *à* Brega *civitate, ad Viadrū, n loco plano, fertili & amæno, sita, ita appella- ur. Commendatur hæc urbs, à Principum Pa- atio, Viridario, Armamentario, Gymnasio, Ty- ographiâ, templo Parochiali & Cathedrali, Cu- iâ, Foro amplo, plateis benè dispositis, Suburbijs mplis, nundinis boarijs, Consistorio Ecclesiasti- o, & quidem ordinationibus claro, Statutis ci- ilibus optimis, & privatarum ædium venu- ate.*

Habet sub se, Strelam, *elegans oppidum, la- icidinis notum.*

Olaviam, *arce Ducali & Molâ insignem, ad cognominem, qui Wratislaviæ tandem commi- etur Viadro.*

Nemizium, *arce similiter, in monte erectâ, ectandum.*

Bitzium, *Poloniæ conterminum, mercaturâ nariâ, & clade An: 1588 Maximiliani, à Polo- s acceptâ, eoq; ipso Archiduce capto, celebre op- dum.*

Silberbergam & Reichenstein, *venis etalliferis clara oppida: in quorum posteriori ria moneta cuditur: utraq; communia sunt*

Ducibus-Ligio-Bregensibus. Reliqua Bregensia oppida sunt Creüzburg & Michelau; quod posterius cœpis affluit.

7. Olsnicensis, à civitate primaria, cui & Arx & Palatium Ducale adjacet, Olsna appellatus. Urbs hæc Scholâ sive Collegio eleganti & Præpositurâ gaudet. Anno 1535, 1 Sept turbo & tempestas horrenda, imò inaudita, ædificia illius publica & privata, stupendum in modum, diruit atq; disjecit, currus, homines, totasq; ædes sustulit, & longè aliorsùm transportavit

Hûc pertinent, oppida, Bernstat, Festerberg, Kunstat, Stroppen, Moelebar, Hundsfeld & Trebniz. In territorio Trebnizensi ad pagum Masel, ex colle, ollæ argillaceæ molles ut & alia vasa lutea, à natura ipsa elegante formata, eruuntur, & aëri exposita, indurantur: hinc monticulus ille, figulinus sive Töpfersberg/ vulgò appellatur.

8 Carnoviensis, à Carnovia civitate, vulgo sitatè Jegendorff dicta, quæ elegans & muni est civitas, in valle pulcherrima, ad Oppe fl. sit Arcem habet splendidam, quæ sedes fuit Marchionum Brandeburgensium, ad quos & tot Ducatus spectavit: sed Imperator Ferd. II. eum in hisce turbis bellicis, Johanni Georgio, Marchioni Bra

oni Brandeburg. eò, quòd adversus laudatum Imp. militabat, subtraxit, & fisco Regio vendicavit. Juxta civitatem commodè in vicinis sylvis, venationes instituuntur. Sunt & ibi acidulæ nonnullæ salubres. Nec longè indè distat arx diruta, quæ Dominorum Schellenbergensium sedes olim fuit.

Huic subijcitur Leobschützium, oppidum elegans, curiâ, foro frumentario, Politiâ, pinguissimo & fertilissimo totius Silesiæ solo clarum, item Bendschin, Zaudiz & Boberau.

9 Teschinensis, à Teschena civitate dictus. Situm obtinet intra radices montium Carpathicorum & Sudetum. Horum radices Das Gesencke; illorum Jablunka vulgò appellantur. In hisce oris, non procul à Viadri fontibus, ad Skotschovv, oritur Vistula, celebris Poloniæ fluvius.

Teschena, urbs ad Olsam fl. obtinet arcem Ducalem, in monte sitam. Commendatur ab optimis Sclopetis, sapidâ cerevisiâ & copiâ eduliorum, sive vilitate victûs. Cives Bohemico & Germanico utuntur sermone, sed Bohemicus prævalet.

Hûc spectat Freistadium, ad Olsam fl. oppidum, ex parte munitum, rudera arcis ostentans,

textoris telarum linearum frequens.

Jablunca, *ad Carpathum montem, arce va-lidâ munitum est oppidulum.*

Bieliczium, *arcem obtinet Baronum de* Zuinek. *Oppida reliqua sunt* Fridek, Nistkov Strummen *seu* Schwartzwasser. *Ad hunc comitatum referendus etiam est Baronatus* Pless-nensis, *cum suis oppidis, pagis & arce.*

10 Oppaviensis, *ab* Oppavia *sive* Trop-pavia *urbe, ad Oppæ auri arenas ferentis, & Moræ fl. confluxum, appellatus est. Est verò ci-vitas ampla, populosa, munita, & ædificiis ma-gnificis condecorata. Commendatoriam Equitum Johannitarum, nec non Arcem obtinet, sed fer-angustam. Commendatur à facilitate victûs, & præstantiâ cerevisiæ. Inde oriundus fuit* Aman-dus Polanus, *vir CL. Huic subsunt* Hold-schinum *oppidum munitum, cum arce pulchra ubi Oppa Oderæ jungitur:* Vogstadium, Be-nischovia, Laszlav, Oder, Kranoviz, Kunl-berg, Neukirch, *&* Freidenthal.

11 Oppoliensis, *ab* Oppolia *civitate, Col-legio Canonicorum & ruinosâ arce nota. Sylv. amplis adjacet, victus sufficiens ibi habetur.*

Huc pertinent, Glogovia minor *sive* supe-rior, *oppidum non magnum quidem, sed pu-*

chrum

chrum, cum egregia arce in pingvi solo ad Prudnize fl.

Streliza *major, cum arce, in qua sedem habent Barones à Rhedern.*

Crapizium, *ad Prudnize & Viadri confluxum cum arce Rhoderorum.*

Kosel, *munitum oppidum*, Beuten, Gleibiz, Tost, Falckenberg, Zulz, Rosenberg, Lubliniz, Schůrgast, Peiss, Kretschamb, Lesniz, Gorzoba, Dobradni, Steinau, Fridland, Streliza *minor &* Graszmuck.

12. Ratisboriensis, *à civitate primaria, Ratisboria denominatus, quæ sita est ad Viadrum fl. in solo quidem fertili, sed lutoso, habet arcem vetustam & Collegium Canonicorum.*

Huc pertinent Lossa, *oppidulum à nundinis equinis famosum,* Oderberg, Sora, Ribenik, Pilsoviz, & Miesslowiz.

13. Nissensis à Nissa *civitate episcopali, nobili, & fluvio ibidem præterfluente, nomen habens, quæ Episcopo Wratislaviensi sedem præbet, estq; ampla, elegans, munita & benè disposita urbs, à nundinis vinariis & copia duplicis telæ, in usum lectisterniorum Zwillich dictæ, nobilis.*

Quò pertinet Grotgovia, Patschkovia, Neüstetl, Jaurnik *arcem habens* Zukmantel *oppidum*

oppidum metallicum, Ottmachau, Vanfen. Ziegenhals, Freivaldau,, Hozeploz, Kal tenstein, Veidenau Chiziest *&* Varta.

14 Monsterbergensis, *à* Monsterberg *civitate antiqua cum arce vetusta. Huc refertu* Franckenstein, *arce, ædificiis & incolis pluri mis spectabile oppidum*, D. Paræi, *Theologi Cl*

15 Saganensis, *nomen habet à Civitate S* gana, *ad vastas sylvas exstructa, ubi Bober & Quissus confluunt. Officinis ferariis Abbati arce, amplitudine & copiâ incolarum claret. I hac Mathematicus celeberrimus* Johannes Keppler, *per aliquot annos, sub tutela Duc Walsteinij vixit, & partem Ephemeridum su rum ibidem typis propriis divulgavit.*

Huc referuntur Moscovia *oppidulum, a Nissam fl. &* Bribuzium *similiter ad Nissam Hoc Saganense territorium ollas etiam fert su terraneas.*

XXXVI. *Pars Germaniæ est* BOHEMIA *regnum altis montibus, Sudetibus & densâ syl Hercyniâ dicta, cinctum. Estq; regionum Ge maniæ altissima, unde & nulla flumina, ab e tra eam ingrediuntur, multa verò in adjacent terras exonerantur. Terra ejus frumenti, f Ûnum, vini, croci, leguminum, pecorum,*

scuoru

ſcuorum, caſeorum, piſcium, tùm lacuſtrium, imprimis carpionum, tùm fluviatilium, metallorum & gemmarum ferax eſt. In ſylvis montibusq; præcelſis paſsim rudera extant arcium ab Huſsitis deſtructarum. Longa lataq; eſt 40 mill. Germ.

Praga Regni Metropolis eſt, in qua digna ſpectatu multa ſunt, utpote Arx, quæ diu Romano Germanicis Imperatoribus ſedem præbuit, cum ſuis Palatiis, viridario artificioſiſsimo, & vivario nobiliſsimo. Templum Epiſcopale, in quo Sacellum D. Wenceslai & monumenta Regum eminent. Collegium & Academia Jeſuitarum, Pons ſupra Multam fl. lapideus, totius Germaniæ latiſsimus, conjungens veterem urbem cum minori: Curia veteris urbis cum Horologio (in turri) artificioſiſsimo, cui par vix in univerſo terrarum Orbe habetur; Officina monetaria; Macellum nullas muſcas ferens, Platea Judæorum, Domus Saxonica, Walſteinica, & alia tàm publica quàm privata ædificia, magnificè extructa. Nec negligendus eſt vicinus Mons albus, in quo An. 1620, 8 Nov. exercitus Friderici Palatini à Cæſareo & Bavarico milite fuſus eſt, in cujus victoriæ memoriam, Imperator Templum B. Mariæ de Victoria ſacrum condi curavit. Ci-

vitas hæc est triplex atq; amplissima, sed non satis munda, & intra mœnia vineas multas obtinens. Commendata est superioribus temporibus Bohemia *à multitudine pagorum, quorum 30 mille fuisse scribitur, item civitatum, oppidorum & arcium, quorum octingenta fuisse dicuntur, at nunc, ut passim in Germania sic & hîc pagi plurimi exusti, oppida multa deleta, arces destructæ & incolæ plurimi trucidati, fame enecati & in fugam conjecti, vix mediam partem spectandam offerunt. Nihilominùs quasdam civitates & oppida juxta 15 circulos, in quos dividi solet, perpendemus.*

Primus est Elnbogensium *Circulus, denominatus ab* Elnbogen *civitate, ad Egram sita arcem, thermas & unicam tantùm portam obtinet. Huc spectant* Gotsgabe, Haverstein, Liechtenstad, Carlsbad, *ubi thermæ salubres*, Falkenau, Kônigsberg.

2 Sazensium *à* Zat *civitate ad Egram posita dictus. Quò refertur* Commothau, *ad quam optimæ nuces crescunt.* Bruck, Launa, *tritici & fructuum ferax*, Teising, Mascha, Litiz.

3 Litomeriensium *in quo est* Letomiritz *civitas vitifera ad Albim, non inelegans. Huc spectant*

spectant Kribizium, Aufsigum *ad Albim*, *notum à conflictu An. 1526 die 16 Junij à diluculo in profundam usq; noctem, inter Germanos & Husitas instituto.*

Graupen *stanni ferax*. Hasenburg, Mons S. Georgij, *Castellum insigne*, Melnikum *ad Albim &* Belbana *liberum regium oppidum.*

4 Slanensium *à Slana, regia & libera civitate dictus, quò pertinet* Frania & Kornsichium.

5 Raknicensium *à* Rakonick *civitate, ubi optima cerevisia coquitur, appellatus. Huc refertur* Strassitium, Dehnizium, Burgliz.

6 Pilsensium *à* Pilsena *egregiè munita urbe dictus quam præterlabitur Missa fl. Illi subsunt* Taciau *monasterium*, Frauenberga *egregium castellum*, Peinzium *aliàs* Forschhaus *ad Quatto fl.* Missa *ad Missam fl.* Pausium, Gattovia *à præstantia caseorum commendata.*

7 Podberdensium *continens* Beraunum *ad Quato fl. civitatem regiam & liberam*, Carlstein, Schebrag, *oppidum cum arce.*

8 Pracensium *forte à* Prachaliz *emporio salario illustri dictus. Ad hunc spectant* Ellichovia, Besniz, Horessoviz & Pisekum.

9 Muldensium *qui ad Muldam fl. extenditur continet* Stechovizium, Seldsam, Borottni, Schönburgum.

10 Bechinensium *à* Bechni *civitate dictus, Hîc comprehendit* Milzin, Horschepnic, Stein, Thabor *egregiam munitionem. Quæ tamen si recte memini, quod Imperatori Ferd:* II. *diu restiterit, post expugnationem diruta est.* Sobieslau *opulentum oppidum in loci declivi & perlustri situm est, gaudebat Gymnasio:* Budvissium *ad Malz fl. urbs perelegans, ampla & fornicibus exornata, quæ à Friderico Pilat. frustrà tentata, in fide Imperatoris mansit.* Crumnovia, *ubi Collegium Jesuitarum ac argenti fodinæ sunt, &* Landstein *cum arce.*

11 Chaurmensium *à* Chaurina *oppido. Ad quem pertinet* Costolez *ad Albin fl.* Brandisium *ad eundem:* Dausim, Bolemicum Brodum, Eule, *ubi fodinæ argenti & auri sunt ditissimæ,* Benishovia *&* Gaibrekop.

12 Boleslaviensium, *denominatus à veteri & juniore* Boleslavia, Junic *ad Iseram fl. elegans & ampla est civitas.* Senior *ad Albim sita est. Huc referenda* Grabsein *ad Nissam fl.* Turno *ad Giczeram fl. ad qod oppidum Gemmæ variæ reperiuntur.* Eiche, Niemes, *ad Pul-*

ad Pulsniz fl. Volczau, Veilvasser *cum arce*, Bernstein, Bennatik *arx, in qua* Tycho de Brahe *auspiciis Imp. Rudolphi* II. *motum correctum Lunæ perfecit, &* Nimburgum *ad Albim.*

13 Radeciæ Regalis, *à* Radecia *dictus, civitate eleganti in editiori loco, ad Albim sita, ubi* Worliz *in Albim influit. Huc referuntur* Hostimeni *seu* Arma, Holeba, *siue* Hoelb, *vicinum habet fontem Albis fl. famosissimi, qui primùm vallem Diabolicam irrigat.* Trautnovia, Pollizium, Garomirum, *ad Albim*, Nachodum, Levinum, Neostadium, Litizium *ad Worliz fl.* Brandeis, Bodgebrodum *ad Albim &* Chlumez.

14 Krudimensis *à civitate primaria* Chrudin *nomen habens. Quò pertinet* Conezgehora *arx montana*, Pardvizium *ubi præstantes gladij conficiuntur*, Prselausch *ad Albim*, Rossumburg, Hohemaut, Treboavia-Bohemica, Litomischlia *ad Wirliz fl.* Zambachium & Richenburg.

15 Zaslaviensis *à* Zaslavia *dictus, civitate celebri, ob monumentum* Ziskæ, *Propugnatoris Hussitarum acerrimi. Huc referuntur* Kuttenberga, *ubi argenti fodinæ sunt.* Vodianum

num *ad Sazava fl.* Germanicum Brodum *ad eundem* Habern, Liechtenberga, Colinum *ad Albim &* Creuzburgum,

Assistit Bohemiæ incorporatus Comitatu Glaczensis, *qui iisdem cum Bohemia juribu utitur. Metropolis est* Glaczium, *patria* M. Davidis Origani *Mathematici CL. cuju methodum in hac Geographia utplurimum secu tus sum. Est civitas cum Suburbiis satis ampl habens in colle editiore saxeo arcem fortissiman Pertinent autem ad Comitatum* Habelsverda Winschelberga, Neorodum, Landekum *thermis clarum*, Reinhardum *&* Mitvadum. *Hic Comitatus nobilitatur 12 acidulis ferro, carbonibus fossilibus, lapicidinis, argen fodinis, feris, aquilis & optimo butyro.*

Ad Bohemiam etiam referenda est Egra Ci vitas, de qua sub Voitlandia egimus, item, Valis Joachimi *in qua Anno 1519 thaleri primùn cusi, & inde denominationem sortiti sunt.*

XXXVII. Moravia Marchionatus *regi est campestris, constans pingui et molli solo, ideoq frugibus valdè idonea, unde multum frumen colligitur, habens etiam colles ubertate & copi vini abundantes, quod tamen, quia calcis plur mum, ex terra cretacea, attrahit, arthritiden & calculum*

calculum generat. Gregibus armentorum non ideò referta est, quæ in solitudinibus magis ali solent. Thus & Myrrha, instar cadaverum humanorum, passim è terra effoditur, cujus rei fide dignus testis est Johannes Dubravius, Episcopus Olomucensis, qui illius Myrrhæ portionem, brachium humanum repræsentantem, habuit: Cultoribus passim repletur, qui sermone, ritibus, moribusq; Bohemis, (quibus etiam unà cum Silesiis confœderati sunt, eundēq; Dominum, nempe Bohemiæ regem agnoscunt) fermè conveniunt. In civitatibus tamen lingva Germanica præcipuè usurpari solet.

Metropolis ejus, ubi & conventus celebrari solent est Brunna ad Svittam fl. in loco valdè fertili: Proceres magnificas in ea possident ædes. Domus Provincialis quidem elegans, sed angusta est. In vicino colle sita est arx munitissima, Spilberg dicta. Episcopalis aula & Collegiatum templum, ibi conspici licet.

Est deinde elegans, ampla & populosa Episcopalis civitas, Olomutium, in qua similiter, uti Brunnæ et quidem per vices, conventus statuum, instituuntur, hinc & Domus provincialis ibidē extructa est, Nec Episcopali aulâ destituitur. Ornata est insuper Gymnasio Jesuitico.

Iglavia, *ad Igla fl. perpulchra & magna civitas, pannificio & cerevisiâ claret: olim Gymnasio celebri gaudebat, quo populares mei, Sepusienses confluebant.*

Znoyma, *ad Teya fl. colli imposita, elegan & opulenta est civitas, continetq; arcem, in qu visitur Sacellum gentile.*

Mesrizium, *situm est, ad Woslava fl.* Trebovia *à pannificio nobilis,* Wischa *ad Hava fl.*

Cremsirium, *ad Moravam fl. in qua Episcopus residere solet,* Landstein, Frustam *ad Teja fl.* Menischiz, Ostra *ad Moravam f* Gedinga, *ad eundem fl.* Crumlau *cum arce* Eybanschiz, *ad Schvarza fl. nobilitata Suburbiis amplis, fovebat antehac plurimas sectas, utpote Lutheranos, Pontificios, Fratres Valdenses Anabaptistas, quorum posteriorum in univers Moravia Ao. Christi 16 17, 70 mille numerabantur.*

XXXVIII Palatinatus Superio *est pars Nordgoiæ, habens quasdam egregias civitates, è quarum censu est* Amberga, *ad Vi fl. cum arce Ducali & armamentario. In vicin sunt fodinæ.*

Sulzbachium, *egregium oppidum situm e in clivoso loco, gaudetq; arce Palatinali. Unic tantùm fontem sub monte obtinet.* Neof

Neoforum, *perelegans est civitas, arce duali prædita.*

Hûc spectant Herschbrugum, Waldmünchen, Schôntal, Rez, Neuburg *ad Schvar-ach fl.* Nappurgum *ad Nab fl.* Pfreim *d. in onfluxu Pfreünd & Nap fluviorum, ubi arx st Landgraviį Leüchtenbergēsis;* Chælmoniz, *d confluxum Vils & Nap. fl.* Pilnhofen, *ad Iap fl.* Hirschau, *à ridiculis suis gestis, libello eculiari comprehensis, notissimum oppidum.*

XXXIX *& ultima tandem pars Germaniæ, empe* AUSTRIÆ *Archiducatus restat; cujus rra, à fertilitate sese multùm commendat; uandoquidem frumentum, Vinum, fructus, crocum etiam egregium affatim fert, & vicinis npertit, pisces insuper et salem habet. Danubius uviorum Europæ maximus hanc regionem per edium ferè secat, ab occasu in ortum fluens, ntra vulgarem cursum plerorumq; fluminum ivigabilium.*

Metropolis Austriæ est, Vienna, *ad Danubiū a, celebris duplici nomine, cùm, quòd An. Chr. 29 à Solymanno Turcarum Tyranno obsessa, dem viriliter restitutum, quod Imperatoribus omano-Germanicis, à plurimis annis, in hunc q; diem, satis commodam sedem præbuit. Est*

emporium

emporium perelegans amplum, sed angustarum & obliquarum platearum, populosum, adeò munitum, ut non immeritò ante-murale & munimentum Christianorum fortissimum, contra hæreditarios hostes, Turcas, censeatur. Observatu in eo digna sunt: Curia imperatoria, Curia Urbana, Collegium sive Academia Jesuitarum, Supremum & Episcopale templum S. Stephani cum turri totius Germaniæ fortissima, in qua campana insolitæ molis pendet. Dictum templum obtinet Sacellum, ex quo quidam à Diabolo (uti fama est) abreptus est: Vestigia insuper Gotthicæ scripturæ, hoc templum in quodam loco repræsentat. In cœnobio Elisabethæ sive Angelorum monstratur statua crucifixi Christi, qui ut vulgò creditur, cum Regina Elizabetha ad eam precaretur, sese obvertit. Fanum S. Michaëlis amplum & pulchrum est. Post domum provincialem antrum inexplebile conspicuum est. Armamentarium, Granaria, Archiva, Bibliotheca Imp. Officina monetaria, Equile Cæsareum, Aula Episcopalis, Domus Teutonica, Domus leporina, Xenodochia, varia fora intra & extra urbem, Cœmiterium suburbanum quondam Evangelicorum, & alia quàm plurima ædificia magnificè exstructa, ibidem occurrunt.

Neost:

Neoſtadium *validiſsima civitas, nobili-*
tatur arce, Armamentario, vivario, Templo E-
piſcopali & Prætorio.

Linzium *ad Danubium fl. exigua quidem,*
ſed elegans urbs, nobilitata arce Ducali, colle-
gio Jeſuitico, nundinis frequentiſsimis, Pro-
vinciali conventu, domo Prætoriâ & templo
templo.

Efferding *nota eſt à nundinis ſuillis frequen-*
tiſsimis. Arx etiam Schaunburgenſis, *&*
templum cum monumentis Comitum & teſtudi-
nibus artificioſis, viſu ibi digna ſunt.

Vels *ad Draunum fl. nitida eſt civitas, gau-*
dens ſuburbiis pulchris, & arce Polhemi.

Steir, *propè quam & arx eſt, ad cognomi-*
nem fl. ſplendida eſt civitas, ſuburbiis inſtructa
pulchris. Commendatur à monaſterio, Artificio
Hydraulico, copiâ cultrariorum & venuſto ſexu
fœmineo.

Aniſum *civitas elegans & probè munita, ſi-*
militer ad ejuſdem nominis fl. paulò poſt in Da-
nubium influentem ſita eſt, obtinens arcem &
templum pulchrum, armamentarium inſtru-
ctum. In porta quadam urbis viſenda eſt tabula
picta rei memorabilis.

Freiſtadia *commendatur à nundinis & ce-*

revisiâ. Seiterstein *ad Vulpach fl.* Veithofe[n] *ad Ips fl. vectigali Cæsareo gaudet. Extra oppi*dum in arce & templo diruto, visuntur antiqui*tatum gentilium multa vestigia.* Rotenman Afflenz, Cella, Ips, *ad Danubium, ubi Erla fl. incidit,* Blankenstein, Melk, *ad Danubium cum cœnobio munito, opulento & amplo.* S. Peten *ad Drechen fl.* Drasmaur *ad ejusdem Drechen fl. in Danubij influxum,* Tuln *ad ejusdem nominis fl. in Danubium ibidem ingredientem antiquitate claret.* Baden *ad Schvechat f[l].* Medlinga *candido pane claret.* Ebenfurt *a[d] Leutta fl.* Eisenstad *ad eundem,* Sopron, Bru[c]kum *ad eundem.* Enzesdorf *ad Vischam f[l].* Haimburgum *ad Danubium cum arce edit[a]. Hoc oppidum ob ejus situm naturâ munitum Princeps Transylvaniæ Gabriel Bethlen, expu[gnare] gnare non valuit, in proximo ejus monte cresc[it] gingiber.* Baumgartenberg, Grain, *ad Ilon f[l].* Zveckel *ad Cham fl.* Nars *ad eundem.* Trir[n]stein *ad Danubium.* Stam *ad eundem.* Re[z] Edenburg, Gellersdorf, Cornneuburg, *obti[nens] nens munitum cœnobium.* Crembs *munition[e] & nundinis nobilis.* Gotvicum *cœnobium opu*lentum.* Closterneuburg *monasterio, vino a*bundanti ornatum. Non procul inde distat arx* *in* Mont

in Monte Cetio *noto*, *à Sacrificulo lepido*, *de monte Calvo dicto.* Mistelbach *ad Tschea fl.* Hoenau *ad confluxum Theseæ & Moravæ fl.* Marchek *ad Moravam fl.* Mannersdorf *thermis percelebre oppidum.*

CAPUT VI.

DE BELGIO.

BELGIUM *Germ.* Niederlandt / *si à Luczenburgensi Ducatu auspicamur, & ad Frisiæ Occidentalis extremitatem extendimus, situm est inter Parallelum 17 & 21 in zona temperata septentrionali, sub 9, 10 & 11 climatibus, habens versus Austrum diem maximum, 16 hor. 10 min. vers. Septent. 16 hor. 25 min. ut differentia sit inter dies æstivos maximos 42 minutarum, quibus dies in Belgio inter se variant. Est etiam situs ejus ratione fluminum & terrarum ad Oceanum adeò commodus, ut inde in vicina regna facilimus pateat transitus, siquidem in Daniæ, Norvegiæ & Sveciæ, Septentrionalia & ad ortum sita loca, intra 5 vel 6 dies, versus Meridiem & Occasum in Galliam, illicò in Angliam paucis horis, ac tandem in Hispaniam*

diebus 10, 11 vel 12 vento secundo, pervenire possint, quod negotiationes ad rem augendam plurimùm promovet.

Quantitate suâ regno comparari, imò Bohemiæ præferri potest. Urbes obtinet 208, pagos 6368 præter villas, castella & arces, quarum ingens est numerus.

Academias 5 habet, Lugduni, Franeckeræ, Grüningæ, Lovanij & Duaci.

Fluvij ejus præcipui & navigabiles tres sunt, Rhenus, Mosa & Scaldis.

Qualitatem terræ Belgicæ quod attinet, est ea plurimùm plana, sabulosa, sed fertilis frumenti & fructuum. Hannonia tamen, Luzenburgum & Namurcum montibus abundant. Et quia totum Belgium versus Septentrionem multum ponitur ac Oceano adjacet, aërem humidiorem & frigidiorem habet, sanitati tamen incolarum accomodatum, & æstivo imprimis tempore svavem & gratum. Vites pauciores ibi sunt, & rariùs maturescunt. Ubi lignis carent, cespitibus limosis, vulgò Torff *dictis, ad focum utuntur. Serpentum & animalium nocivorum nulla quidem in Belgio, nisi in Hollandia & Zeelandia ubi sylvæ sunt, reperiuntur. Ovium autem & vaccarum magna ibi est copia, & tanta*

fæcun

fœcunditas, ut oves tres vel quatuor agnos, Vaccæ duos plurimùm vitulos simul edant; tantumque lactis præbent, ut haud facilè credat, qui αὐτόπτης non fuit, Boves quoq; magni & tanti ponderis, præcipuè in Frisia & Hollandia educantur, ut unus mille sexcentis libris, sedecim unciarum æstimetur. Equos etiam robustos, elegantes, ad bellum aptos, dictæ duæ Provinciæ, ac Flandria & Geldria plurimos proferunt. Etsi sale & metallis destituitur, rubiam tamen tinctorum, linum & cannabim copiosè producit. Piscibus eam abundare, cùm ad mare sita sit regio, ratio ipsa dictitat.

Incolæ pleriq; sunt benè proportionati. Invidia, Superbia & Venus ipsos non adeò exercet, ut vini & lucri cupiditas. Quia enim frigidioris & humidioris sunt constitutionis, vino incalescere desiderant, quod etiam ad contentiones jurgia & arma sumenda ipsos sæpè animat. Dum res suas impensè augeri student, laboribus non facilè franguntur, nec aliorum damna curant, modò ipsi aliquid obtineant. Ingenio sunt præditi admirabili, hinc excellentes ibi reperiuntur Mathematici, vel inter Nautas, homines aliàs abjectissimos. Arte navigandi, militandi, fortificandi, sculpendi, imprimendi, texendi, ne-

gotiandi, omnes alias nationes multis parasangis post se relinquunt.

Dividitur Belgium in 17 Provincias, quarum 10 Hispaniæ Regi subsunt, reliquæ 7 ad confœderatos pertinent. Nos singulas succinctè perlustrando enumerabimus.

Primò autem ARTESIA vulgò Arrois dicta sese offert, quæ est terra amœna, pinguis atq; fertilis, inprimis tritici, ideoq; Antverpiensium & Mechliniensium penu unicum appellatur. Complectitur civitates 12, Pagos 854, longitudo ejus est 15, latit. 14 mill. Germ.

Metropolis ejus est Atrebatum, vulgò Arras dicta, urbs est ampla & politicâ dignitate clara, ad Scarpam fl. cum naturali situ, tùm propugnaculorum, murorum & turrium præsidio valdè munita. Speciem refert duarum civitatum, quarum altera minor juris est Episcopalis, & plures hortos quàm ædes obtinet, gaudet tamen templo cathedrali & Bibliothecâ insigni. Major ædificiorum, platearum & fori capacitate laudabilis, Abbatiam habet ditissimam, jurisq; est principalis, Domus omnes fornicibus subterraneis capacissimis sustentantur, adversus obsidionis vim excavatis. Patria hæc fuit Fr. Balduini I.C. & Caroli Clusij. In Fano

D. Mariæ

D. Mariæ reservatur Manna, cælitùs quondam in hoc territorium, delapsa. Civium maxima pars lanariæ studet. Hinc levidense & textile Atrebas sive Arras, nulla non in parte Europæ invaluit. Huc pertinent:

S. Omar pulchra civitas & benè munita, habens vicinam admodùm Abbatiam illustrem, ad quam Anno 1638 Galli ab Hispanis cæsi sunt. Clermatez ad lacum piscosum, in quo aliquot insulæ natantes unà cum agris & pratis arboribus consitis, ultrò citròq; fune trahi atq; moveri possunt.

Hesdinum oppidum & castrum inexpugnabile, ob palustria loca & munitissima valla, Gallo objectum.

Bapana parvum quidem sed probè munitum oppidum, Rhenty, Tercane, Lilers, Aliens, Pernes, Pass, Leeres; Lescluse, &c.

Bethune in rupe sita est cum arce valida. In hac civitate peculiaris est societas, Charitas Bethunigana dicta, quæ mortuos ad sepulchrum gestare solet; cui par nulla in Europa reperitur, commendatur à caseis bonis.

II Provincia est HANNONIA, Germanicè Hennegaw nuncupata. Aërem habet suavem & serenum, agrum fertilem variisq; flu-

minibus irriguum. Sylvas habet & nemora admodùm jucunda, abundat etiam lacubus, stagnis, fontibus, pratis, pascuis, segete, pomariis, aliisq; ad vitæ usum rebus necessariis. Habet & metalli, ferri optimi, & plumbi fodinas: prætereà lapicidinas variorum marmorum, carbonum, calcis. Longitudo ejus statuitur 20 lat. 16 mill. Germ. Civitates 24 & pagos 951 obtinet.

Metropolis ejus est Mons *à situ nomen habens, satis est amœna, perelegans, montosa, munita, potens ex sagaria negotiatione, textrinis, agriculturâ, & canonicatu nobilium virginum S. Waltrudæ, quæ libertatem habent nubendi maritis, & ante meridiem vestibus sacris, post meridiem prophanis utuntur. Judicium ibi regium exercetur, ad quod ex tota Provincia appellatur. Cives à liberalitate & humanitate commendantur. Episcopali titulo hæc civitas gaudet. Castellum munitum habet, latas plateas, ædificia magnifica, puteos elegantes, Templum dictarum monialium perpulchrum, mirabile Sepulchrum continet.*

Valencena, *ad Scaldin fl. munita, magna, amœna, Palatio regio, (quod Atrium Comitis dicitur) Curiâ (in qua Horologium artificiosissimum,*

ſimum) *Armamentario-Orphanotrophio, Scholâ frequenti, ædibus, cœnobiis, Templis & mauſolæis auguſtiſſimis, formâ Reipub. optimâ, unde & Noribergenſes ſuam acquiſiverunt, nobilis urbs eſt. Patria* Mariæ, *Caroli* V *aviæ &* Joh. Froiſardi *Hiſtorici. Cives opificia textoria tractant. In vicino cœnobio* Viconia *Bibliotheca habetur inſtructiſſima.*

Halle *oppidulum claret à templo B. Virginis, ad quod annuatim primâ Dominicâ menſis Septembris concurſus accolarum fit: Theſaurum ſingularem & pennam argenteam Lipſij continet.*

Avenia ſicca *pagus, profert lapides, à pago Avenianos dictos, candore marmoreo ad inciſionem faciles.*

Bouchain *fortalitium ad Scaldin fl.* Queſnoi *mercaturâ pollet.*

Philippe ville *in circulo eleganter diſpoſita, & contra hoſtiles inſultus valdè roborata, nec non mercatu nobilis civitas.*

Landrecy *oppidum firmiſſimum ad Samaram fl.* Bellomontium *in monte amœno ſitum.* Monbaigne *Aveſnes ſplendidum & valdè firmum ad rivum.* Gepre, Lyeſſes, Chymay, *in nemore ad fl. Biancha, Principis pala-*

 tio &

tio & Labyrintho, & aliis præclaris ædificiis nobile & munitum oppidum. Mariæburgum, *oppidum inexpugnabile.* Bins, Bavais, Fontaine, Ruelex, Soignies, Braine le conte, Engheu, Eth, Leuze, Condet.

Huic Provinciæ assistit Ditio Cambrensis, *à* Cambray *vel* Cameraco *civitate Episcopali & imperiali dicta, quæ ad Schaldin in medio quasi Belgio sita, clero, mercaturâ, multitudine etiam incolarum & splendidis ædificiis nec non castello nobilis est. Commendatur etiam ab Archiepiscopali templo ac Palatio, Collegio Jesuitico, Curiâ, vestitu peculiari Senatorum.*

III. NAMUR *regio est amœna, collibus & convallibus. Irrigatur Mosa & Sambra fluviis navigabilibus, Ferrum, plumbum, marmor, Jaspides, lapideos carbones sive lithantracas gignit. Sylvis densis vestitur. Civitates in hac Provincia 4 sunt, & pagi 189.*

Metropolis ejus est Namurcum *pulchra & benè munita civitas, sita intra colles ad Sambram & Mosam fl. concilio regio, arce editâ, Canonicorum Collegio, sede Episcopali & Nobilium domiciliis exornata.*

Cassina *nobilitatur arce augustissimâ, Ducis de Nevers, in qua Palatia, conclavia, Armamen-*

mentarium & Viridarium, spectatu dignissima sunt.

Audennas est pagus dives, in quo vetustissimum Collegium Canonicorum, Nobilium Virginum, exstructum est à Bega, Filia Pipini, à qua primum creduntur dictæ Vestales Begginæ.

Bovinæ oppidum exiguum est, bellorum injuriis aliquoties vastatum. Carlomontium à Carolo V. adversus Gallos, in monte ad Mosæ ripam, eleganter collocatum & munitum.

IV. Provincia est FLANDRIA, omnes totius Christiani orbis Comitatus, opibus, incolarum frequentiâ & Horologiorum excellentiâ superat. In longit. ad 25, in lat. ad 19 ferè mill. Germ. sese extendit, ut ambitus ejus sit milliarum 115 ferè. Terra ipsa plana est, fertilis, pascuosa & nemorosa, irrigua, lino, tritico, butyro & caseis abundat. Quatuor portus, civitates 35, Pagos 1178 obtinet. Inquilini sunt bellicosi, ingeniosi, inprimis in pannis texendis, quos ex lana, lino & serico artificiosè parant. Dividitur usitatè in partes tres, quarum prima & maxima dicitur Teutonica, quod Germanica lingva Belgica ibi in usu sit, estq; macrior aliis, sed referta civitatibus; in ea namq; tres primaria

mariæ sunt urbes, nempe Gandavum, *sita ad fluvios Scaldim, Lisam & Lævinum concurrentes, cujus circuitus est 3 mill. Germ. Caroli* V *incunabulis, cujus statuam in foro ostentat, celebris. Plurimis templis, Scholis, Collegiis Canonicorum, Abbatiis, Cœnobiis, Xenodochiis peregrinorum, Nosocomiis, Gerontotrophiis, Pædotrophiis, Furiosorum ergastulis, Leprosariisq; instructa est. Castellum exhibet conclave, in quo Carolus* V *primam lucem vidit. Forum ejus totius Europæ est præstantissimum capacissimumq;, juxta quod tormentum æneum vastæ molis,* ruber diabolus *dictum, conspicitur. In Basilica urbis statuæ Neptuni & Cereris locatæ sunt. Opificium Hydraulicum, variæ eæq; artificiosissimæ molæ ventorum, pontes frequentissimi ibidem habentur. Turris* Bellfort *continet campanam maximæ molis* Roland *dictam, Apex hujus turris superbit æneo & inaurato Dracone, taurum magnitudine æquante, & Constantinopoli huc olim misso. In ponte quodam duæ ex ære statuæ collocatæ sunt, filij patrem decollantis, atq; ob id vitâ donati. Urbs multis quidem insulis, sed non mœnibus distincta vel munita est. Obtinet ædes ultra 35 mille.*

Brugæ *ampla & rotunda est urbs, habens in circu-*

ircuitu sesqui milliare Germanicum, abundat templis, condecorata est plateis, foro & ædificiis magnificis. In templo S. Donati sepultus est Ludovicus Vives, *Hispanus literatissimus. In Curia caput quoddam Orichalceum observandum est. Aqua ferè purâ & dulci destituitur, nisi quam illis Hydraulicum opus suppeditat. Collegium Jesuitarum cum Bibliotheca, Abbatia S. Bartholomæi, & molæ alatæ vallis superstructæ, varia Nosocomia, Curia, Prætorium, Palatium la Franche, Bursa Mercatorum, Hortus Jaculatorum & officina monetaria visu digna sunt. Cives ab hospitalitate & suaviloquentiá commendantur. Fæmellæ cultui nitido plurimùm student, Viri lanificia tractant.*

Hypra, *dicitur habere fundum plumbeum, quod infiniti canales plumbei & aquæ ductus sub siti, puteis publicis & privatis, aquas subministret. Celebris aliàs est lanificio, copiosâ pannorum texturâ & tincturâ. Visitur ibi municipalis Domus, quam* Castellaniam *nominant, nec non curia longitudine & latitudine admirabilis, cum turri insigni* Hallas *dicta, in qua nullæ aranearum telæ pensiles, nec araneus quidem ullus reperitur.*

Gravelinga *ad fl. Aa, munitum oppidum est, cum arce valida & portu bono.* Duin

Duinkerka, *munitione, portu & piratici excursionibus urbs nobilissima, obtinens in quadam turri 17 campanulas, quæ certo tempor in modum Organi pulsantur. Plateas habet or dinatas, puras ac elegantes, Templum & cœn bium Franciscanorum spectatu digna sunt.*

Neoportum *clatratis repagulis peculiari ter extructum, ad influxum Isaræ in mare, po tu securo & halecum capturâ conspiciendum. Obtinet arcem regiam & Pharum lapideam. Est quidem parvum, sed firmum oppidum. A hanc Anno 1600 Mauritius, Princeps Uran victoriam memorabilem, contra Hispanos repo tavit.*

Ostenda *totius ferè Europæ munitissimu oppidulum. Universo orbi terrarum innotui sumtuosâ illâ, ingeniosâ multis millenis mili bus lethiferâ obsidione, quam ab Anno 1601 u 1604 præsidiarij Confœderatorum viriliter stinuerunt contra Hispanos, donec tandem cer conditionibus hosti sese dedidit.*

Blancoberga *ad Oceanum, oppidum pis tione copiosâ famosum est.*

Slusa *firmum & elegans est oppidum, po amplo exornatum. In illius arce ostendi locus in quo* Dux de Alba *plurimos magna*

Bel

Belgarum, religionis causâ decollandos curavit. Sub præfata oppugnatione Ostendana, Mauritius hoc Hispanicum munimentum sui juris fecit.

Bierflütum *Oceano undiq; circumfluum est, ab Anno Christi 1377 cum violentia Pelagi circumcirca 17 pagos suffocâsset.*

Altera pars *Flandriæ* Imperatoria *vocatur, quod sub Imperatoribus diutissimè fuit. Hæc quidem non adeò ampla est, sunt tamen in ea præclariores hæ urbes:*

Alostum *ampla, elegans & firma est civitas, ad Tenera amnem, patria fuit insignis pictoris* Petri Alostani, *aliorumq; virorum doctorum.*

Hulstum *non inelegans est oppidum.*

Ninsova *ad Tenera fl. appulsum, natalis est* Johannis Despauteri, *Grammatici.*

Rupelmunda *ad Rupelam fl. arx est natalis* Gerhardi Mercatoris, *Illustrissimi Cosmographi.*

Tertia pars *Flandriæ* Gallicans *(Germanis etiam* Welsch Flandern *dicta) nomen sortita est, á lingua Gallica, quâ incolæ utuntur. Hæc maximè fertilis est, triticum non modò & alia frumenta, sed & Isatidis Herbam, aliosq; fructus in copia proferens.*

Insula *vulgò* Ryssel *totius Flandriæ Gallicæ caput, est emporium perpulchrum, mercatoribus locupletibus, nec non textoribus frequens, Arcem obtinet prævalidam, Curiam Judicialem atq; ratiocinariam, penes quam summu tribunatus est.*

Duacum *vulgò* Dovay *ampla civitas Scarpo fl. irrigatur, & binis fossis, aquâ refertis ambitur. Capitolium ibi visu dignum est, nundi nis & frugum mercatu maximo claret. Lana rum peculiari colore tingendarum jus habet. Ædes sunt pleræq; non dicendæ venustatis, Præ stanti domo Mercatoriâ, Academiâ insuper o nata est. Produxit* Robertum Gagvinum *virum CL.*

Armentier *ad Lies fl. dives est pannis, q ibi variis coloribus parantur.*

Cortracum *vetus & elegans civitas, d viditur amne Lies. Pannificio nota est & ar antiquâ.*

Tornacum *ad Scaldin, opulenta, amp & firma est urbs, ædificia habens antiquitat Romanam ferè redolentia, Basilica 5 præal turribus superbit. Illius Chorus maximè commendabilis, sunt in ea 53 Canonicatus. Fort litium sibi sat firmum adjunctum habet. Possi mer.*

merum imperium, quod altam justitiam *vocant, excluso Regio officiario. Miri ingenij alit artifices, qui quotidiè novas mercium excogitant formas.*

V. BRABANTIA *amplissima est Provincia, longa 25, lata 20 mill. Germ. Habet 26 civitates probè munitas, 18 privilegiata oppida & 700 pagos. E civitatibus præcipuæ sunt sequentes:*

Lovanium *in loco amœnissimo, fertili & montoso, posita est. In circuitu milliare Germ. obtinet. Intra mœnia tantum spatium agri, prata, vineæ & horti, quantum ædificia & domicilia complectuntur. Medium ejus amnis Dila dirimit. Observatu in hac urbe digna sunt: Academia cum suis Collegiis, Arx vetusta. Fanum S. Petri Franciscanorum, in quo Justus Lipsius sepultus est. Ædes dicti Lipsij. Civica Domus operosissima, Xenodochium, Cœnobium Dominicanorum, Carthusianorum, Turris,* Immensa perdita, *vulgò* Die verlohrne Kost/ *dicta, In Suburbio Templum Cælestini multa notabilia habet, inprimis Genealogiam & monumenta Ducum de Arschot. Extra urbem inter plurima jucunda ambulacra etiam videre est* πεϱιλήϱιον *dictorum Ducum de Arschot.*

Bruxella *urbs populosa, Lovanio quidem par magnitudine, at splendore longè superior. Patria extitit præstantissimi Anotomici* Vesalij. *Palatia habet Ducis Brabantiæ, aliorumq; Principum, Comitum, Baronum & equitum aurei velleris. Hortos obtinet amœnissimos. Irrigatur fl. Sennâ, & instructa est cataractis artificiosissimis. In Basilica, sive Templo S. Gudulæ multa visu digna occurrunt: Prætorium civicum, equile Infantis, Domus de Ravenstein ad Saxonem spectans, Cancellaria, imprimis verò Aula sive sedes Gubernatoris Brabantiæ, studiosè perlustrandæ sunt. Eminent etiam Collegium Jesuitarum, Schola Augustinorum, (præter alias 45 Scholas) Domus Furiosorum, Brephontrophium, Hospitalia peregrinantium. ædificia nonnulla septenario numero gaudent. Horti suburbani, è quibus primas tenet Ducis Aumale*, Anderle dictus. *Urbs non adeò munita, Cives varia eaq; præstantissima ... ma, nec non tapetes pretiosissimos præparare ... lent.*

Antverpia *urbs magnificentissima, amplissima, munitissima, emporium ante tum... tus Belgicos totius Europæ celeberrimum, ... itur Scaldi fl. Visitur in ea castrum propug...*

c...

culis instructissimum, & Templum B. Mariæ, in quo sunt 33 campanæ, quæ harmonicum edunt sonum, diversasq; Ecclesiasticas melodias exprimunt. Curia, Borsa, Domus Mercatorum, Teutonum, Anglorum, Portugalensium, Aulaq; Osterilienfis. Statua in Foro piscario, Fanum Jesuitarum, Nosocomium, Brephotrophium, Ergasterium sive Domus correctionis, Prætorium, Officina monetaria, Officina Hydraulica, Domus tapetiaria, Officina libramentorum, Typographia Plantini, Rubenij artificia, Macellum, Oenopolium, præ cæteris splendidis ædificiis eminent. Nati in ea sunt Vesenbecij, Johannes Grutterus, & alij viri CL.

Mechlinia ad Demer fl. nitidissima urbs, nobilitata est Templo eleganti S. Rumoldi, cum Turri fortissima, celsissimâ, & Horologio harmonico, Monasterio Franciscanorum, Dicasterio sive Parlamento, Teutonicâ Domo & Armamentario. Hæc urbs uti telarum optimarum, ita cortinarum multiplicium, plena est, Tormenta, tintinnabula aliaq; vasa, ex ære artificiosissimè ibi conflantur. Navium etiam Architectos producit ingeniosos. Cives immunes sunt vectigalibus, eò quòd Carolo Burgundo suppetias tulerint. Gravidæ matres dùm pariendi

instat tempus, relictâ urbe, in interioris Brabantiæ municipium quoddam se conferunt, inib oneros(æ alvi pondus deposituræ, eo consilio, ut liberi in partem immunitatum Brabantinarum itidem veniant. Tulit Nicasium Verdanum *cæcum illum, sed doctissimum Theologum & IC* Christophorum Longolium, *quem tame alij Schônhovensem fuisse scribunt, &* Rumbertum Dodonæum.

Buscum Ducis, Hertzogen Pusch / *est civitas Episcopalis, ampla, amœna, firmiter munita, populosa, sita ad rivulum Eese, An. 162 à confœderatis Belgis Hispano erepta. Incolæ te larum contexendarum, cultrorum & acuu conficiendarum artificio pollent. Sunt bellicosi simulq́ humani. Templum D. Virgini sacrum opus est visendo apparatu, obtinens artificiosu horologium.*

Tiena, *ad amnem Geta, à caseis sapidis cel bris est. Intra mœnia, plurimos hortos & agr comprehendit. Templo S. Germani & Canonic rum Collegio ornata est.*

Leva, *optimâ cerevisiâ nobilis est.*

Lyra, *munita & pulcherrima civitas, ad Ne te fl. Scholâ, monasterio, templo & nundinis b ariis claret. Forum exhibet amplum & perel*

gan

gans. *Sedes est multorum nobilium, ob amœnitatem sitûs.*

Berga ad Soomam *rivulum, splendida & firma civitas est, quam Ambrosius Spinola Anno 1622 expugnare haud valuit.*

Breda *probè munita & elegans urbs, Castello condecorata, in quo visenda est pictura equi mirabilis & velocissimi.*

Stenoberga *olim ditissima, at nunc minùs splendida.*

Diestum *civitas spatiosa, lanificio præcipuè ledita. Patriam hanc suam ortu illustravit,* Nicolaus Clenardus *Grammaticus.* Herenhalia *similiter lanificio dives est.*

Nivella *Abbatiâ, sexûs fœminei condecora-*
ı est.

Leonhutum *in ea natale solum habuit* Joannes Stadius *Mathematicus nobilis.*

Gemblours *nobilitata est Bibliothecâ insini, & nativitate* Sigberti *Historici.*

Isca *produxit* Justum Lipsium.

Trajectum *ad Mosam vel* Trajectum superius, Mastricht/ *vulgò* Tricht *dictum, aœna, munita & ampla est urbs. Superioribus nnis in potestatem Unitorum ordinum perveıt. Ponte egregio ornata est.*

VI LIMBURGUM *Ducatus, habet agrum feracissimum frumenti & pascuis abundantem, unde pecorum & lacticiniorum ibi est copia. Sunt etiam ibi ferri & plumbi fodinæ præstantes, hinc & lapis* Cadmius, *qui cuprum in Orichalcum convertit, eruitur, nec non terra atra, carbonaria, marmor insuper variis maculis venustè conspersum, passim gignit. Civitates munitas 5, & 123 pagos complectitur.*

Primaria est Limburgum, *in rupe situm & rivo piscoso Vesâ, qui trutas fert, suâ magnitudine Salmones æquantes, alluitur. Arce & mœnibus firmis pollet.*

Secundò à Limburgo lapide in pago Spa, *fons est celebratissimus, cujus nos mentionem fecimus in descriptione Diœcesis Leodiensis.*

Dalem *parvum quidem est oppidum, sed arce nobile.*

Falkenburgum *ad Gulpe fl. in Mosam irruentem.*

Herzogenreit *ad Worm fl.*

VII *Est* LUZENBURGUM, *Provincia montosa & sylvis obsessa, cujus civitates 24 & pagi 1169, præter arces constituuntur.*

Luzenburgum *urbs est probè munita, sed inæquali situ, cùm & montes & valles habeat.*

Cur

Curia Provinciæ totius, illic jus dicit sermone vel Gallico vel Germanico. Conspicuum ibi est Palatium Petri Ernesti, Comitis Mansfeldici, antiquitatibus multis & viridario condecoratum. In vicina villa Egle, positum est nobilissimum venerandæ vetustatis quadratum monumentum, quo cis Alpes vix ullum elegantius videatur.

Allunum oppidum egregium, antiquitatis monumenta multa exhibens, situm est ad Sonai fl.

Theonia villa seu Diethofen ad Mosam, civitas elegantissima & munitissima, præsidium totius regionis est contra hostilem insultum.

Bastonacum emporium est totius Provinciæ.

VIII Batavia, vulgò Hollandia Germanis denotata, à civitate, quam habere statuitur, quasi Ein holes Landt. In plerisque enim locis ubi equis & curribus transitur, concuti & tremere ejus fundus videtur. Ultra 60 milliaria in circuitu non habet, continet tamen 30 civitates probè munitas, & 400 pagos. Hinc vix regio alia datur in orbe terrarum, quæ simili spatio tot habeat Vrbes magnas & concinnas. Aer ejus paludosus est, sed aqua molis ala-

tis extrahitur, & in maris sinum aut amnem effunditur, & ita terra non tantùm exsiccatur, sed etiam habitabilis & fertilis redditur, plurimas tamen fruges aliunde sibi procurat. Nec linum ibidem nascitur, verùm ex Flandria adducitur, unde panni linei subtiles seu multilia texuntur, quæ magnâ copiâ in alias mundi partes distribuuntur. Pascuis verò abundat opimis; butyrum & caseus totius Europæ præstantissimus ibi conficitur, atq; ex lacticiniis, provincia hæc annuatim ultra millionem aureorum colligit. Cuniculis affluit, nec desunt pisces; Halecum inprimis copiâ claret. Hîc pleriq; vides flumina non naturalia, sed artificialia, ab una ad alteram civitatem ducta, quæ tantam navigandi præbent per illam terram commoditatem, ut unâ die decem aut ultra, urbes lustrare posis. Incolæ sunt proceriores & pulchriores, præsertim fœminæ, aliis populis in Europa. Cives quoq; humani, ingeniosi, literis faventes, unde etiam nusquam gentium copiosior, quàm ibi Mathematicorum turba reperitur. Bellicâ laude clari, opulenti, homines frugi, industrÿ, sed ad gulam propensi. Ex urbibus sex primariæ sunt, quæ nomine omnium, Hagam, ad deliberationem evocantur.

1. Dord-

1 Dordrechtum, *vel* Dort, *urbs ampla, pulchra ac potens, & elegantioribus ædificiis insignis. Basilica à Virgine opulenta extructa, oculos mirâ voluptate pascit. Quicquid vini Rhenani in Belgium asportatur ex Germania, quicquid frumenti ex Geldriis, Cliviis & Juliacensibus, atq; aliis mediterraneis ex locis; id omne in hoc emporium,* generali ſtapulâ, *ut vocant, illustre, transvehitur. Continenti priùs juncta fuit, sed Anno 1421 maris inundatione, in qua ultra 72 pagi & centum mille homines perierunt, insula facta, quam circumfluit Meruæ, Mosa, Linga & Vahalis. Nulla Hollandiæ civitas, editioribus ædificiis & jure cudendi monetam gaudet, atq; hæc unica. Hac in Civitate Reformatæ Belgicæ Ecclesiæ Synodum Nationalem contra Arminianos Ao. 1618 & 19 celebrârunt.*

2 Harlemum, *amplitudine, ædificiorum cultu, situs amœnitate & templi elegantiâ reliquas Hollandiæ Urbes longè superat. Vrbem Sparnus amnis interlabitur: ante eam nemus est, Civium deambulationibus, delitiisq; dicatum. Texitur in ea byssus subtilisq; tela, ut & præstans nigri coloris pannus. Abundat piscibus & cuniculis. Ad hanc urbem Ao. 1403 fœmina marina, nuda ac muta, vi tempestatis maris ejecta est. Huic urbi*

 inven-

inventæ typographicæ artis gloria, à quibusdam tribuitur. Visu ibidem dignæ sunt campanæ binæ ex ære Corinthio, Damiatæ dictæ. Ao. 1573 Hispanorum crudelitatem, miserandum in modum experta est, quæ tamen reliquis Hollandiæ civitatibus in meliorem cautelam cessit.

3 Lugdunum *situm est ad medium Rheni alveum. Habet intra se, in ipso meditullio, Pyrgū vulgò* Burch *dictum. Urbs est munita, tiliis passim referta, elegans, commendata ab Academiâ, templo S. Petri, & Pancratij, Brephotrophio, Curiâ, vetustâ arce, Horologio harmonico. Galli, Angli Reformati & Lutherani, sua ibi obtinent templa, in Curia tapetibus eleganter intexta cernitur obsidio hujus urbis memorabilis Ao. 1574 ab Hispanis facta. Academiæ Collegium Theologicum, hortus & Anatomia, visu ibidem digna sunt. Extra urbem est* Roomburgh *locus eruditis, variis antiquitatum monumentis, clarus.*

4 Amstelodamum, *nobilissimum totius orbis emporium factum, post decrementum Antverpiæ. Irrigatur fl. Amstela dicto. Solum ejus adeò palustre est, ut ædes fistucis ligneis, in aquam summo labore & sumtu intrusis, insistant, & fundamenta pluris, quàm ædes ipsæ constent & æstimentur. Et ita super palis in aquis, instar Venetiarum, po*

arum posita est, unde plurimæ fossæ aquaticæ, quarum ripæ arboribus sunt consitæ, per illam ducuntur. Tàm loci ergò naturâ, quàm operibus urbs est munitissima. Anno 1578 *post diuturnam obsidionem in potestatem Confœderatorum, ad eandem ultra* 100000 *sublatorum, redacta est. Templa obtinet variarum nationum & Sectarum. Curia visu digna, conclavia ostentat gemina. Domus Indica, Principis aula, Officina libraria sive ponderum, Officina vitraria, Bursa, Pædotrophia, Nosocomia, Xenodochia, Gerontrophia, Ptochodochia, Furiosorum carcer, ædificia sunt notabilia. Habet etiam duo Ergastula (Zuchthäuser/) unum pro maribus, alterum pro fœminis, in quæ compinguntur liberi petulantes & immorigeri, ut in eo laboribus defatigati, ad meliorem frugem redeant. Gaudet etiam peculiari domo Musicali de* Mennisten Bruyloft, *vel* t' Huys te Sinne lust *dicta.*

5 Delphium, *urbs Hollandiæ elegantissima & purissima, circumdata fossa Delft dicta, per quam, ex Mosa, merces navigio introducuntur. Celebris est, ob bonitatem & copiam Cerevisiæ, quæ etiam aliorsum transvehitur. Templum S. Hyppoliti ostentat monumentum Wilhelmi Comitis de Nassau, à Sicario Burgundio, globo traje-*

cti. Cu-

cti. Curia præ se fert turrim præcelsam, in qua campanaria harmonia habetur, quæ solemnibus Nuptialibus & nundinis hebdomadariis pulsatur, ut epulantes in nuptiis exhilaret, & vendentes ementesq; ad forum frequentandum invitet.

6. Gouda *à fl. Goud, in Iselam ibidem influente, dicta, civitas egregia, commendatur quoq; à bona cerevisia. Arx illius admirabilis fabricæ, tabularium habet, diplomatibus privilegiisq; ordinum Hollandiæ conservandis destinatum. Templum obtinet capax, Harlemensi simile, ut & celsam turrim, in qua campanarum harmonia, pro temporum festorumq; mutatione variâ modulatione editur. Civica domus in foro patenti extructa, habet sua diversa prætoria & concameratam planitiem, super columnas lapideas, in qua supplicia de condemnatis sumuntur. Armamentarium ibidem reperitur instructum, ut & macellum fornicatum. Hortos etiam possidet egregios.*

Præter has primarias, sunt aliæ non ignobiles civitates, ut:

Medenblicum *munitione clarâ. Hîc olim Radbodus, Frisiæ Rex residebat, qui baptizandus à Wulfranco Episcopo, pedem ex baptisteri*

retra

retraxit, cùm cognovisset suos gentiles majores omnes in inferno hærere, solus ergò noluit cœlum petere, suosq; deserere.

Enckhusa *firma civitas maritima, algâ sive junco marino affluit. Visuntur ibi variarum navium structuræ & Ceimiliarchia nobilissima. Vulgus ex copiosissima piscatione halecum victitat, alij ex confectione Salis & mercatura lucrum quærunt.*

Horna *natalis* Hadriani Junij, *illustratur nundinis boariis. Latas & elegantes plateas obtinet.*

Schonhoven *civitas populosa & dives in amœno & pomifero loco, ad Lek amnem posita, captura Salmonum claret.*

Almeria *sive Alkmaria est munita & elegans civitas, annonæ vilitate & omnium rerum, præsertim caseorum & butyri affluentiâ gaudens. Obtinet Ergastulum, sive domum disciplinariam. Patria est* Adriani Metij, *&* Cornelij van Drebbel, *Mathematicorum clariss. Templum ejus exhibet monumentum Foresti, Medici.*

Edamum *nobile à confectione navium, butyri & caseorum optimorum.*

Odevatera *ad Iselam, benè munita est: cives*

ves canabinis funiculis conficiendis, retibusq contexendis, quibus in Halecum piscatura usu est, operam navant.

Voerdenum *oppidum palustri loco est con ditum, ad Rheni alveum.*

Iselsteinium *oppidum est opere validissi mum.*

Viana *Castellum obtinet firmum.*

Goricum *Turrim campanariam habet, e qua 22 civitates munitæ, optimè conspici po sunt. Eleganti etiam Castro insignitur. But ro & caseis optimis abundat.*

Brielium *oppidum rebus omnibus ad usu vitæ necessariis cumulatè abundans, negotiat onibus, piscaturâ halecum, mercatu, glutino glebis, pascuisq; famosum est. Obtinet duo C stella in Portu, Aëre utitur impuro. Hæc prin fuit civitas, quam Confœderati Belgæ Hispan ademerant.*

Vlaerdinga *omnium Hollandiæ Urbium antiquissima.*

Roterodamum, *ad rotam rivum, em rium nobile, cui lumen & decus immortale didit* Desiderius Erasmus, *cujus etiam dom natalis, propè Templum S. Laurentij, osten tur, & statua in foro marmorea.*

Mo

Mons S. Gertrudis, *oppidulum firmiſsimū, ſæpiùs hoſtilem vim expertum eſt.*

Huc pertinent etiam municipia quædam, ſuis ſingularibus dotata privilegiis, inter quæ primaria eſt Haga Comitis, *pagus quidem, ſed maximus totius Europæ, ut qui ultra bis mille ædes complectitur. Mœniis caret, ſed canalibus probè inſtructus eſt. Obtinet etiam Caſtellum optimè munitum, muris & foſsis circumdatum, in quo Principes Auraici vivunt & conventus Ordinum Belgÿ celebrari ſolent. In eo eſt palatium ſpatioſiſsimum, cujus trabes ex Hybernia allatæ, nullam cariem ſentiunt, nullas aranearum telas ferunt. Bibliopoliis & tabernis mercatorum, magnatum ædibus ſplendidis, armamentario, viridariis amœniſsimis, jaculatorum & aliis hortis, topiariâ arte condecoratis, nemuſculo arboribus floribus & herbis odoriferis ſpontè provenientibus, quæ ob ambulantes interdiu noctuq́; reficiūt, nobilitatur. Templum ejus primarium obtinet Epitaphium J.* Douſæ. Risvic, *exhibet Stabulum inſtructiſsimum Principis Auraniæ, ut & naves Indicas.*

Graveſanda *turrim habet præcelſam. Claret caſeo & tritico.*

Loſdunum, *oſtendit monumentum Marga-*

retæ

retæ Comitissæ, quæ uno partu tot liberos edidit; quot in anno dies sunt.

Scheflinga, *exhibet Principis Auraici Rhe-*
das ventosas sive velatas, quibus sine equis, ope-
râ ventorum secundorum, intra horas 2, millia-
ria 14 Batavica peregrinantes conficere possunt

Cadvijk op zee *pagus ostendat rudera tur-*
ris Britannici cum aliis memoralibus antiquita-
tibus.

IX SEELANDIA, *terra olim fuit conti-*
nens, at maris violentiâ Ao. 1438, in Insulas i
conversa, quarum hodie tantum 7 supersunt, eæ
aggeribus validissimis & immensis sumtibus
grè sustentantur Reliquæ unà cum civitatibus
pagis, maris æstu & inundationibus successu t
poris, inprimis Ao. 1530, ut & 32 absorptæ sun
Pingve solum habet, frumento & pascuis accom-
modatissimum, ex tritico, rubiâ, salsament
vaccarum & ovium copiâ, Salis Hispanici, capt
râ piscium, magnum facit quæstum, Lignis fe
caret, vix in universa Zelandia aquam reperi
quæ non salsilagine infecta sit. Incolæ sunt cæte
Belgis ingeniosiores, sagaciores, & navigandi
tis peritissimi. Hujus Provinciæ urbes sunt
pagi 102.

Metropolis ejus est, Zirizea; *nobilitata na-*

vit

vitate Levini Lemnij, *Medici & Scriptoris CL. Templum S. Levini operosæ structuræ est, sita est in Insula* Schavia *sive* Schaldia.

Brouverschavia, *oppidulum munitum, ibidem ad Scaldin fl. conditum est, & à piscatoribus opulentis inhabitatur. Insula, quæ* agger Martini *dicitur, locus peramœnus est arboribus consitus, in quibus maxima alitum, ac præsertim ardearum copia, nidificat.*

Walachria, *Insula totius Zelandiæ caput, situ, opibus, incolarum frequentiâ, urbium & pagorum splendore, mercimoniis eminentissima, decem milliaria complectens in meditullio.* Middelburgum, *urbem, à situ nomen habentem, obtinet, quæ Metropolis est totius Zelandiæ, ampla, munita & elegans. Stapula vini ibi habetur, & curia totius Provinciæ, quæ Horologio artificioso gaudet. Huic ortum suum debet* Paulus Middelburgensis *Mathematicorum, sui ævi, Princeps. Visenda ibidem est, Abbatia nobilis S. Nicolai. Princeps Uraniæ An. 1574 eam fame ad deditionem coëgit. Aëre non satis salubri fruitur.*

Wlissinga *portu & munitione clara,* clavis *appellatur* Maris Belgici. *An. 1572 ab Hispanis defecit, ob contributionem iniquam, sibi à Duce Albano impositam.*

Veria Scoticarum mercium est emporium.

Arnemuyda, olim celeberrimo totius Europæ gavisa est Portu; nunc arenâ is oppletus est.

Goesa, urbs non tàm ampla, quàm amœna & divitiys pollens, cùm unica nunc superſit in Insula Zvidbelandia.

Nortbeverlandia, Insula etiam Zeelandiæ egregia & fertilis est, sed magnam jacturam à Scaldi fl. patitur, sicut & civitas eius Corcheenne, in aquis adeò submersa visitur, ut pinnæ turrium tantummodo promineant.

X. Geldria Ducatus, cui adhæret X Provincia, Suphania, regio est plana & campestris, sylvis ac nemoribus ornata, fœcunda frumenti & pascuorum. Habet 22 urbes munitas & ultra 300 pagos.

Metropolis est, Noviomagum, ad Vahalis fl. civitas antiqua, ampla, populosa, splendida, ubi & castellum pervetustum visitur, cuius architectus statuitur Julius Cæsar. Habentur & ibi sepulchra illustrium Dominorum, quæ eius antiquitatem arguunt. More liberarum & imperialium civitatum regitur; & jure cudendæ monetæ fruitur; habens cives negotiationi deditos, admodùm divites. Collegiatum templum S. Stephani, & Ædes Falkenburgianæ, antiquita-

tibus

tibus refertæ visu digna ibi sunt. Anno 1592 Ordines Belgici hanc civitatem subegerunt. Sita est in loco inæquali. Extra urbem, moneta vetusta quandoq; eruitur.

Arnheimum, ad Rhenum positum, potens, dives & munita urbs est, potestati Unitorum Ordinum subjecta, in qua Status Geldrenses provincialem Curiam & Archivum habent. Piscibus affluit.

Ruermunda, est civitas Episcopalis, munita, ubi fluvius Ruer in Mosam influit.

Geldria, urbs est, à qua totus Ducatus nomen habet, & arce nobilitatur valdè firmâ. Anno Ch. 1638 Belgæ hanc civitatem oppugnantes ab Hispanis cæsi & repulsi sunt.

Herdervicia, sinui maris proxima civitas, adeò omnium piscium genere abundans, ædes habet elegantes, arva fertilia, pascua læta, sylvis nec destituitur. Unde fit, quòd hîc parvo benè vivatur. Natura loci & arte satis firmâ, arce etiam munitâ, prædita est. Templum B. Mariæ turrim præcelsam & crassam habet Pharo non imparem, ad quam Nautæ sæpè suas naves dirigunt. Cœnobijs etiam gaudet.

Venlonum, oppidum arte & naturâ munitum, ad Mosam conditum est, mercimonijs

clarum. Anno Chr. 1637 ab Hispanis occupa-
tum.

Zutphanium, urbs populosa, dives, situ &
arte firmâ, quam Berkel fl. perfluit, & Issulæ i-
bidem miscetur, à Belgis An. 1591 subacta. Hæ
Civitas toti Comitatui Zutphaniensi nomen
dedit.

Hûc spectant Elburgum, Bommela, D(
esburgum, Lochenum, Grolla, Bredefo
da, Scherenberga, quæ postrema civitas pr
prium habet Comitem, qui ei præest.

Esset nunc dicendum de XII Provincia
Marchionatu S. Imperii. At quia is uni c
vitati Antverpiæ attribuitur, aut etiam no
nulli pagi assignantur, & de Antverpia sufficie
ter actum est sub Brabantia, ad XIII Ultr.
Jectum transimus. Paruit olim hæc dit
Episcopo Ultrajectino, qui tàm potens fuit, ut n
cessitate exigente, 40 hominum millia, ad bellu
armare potuerit: Exorto verò tumultu Belgic
Ordinibus Hollandiæ sese adjunxit, cuius part
adhuc tuetur. Est aliàs frugum omnis gene
ferax. Constat 5 Civitatibus & 70 pagis.

Metropolis est Trajectum inferius, seu
trechtum, dives, ampla, populosa & elegans
vitas, magnificis Canonicorum Collegÿs, arc

Uredenburch *dicta, nec non Parlamento præstans. Et templis plurimis clarent: S. Martini, Salvatoris, Petri, Johannis & B. Virginis, quorum posterius super columnas, taurinis cutibus ectas, fundatum est.*

Rhenen, *oppidulum est probè munitum, ad Lechum fluvium situm.*

Amorfortia, *in loco fertili & amœno sita. Nundinas habet, toto Belgio, celebres. Obtinet Collegia Canonicorum, gerotrophea pro decrepitis, Nosocomia pro peste laborantibus & clinicis, Xenodochium pro peregrinis pauperibus, in quod divertere illi solent, Orphanotrophium pro pupillis egenis, Seminarium S. Spiritûs, in quo filij & filiæ circa 600, gratis, in lectione & scripturâ informantur, & post in publicas officinas, masculi ad texendam telam, puellæ ad nendum mittuntur. Multos præclaros viros peperit. Cives plurimis virtutibus commendantur.*

Monfort *nobilis & firma est civitas.*

XIV. MECHLINIA, *una est civitas cum pagis, de qua in 5 Provincia Brabantia actum.*

XV. GRÖNINGA, *unam quidem etiam tantummodò urbem continet, at pagos 145. Estq; sita inter utramq; Frisiam Occidentalem & Orientalem, Civitas est benè munita & aquis cir-*

cumdata, potens, populosa, Academiâ & sede Gubernatoris ornata, libera, propriam exercens jurisdictionem, Terra circumcirca pascua læta habet, nec destituitur sylvis. Sæpius Bellonam sævientem percepit. Urbem hanc ortu illustravit doctissimus ille Rudolphus Agricola, & eruditissima Ursula Cantheriana, miraculum mundi, suo ævo, dicta.

XVI. TRANSISALANA Ober Yßel, regio est plana, feracissima frumenti & pascuorum, unde ex Dania pecora huc ad pascua abiguntur. Urbes habet penè munitas 8, oppida privilegiata 10, & pagos 100. Metropolis est Daventria, emporium amplum, munitum, elegans, liberum & Hanseaticum, ad Isalæ ripam conditum. Obtinet magnificam Domum mercatorum, ex arce diruta constructam, in qua notabilis est lapidea olla, cum Morione eam arridente. Anno 1591 Princeps Mauritius eam urbem occupavit.

Campena, opulenta & egregia civitas, in loco palustri, ad Isalam fl. sita est propè Germanici maris sinum. Visu hîc digna sunt, Fanum D. Mariæ, cum turri & altari, Curia, Domus Prætorij. Genuit Albertum & Stephanum Pighios viros CL.

Swolla

Svvolla, *valde munita & totius Belgij amœnissima civitas est, omnibus rebus ad sustentationem corporis affluit, quibus maximam Belgij partem sustentat. Republicâ adeò laudabili floret, ut neq; Aristoteles neq; Plato meliorem descripserint. Statibus Belgicis subest, olim Imperialis fuit.*

XVII. *Provincia est* Frisia Occidentalis, *præstantior Orientali, ob amplitudinem & incolarum copiam, ut ut regio aliàs sit maximè illustris, humiditatibus, usq; in adultum ver, affluens. Pascuis tamen Orientalem vincit, cùm ex caseis & butyro incredibiles reditus capiat; equos etiam præstantes producit, sylvis & lignis verè caret, sed de fossili cespite, provida natura, sibi prospexit, tàm largitèr, ut & vicinis regionibus suppeditet. Numerantur ibi 12 Civitates, 490 pagi.*

Eius caput est Leovardia, *oppidum opulentum, & domicilijs decenter ornatum, aquarum ambitu, foveis & prævalidâ arce munitum, in qua Gubernator per vices residere solet. Habet Monasterium & Frisiæ Cancellariam, à cuius tribunali nulla permittitur appellatio, Episcopali etiam dignitate ornatum est.*

Doccum, *est Patria* Gemmæ Frisii, *Ma-*

thematici, & Medici præstantissimi.

Sneca, populosa, ampla, elegans & munita civitas, in loco humili & uliginoso sita; quò fit, ut segetem ager non ferat, pascuis sit lætissimus.

Stauria, in littore maris australis porrecta est, ager eius paludibus & fossis intercisus est. Hodie nihil habet magnificum præter arcem validam, portui maris imminentem. Olim tamen emporium fuit florentissimum.

Harlinga, similiter mari adjacet, in altiori tamen loco, agrum habens pinguem, optimum triticum & hordeum producentem. Habet & egregium portum, nec non arcem, contra hostium impetus, valdè munitam. Cygnis & anatibus affluit.

Franichera, nobilium ut plurimùm sedes, tuta & firma est, Academiâ clarens, in qua Theologia & Mathesis potissimùm florent.

Bolsvardia olim fuit florentior atq; nunc est. Pauperum cura ibi tanta habetur, ut nemo in ea habitans mendicato vivere, atq; ostiatim victum quærere facilè permittatur.

CAPUT VII.

DE HELVETIA.

Helvetia, sive Svitia, Germ: Schweitz

Lan

Land oder die Eydgenossschafft, *regio montosa, inter summas Alpes, nive albicantes, maximâ ex parte sita est, atq; ideò inter Europæ Provincias altissima judicatur, cùm & maximi, & longissimè sese extendentes fluvij indè fluunt quinq;*, Rhodanus, Rhenus, Ticinus, Oenus *ac* Licus. *Valles illius pingvia & læta prata exhibent, pro vaccis saginandis, unde & lactaria, butyrum caseosq; magnâ copiâ, ipsi masculi parant. Frumento non abundat, sed aliunde potissimùm procurat. Piscibus & feris affluit. Thermis saluberrimis scatet.*

Lacus multos habet, quorum præcipui sunt Lucerinus, Tigurinus, Rivarius, Neoburgensis *& omnium maximus* Acronius, *olim* Brigantinus, *nunc* Botnicus *vel* Constantiensis *dictus.*

Montium celebriores sunt Gothardus, Alpes Cottiæ, Mons Sylvius, Mons major & minor Bernardi, Alpes Grajæ, Adula, Låberberg, Spelugæ.

Sylvæ, *quibus hæc regio cincta & munita est, sunt partes Hercyniæ.*

Limites eius, ab occidente attingunt Sabaudiam; ab oriente Tyrolis Comitatum; à meridie Mediolanense Ducatum; à septentrione Burgundiam.

Respectu cœli, est constituta in Zona temperata septentrionali, intrà Parallelum 15 & 16, pertinens ad Clima octavum. Dies ibidem sunt longissimi 15 hor. 30 min. qui parùm ultrà quadrantem sese extendunt.

Terræ longitudo est 60 mill. Germ. sive 40 Helvet. Latitudo 45 m. Germ. Helv. 30. Estq́ ita satis ampla regio, quam augent confœderatæ Rhetiæ Civitates & Præfecturæ, quæ accessêrunt.

Incolæ, quorum magna copia, ut etiamcum populosissimis regionibus Helvetia certet, sunt animosi, bellicosi & laboriosi, quos partim natura, partim necessitas, ac bellica studia & laborem, necessarium victum quærendi incitat. A fidelitate militari maximè commendantur Primùm Anno Chr. 1308, singulari arte & admirabili successu, contra vim & tyrannidem Præfectorũ, Imperatoris Alberti Austriaci, sese in libertatem vindicare cœperunt, quam hactenus strenuè defenderunt & ad vicinos propagârunt.

Dividitur hæc regio in partes tres: Primariam tenent 13 oppida confœderata, *seu* Pagi, *vulgò* Cantones *dicti, qui regimen Helvetiæ sustinent. Suntq́* Urania, Svicia, Undervaldia *seu* Sylvania, Lucerna, Tigurum, Glarona

Glarona, Tugium, Berna, Friburgum, Salodurum, Basilea, Schafhusia & Abbatis cella. *Secundam partem habent horum socij & Confœderati, nempe* Abbatia S. Galli, Grisones *sive* Rhætorum confœderati *populi, (Bündten,)* Vallesianorum regio, *cum* Episcopatu Sedunensi; Rotevila, Bipenna, Mulhusium & Geneva. *Ultimas tandem partes occupant* Præfecturæ, *quæ Helveticorum pagorum imperio reguntur, ut Cisalpinæ & Germanicæ.* Turgea, Bada *seu* Aquensis Comitatus, Rhegusea, Sarunetum, Baronia, ab alto Saxo nomen *habens*, Liberæ provinciæ am Wagenthal, *quib. adjunguntur* Transalpinæ & Italicæ, Lugani, Locarnenses, *Mendrisiani & Vallis Madiæ incolæ. Primi omnium fœdus fecerunt* Urii, Svicii, & Untervaldii, *populi trium vallium, quorum civitates paucis considerabimus.*

1 Uria, *sive* Urania, *vel* Ursella, *situ & naturâ loci, oppidum est munitissimum, Helvetiæ fluvio Ursâ, vulgò Russ, alluitur. In decem partes seu communitates dividitur, quas participationes etiam dicunt, quòd soli ex his electi Senatores, omnium munerum participes sint, & ad annuos conventus vocentur.*

2 Svicia, *oppidum universæ Helvetiæ nomen communicat; nam ab iis primùm ædificatum est, qui novis quærendis sedibus, ex Sveciæ Regno, huc profugerant. Dividitur in partes sex, quas* Quartas *vocant.*

3 Untervaldia, *seu* Sylvania, *naturali Alpium vallo circumseptum oppidum est, in duos conventus distributum, in superiorem scilicet & inferiorem, mediante sylvâ* Kernvald.

4 Lucerna, *sita est ad fl. Rusam, quâ is effluit ex lacu amplo; ad pedem altissimi montis, vulgò* Pilati *dicti. Locus urbi commodus est, quòd hàc iter sit in Italiam per* Alpes Lepontias, *sive* montem S. Gothardi.

5 Tigurum, Zürch/ *vetustissima & celebratissima civitas, sita est in amœno loco, ad exitum lacus magni, qui hîc desinit, excluditq; amnem Lymagum, & dividit urbem in duas civitates, majorem & minorem. Frumentarium & piscarium Forum habet instructissimum. Arcem habet præcelsam; Turris, quæ instar speculæ, ad Limagum posita est, habet adjunctum pontem sublimem, per quem nullus ejus transire audet, sub pœna amissionis equi. Multos egregios viros produxit, ut* Conr. Pellicanum, Theod. Bibliandrum, Conr. Gesnerum, Lud. Lav

terum

terum, Joh. Simlerum, Rud. Hoſpinianum. *Habet hæc urbs Præfecturas majores 9, & minores 22, ut & oppida* Virodurum & Steina.

6 Glarona, *vicus eſt juxta Limagum fl. in valle non admodùm ampla Glaronum, quæ regio altiſsimis montibus cingitur. Hæc patria fuit* Henrici Lorici, *cognomento Glareani, Viri CL.*

7 Tugium *vulgò* Zug/ *lacui piſcoſo adjacet, agrum compaſcuum vini frumentiq; feracem habet. Habet duas partes, & in illis conventus 4, ex quolibet autem conventu novem eliguntur Senatores, qui regioni conſulant.*

8 Berna, *civitas ad fl. Aar, qui eam in modum ferè inſulæ cingit, amœnitate, ſitu, fornicibus, cultu, potentiâ, legibus & civilitate conſpicua eſt. Habetq; ſitum in fertiliſsima terra, eius inſuper incolæ, ſuarum rerum admodùm ſunt ſatagentes, & humanitatis ſtudioſi. Viſu ibi digna ſunt Baſilica, Campana magna, Collegium, Tribunal in platea erectum, Statua Chriſtophori, Domus urſorum, Turris præcelſa, Curia, Armamentarium, Bibliotheca. Ei ſubſunt 31 Præfecturæ Germanicæ & 8 Gallicæ.*

Huic etiam Civitati ſubjecta eſt Loſanna, *Academiâ, Arce, Collegio & templo Epiſcopali nobilis.*

Ebro-

Ebrodunum & Urba *ob antiquitatum vestigia visu dignæ civitates. Ibi etiam sita est Arx & Civitas famosa* Granse. *Ad Murathum, in eo loco, ubi Caroli Burgundiæ Ducis exercitus, cæsus est, habetur Ossarium, in monumentum illius cædis positum.*

9 Friburgum, *Nuchtlandiæ, mirabilem situm obtinet: partim enim imposita est monti, præcipitibus petris suffulto, partim jacet in valle, acclivis montibus clausa, circumfluitq; montem in imo per desidentem civitatem, amnis Sana. Collegium Jesuiticum & Prætorium sita sunt, in præcipitibus rupibus. Hîc (ut & passim in Moravia) in usu est commessatio,* Die Lesakerey/ *quâ debitores ad solutionem coguntur.*

10 Salodurum, *civitas est antiqua, cum Treviri & Tiguro eadem ferè principia habens. Vetustatem enim ejus adhuc ostendunt Romanæ inscriptiones, quæ ibi reperiuntur. Sita est ad Ararim sive Arolam fl. auriferum, in agro plano & satis culto. Visa ibi digna sunt Curia, Armamentarium, Sedes Gallici Legati, crassa Turris & in Basilica Silesij cujusdam Regis Legati monumentum marmoreum, scripturam inversam præ se ferens.*

11 Basilea, *confœderatarum civitatum omnium e*

nium & amplissima, sita ad Birsum fl. in Rauracorum regione, cujus etiam caput statuitur in loco frugifero, vitifero & pascuoso. Academiã habet, in qua studium medicum semper floruit; ac concilio celebris est. Rhenus interlabens, in duas partes eam dividit. Intra mœnia (quorum pinnæ, Hebraicas literas insculptas habent) plurimi comprehenduntur horti & colles vitiferi. Horologia ibi unâ horâ tempestivius, certis de causis semper procedere solent. Molis artificiosis, iisq; variis instructa est. Armamentario præstantissimo gaudet. Terræ motibus crebris exposita est. Inter alia in hac urbe visu digna, in cœmiterio Dominicanorum elegans pictura sese offert, vulgò chorea mortuorum dicta. In loco Seidenhoff dicto, Rudolphi I Imp. imago, in saxo excisa, quoq; observanda est. In summo templo quiescunt ossa tùm multorum Episcoporum Basiliensium, tùm etiam præclarissimorum virorum, de re literaria benè meritorum, ut S. Grynæi, Oecolampadii, Jac. Mejeri. J. Oporini, Seb. Castalionis. H. Pantaleonis, S. Münsteri, Eras. Roterodami, Fr. Hotomanni, H. Frobenii, Th. Plateri. In templo S. Leonhardi visitur monumentum Conr. Lycosthenis. In templo D. Petri Theod. Zvingeri. In hujus templi cœmiterio

terio *Quercus visu digna est, cum sua area amœnissima.* Felicis Plateri, *Medici domus spectatoribus, plurima artis & naturæ miracula; Amerbachij verò ædes, thesaurum priscæ monetæ exhibent. Non procul à Basileâ condita olim fuit* Augusta Rauracorum, *à Romanis, quæ nunc contemtibilis pagus est, rudera multa ostentans.*

Lauffenburg *dividitur per interfluentem Rhenum, obtinens arcem editam plurimasq́; officinas ferri, nec non cataractam Rheni, per quam nautæ funibus demittunt merces.*

Waldshut *ad nigram sylvam in solo austero & inculto, nonnisi hordeum & avenam ferent. condita est.*

12 Schafhusia *in Hegovia denominatur vel à Germanico nomine* Schaff/ *id est ovis, quam pro insignibus utuntur, vel à navi, quasi* Schifhusen; *hîc enim navium statio erat, quòd nunquam omninò ultra Schaphusiam, ob atrocem spumantemq́; Rheni cataractam, 75 pedes altam, incolis* den Lauffen *dictam descendere poterant, quare omnes naves, quæ ex Acronio & Veneto lacu secundo Rheno descendunt, necesse est Schafhusiæ exonerari, atq́; ideò ibidem etiam ingens portorium colligitur, præsertim ex Sale. Propugnaculum obtinet munitissimum.*

Duellium

Duellium, *vulgò* Hohen Twiel/ *Schafusio* $1\frac{1}{2}$ *mill. distans, Arx est in rupe celsissima & inexpugnabili condita, rebus omnibus necessarijs instructa, visu dignissima.*

13 Abbatis cella, *primarius vicus est, Marti atq; Bellonæ peridoneos homines producens.*

Abbatia S. Galli, *obtinet superiorem & inferiorem Thurgoiam.* *Civitas* S. Gallensis *juxta & partim intra montes, in fundo agresti, & prospectu amœno sita est.* *Cives lini texturam & mercaturam exercent, varias callentes linguas. Cœnobium ornatum est Bibliothecâ.*

Dictis XIII primariis pagis, penes quos summa potestas est, meritò junguntur oppida, quæ suam Rempub. suosq; peculiares Magistratus habent, illis verò ut municipia accensentur, item quæ primariis subsunt. *In* Tigurensi *autem tractu, primò occurrit,* Bremogardum *oppidum, cum arce, ad Rusam fl.* Rappersvila, *ubi arx vetusta,* Regensperga, Eglisophia *ad Rhenum,* Kipurgum, Vitodurum.

2 In Turgovia, Frauenfeldum, Elgau, Winstinga, Phin, Geienhofen *villa & castrũ, ubi stultorum infinitus dicitur esse numerus.*

3 *In Argovia, vulgò Ergaw,* Vilisovium, Autvila, Sophinga, Badena, *ad Limar fl. arces duas ferè dirutas & egregias thermas habens, quas tamen plerique voluptatis potiùs, quàm valetudinis causâ, invisere solent. In ea conventus anniversarios Helvetii instituunt.*

Bruc, *ad Aar fl.* Vindonissa *ad Reis fl. vetustatis monumenta ostentans.*

4 *Ad Comitatum Basiliensem, pertinet Comitatus* Rheinfeldensis, *ubi civitas munita est* Rheinfeld, *per victoriam Bernhardi, Ducis Vimar: Anno 1638 celebrior reddita: posteà* Sisach & Seccingen.

RHÆTIA prima, seu Grisonum, Der Grawbundter oder Churwahlen/ *regio, quæ & ipsa Helvetici fœderis est, in tres pagos seu conventus dividitur, nempe in* Grisam, Domum Dei, & Leodrituram.

Grisæ *pagus præstantior est cæteris, qui* vallem Mesolinam & vallemCalancam *ad Italiæ fines, ac alias prætereà transalpinas valles complectitur, quas Rhenus, Glener & alii amnes alluunt.*

Domus Dei *pagus, possidet* Chur *sive* Curiam *metropolim* Grisonum & *emporium nobile cum vicinis 18 agris. Juxta* Chur *est* lacu

Hero

Herodis, *ille impetuosissimus*, *& piperina balnea*, *nec non* Vallis Venusta, *Germ.* Winstgaw: *Eidem vicina sunt regiuncula* Etschland, Athesma, Engedina, Finstermunz, Inthal, Lechthal, Münsterthal, Pasterthal *&c.*

Leodriturae *pagus, in Tyrolis confinio jacet, cuius ager sterilior ac cæteris asperior est.*

Feldcuria *sive* Feldkirch *negotiosum & excultum est oppidulum, inter rupes & montes ad Illam fl. situm.*

Hûc etiam referenda est Vallis Tellina (Veldlin) *in qua* Tiranium *& alia munita oppida.* Clavenna *ad fl. Maira, inter montes prælaltos condita, mercaturâ clarens; estq́ clavis Germaniæ & Italiæ.*

In hoc tractu etiam apparent vestigia Oppidi Flours, *Anno Ch. 1618 terræmotu obruti.* Fuentes *arx est præclarissima, ab Hispanis superioribus annis condita, ast jam sub potestatem Galli redacta.*

In Rhætorum ditione, sunt fontes Rheni ex Adula orientis. Transitur hinc in Ducatum Mediolanensem.

VALESIAM *quod attinet, ea inclusa est altis montibus & alpibus, quæ ad Germanicum milliare magnum, summitatem à radice extollunt.*

lunt, & nive passim ac glacie tectæ sunt, præsertim in præcipitijs & claustris, ut tempore Hyberno neq; ingressus, neq; egressus concedatur. Valle intereà tantâ ubertate rerum omnium ad victum necessariarum affluente, ut vix sub Sole fertilior terra existat. Namq; herbarum medicinalium, Agarici, optimi vini, frugum, fructuum, croci, & quæ alendis & saginandis pecoribus, necnon variis feris inserviunt, magnam copiam producit. Unde Lactaria plurima conficiuntur. Ex montanis etiam locis mineræ argenti, plumbi, æris, ferri & crystalli eruuntur, lapides ustibiles petuntur. Nec thermis destituitur. Deniq; Rhodanus, qui per mediam vallem fluit, pisces varios in copia suppeditat. Incolis plurimis, tàm viris, quàm fœminis strumæ in collo, vel aquæ vel aëris vitio, crescunt, & cùm inter se nimis rigidi sunt, exteris tamen benefacere student.

Montes, quibus regio circumdatur, sunt Furca, Gothardus, Sempronius, Sasius, Matricus, Gletzus, Arola, Letzius, Gemmii, Savez.

Dividitur autem in Superiorem *&* Inferiorem. Superioris *metropolis est* Sedunum *Germanis* Sitten *dicta, quæ sola in Valesia ma-*

quibu

-ibus cincta est: credunt enim regionem totam unam urbem esse, cuius mœnia sunt montes; portam unam, ad S. Mauritium, ad angustias fauces'q; Valesiæ, quà se montes coarctant. Sita est hæc urbs in montis cuiusdam planitie, super quã alij duo montes assurgunt, in quibus arces sunt, una, civitatis respectu, ad dextram & Rhodanũ sita, humilior, cuius nomen Valeria, quæ nunc sedes est Canonicorum, Basilicam peculiarem habens: Duæ aliæ arces sunt ad sinistram, Episcopales, quarum prior, quæ arx Mejerim nuncupatur, in editiori loco civitatis, sedes est primaria Episcopi, qui Princeps & Dominus est totius Comitatûs; posterior, in altiore rupe, Tyrbile, dicitur, ad quam ex priore, per aliquot centenos passus, ascendere necesse est, ac in ea cùm maximus æstus, in æstate hominibus creat molestiam, Episcopus aëre temperatiore, magis salubri uti cupiens, versari solet.

Complectitur Superior Valesia, quæ propriè Sedunensis tractus nuncupatur, 7 Diœceses seu Conventus, quos Decimas Zehend Gericht vocant. 1 Sedunum, de quo jam actum. 2 Sider, vicum amœnum, in quo arx fuit. 3 Leuk, ubi arx est Episcopalis, in qua jura populo dicuntur, & Princeps conventus celebrat.

 Suntq́;

Suntq́ huic vico vicinæ thermæ Leigenſes *di-ctæ.* 4 Rarem, *vicum veterem, propè quem arx fuit,* ad Turrim *dicta.* 5 Viſp, *ad fl. Viſpach, vicum inſignem, ad quem pons eſt lapideus admirandæ altitudinis.* 6 Brig *ad Salginam fl. elegans oppidum, civitati non abſimile, ſed mœnis carens, thermis gaudens.* 7 Gombſam, *quæ aëre frigidiore premitur, interq́ montes radijs ſolaribus, modicum gaudet.*

Inferior Valeſia 6 *conventus, qui* vexilla *appellari ſolent, continet:* 1 Contegium, *ubi olim arx fuit Ducis Sabaudiæ,* 2 Ardon *ad cognominem fl.* 3 Scallonium. 4 Octodurum *vel* Martenach *oppidum maximum ad Drauſam fl.* 5 Intrement. 6 Tarnada S. Mauritij.

His ſequitur Rotevila, *quæ eſt libera imperij Civitas, elegans, ampla, in monte ſita & probè munita. Aulicum ibi judicium eſt Sacri Imperij.*

Bienna, *ſeu* Bipenna *urbs ſita eſt ad exitum lacus ejusdem nominis, ejus arx diruta eſt.*

Mulhuſium *Civitas fuit imperialis, Sungoiæ vel Rauracorum: De qua in deſcriptione Alſatiæ diximus.*

Geneva, *urbs munitiſsima Allobrogum ſive Sabaudiæ, ad lacum Lemannum ſita eſt, habet*

ponte

ontem ligneum ultra Rhodanum, in cujus me-
lio ferè insula est, cum erecta turri, in qua spe-
ula est, ut, de nocte navigantes, per lacum tu-
iùs vehantur. In hoc quoq; ponte visendum est
astellum ab aurifabro affabrè constructum.
ommendatur hæc Civitas à forma Reipub. A-
istocratica. Habentur in ea peculiares Magi-
ri morum, religionum, procuratores: unde fit,
t rara ibi ebrietas, rara fornicatio, raræ choreæ,
mò nullæ, rari mendici, rarissimi otiosi depre-
endantur. Videas enim puellas 6 aut 7 anno-
um tàm eleganter acu pingere, ut in admiratio-
em sui te rapiant: adultiores, in ducendis filis
riceis & texendis telis sunt occupatæ. Cives ex
ercibus sericeis, & librorum venditionibus,
ec non convictoribus peregrinis, præsertim Stu-
iosis, quæstum quærunt. Visu ibi digna occur-
unt; Aquila biceps vetusta, mœnibus incisa. Au-
Episcopalis carceri destinata: Turres duæ, an-
tempora Julij Cæsaris conditæ: Curiæ: Urnæ,
uibus cineres Ethnicorum reconditæ fuerant:
xuviæ Crocodili: Armamentarium: Mensura
umenti saxea: Collegium: Bibliotheca; Celebri-
m virorum monumenta; Vixerunt enim in ea
alvinus, Beza & alij Theologi. Ex vicino
cu Lemano pisces venales primò enecantur, &

postquam per aliquot dies in cella reservati fuerint, in forum proferuntur. Sapidiores enim tùm esse solent, quàm si confestim à mactatione lebeti injiciantur.

Ad præfecturas quod attinet, eorum potissima oppida sunt, Badena *de quo jam dictum,* Majenberga, Reichensem, Rapersvila, Sarunctum, Rinek, Alstetn.

In Præfecturis transalpinis, sunt Luganum, Verbanum, Locarnum, Medrisiana, Madiavallis, *quæ singula ferè lacubus adjacent.*

Tandem quoq; ad Helvetiam spectant Valles Italiæ proximæ, quæ à particularibus hominum generibus habitantur, ut sunt Vallis Augustana, *ubi sunt omnes ferè institores.* Vallis Cesia *quam ut plurimùm Latomi, vel Cementarij inhabitant.* Vallis Oscela, *ex qua prodeunt cultrarij, & qui tornatili artificio scutellas ex ligno conficiunt.* Vallis Vegetia, *ex qua tot fumarij exeunt, hoc est sordidi illi homines, qui per Europæ regiones dispersi caminis repurgandis victum parant; & tandem* Galancha Vallis, *unde plerumq; resinarij, sportularum & echinorum textores exeunt, qui mendicantium more ubiq; oberrant.*

CAPU

CAPUT VIII.
DE ITALIA.

Italia, inter Europæ regiones celeberrima, ab Ortu Adriaticum Sinum hodie Golfode Venetia dictum & Ionium mare; ab occasu Varum fl. cum Alpium jugis, quæ Galliam ab Italia separant; à meridie mare Tyrrhenum atq; Ligusticum, quod inferum *dicitur; à Septentrione partim Alpes Tyrolenses & Carniolenses, partim etiam mare Adriaticum, quod* superum *vocatur, pro terminis habet.*

Respectu cœli, sita est, in principio meridionali, inter Parallelum 11 & 12, diem æstivum maximum horarum 14, 38 min. obtinens, in fine Septentrionali inter Parallelum 15 & 16 diem maximum 15 hor. 34 min. habens; in quo spatio fit variatio dierum ad 56 min. Est ergò ejus initium in climate Sexto, & in Octavum usq; porrigitur.

Longa est 720 mill. Ital. sive 180 mill. Germ. minorum, lata 260 mill. Ital: sive 65 Germ.

Montes *præcipui sunt* Alpes & Appenninus. *Illæ Italiam instar mœniorum cingunt; hic tandem secundùm longitudinem in duo latera secat. Ibi etiam est* Vesuvius *ignivomus.*

Sylvæ notiores sunt subsequentes: Lucus Feroniæ, Nævia, Lucus Camœnarum, Selva del Aglio, Sylva Laurentinorum, Nemus Algiriæ, Lucus Furniæ, Nemus Vacunæ, Sylva Gallinaria, Peregrinalis, Ebolus, Saltus Rheginorum, Batinus, Garganus, Sylva Lucina, Pedanea, Nemus Castrorum.

Amnes *nobilissimi sunt* Padua *sive* Eridanus, Athesis, Arnus, Tiberis, Pisatello, Mincius, Brenta, Ticinus, Oglio, Addua. *Vix autem duæ tertiæ partes Italiæ habent flumina navigabilia.*

Lacus *continet quàm plurimos, nempè* Trasimenum, Aprilem, Marinum Vadimonis, Ciminium, Vulsiniensem, Sabatum, Palugem Bientinam, Cianam, Lacum Hesthiæ, Albanum, Aquas Salvias, Nemorensium, Juturnas, Renillum, Fucinum, Pontinæ paludem, Lacum Fundanum, Tiburtinum, Caccubum, Stagna Simbrunia, Nursinum, Velinum, Floridum, Lucrinum, Avernum, Andurianum, Septem Maria, Padusa, Verbanum, Ortanum, Lavium, Luganum, Gaviratium, Monatium, Trinacium, Chivensem, Pusciamum, Sebinum, Benácum, Idrinum, Pœninum, Vigisiolum & Cosliacum.

E finibus *copiosis clarent* Rapallinus, Erycis, Mare Amuclanum, Sinus Bajanus, Poestanus, Hipponiates, Scylleticus, Urias, Tarentinus, Largus, Flanaticus.

Portubus *similiter abundat, suntq; primarij Portus* Olivulæ, Anaonis, Avisonis, Herculis Moneci, Maurici, Albingauni, Vadorum, Sabatiorum, Savonæ, Genuensis, Delphini, Ericis, Lunæ, Pisanus, Populonii, Falesiæ, Scabrorum, *Telamonis, Herculis*, Graviscæ, Augusti, Antias, Bajanus, Cajeta Julius, Velinus, Metaurus, Crestis, Castra Hannibalis, Tarentinus, Brundusinus, Garne, Agasus, Anconitanus, Ariminensis, Ravennensis, Protolus, Livenza, Polæ.

Domini *Italiæ sunt, Pontifex Romanus, Rex Hispaniæ, cui ferè dimidia Italia subest, Magnus Dux Hetruriæ, Princeps de Piemont, Dux Ferrariæ, D. Mantuæ, D. Mutinæ, D. Parmæ. D. Urbini sive Spoletanus, Respublica Veneta & Genuensis.*

Academijs 12 ornata est, utpote Bataviensi, Bononiensi, Pisanâ, Senensi, Perusinâ, Taurinâ, Salernitanâ, Romanâ, Neopolitanâ, Ferrariensi, Firmensi, Maceratensi.

His

His quidam Venetam *&* Ticinensem *sive* Papiensem *annumerant.*

Clementissimo, hæc regio, politur cælo, moderatáq; omnium anni partiũ in ea tempestas est. Solum habet cultissimum, vino, oleo, croco, herbarũ ubertate, & arboribus omnis generis abundãs. Campi ejus lætissimi sunt, prata nitidissima & amæna, colles ubiq; virentes ac vitiferi, pascua cùm in montibus & collibus; tùm in planitie, pecuariæ rei commodissima, nemora munifica & venationibus opportuna. Montes prægnantes sunt Marmore, Alabastro, porphyrite, ophite, achate, Chalcedonio, Lazurio, Corallio, Vitriolo, Crystallo, alumine, Sale, variisq; metallis. Convalles thermis plurimis gaudent. Fluvij variis piscium generibus scatent. Civitates eâ arte extructas habet, ut alibi vix consimiles reperiantur. Hinc & variis gentibus, diversis temporibus, divitias hujus oppugnandi, occupandi vel etiam diripiendi causa est petita. Et quis non hodie eam visendæ cognoscendæq; gratiâ adit? Docent certé ferventia pasim à peregrinantibus, qui undiq; in eam confluunt, itinera, plerosq; homines novitatis & visendorum peregrinorum locorum avidos, amœnitate & fertilitate agrorum, nunc hos, nunc alios fructus suavissimos

aliunde

aliunde proferentium, opulentarum urbium, decantatorum monumentorum varietate, in Italiam evocari, ut aspectu læto & consideratione dulci omnium, fruantur, exhilarentur & excitientur, deniq; incolas, ipsorum consvetudines & mores cùm publicè domi, militiæ, tùm privatim cognoscant. Alij de Italia hanc invectivam usurpant: Italia est infernus animæ, Paradisus corporis, & Purgatorium crumenæ.

Italiæ populi, multa cruenta bella inter se, per multa secula gesserunt, & incolas subindè & lingvam mutârunt. Gallos, Ligures, Græcos, Hispanos, Africanos & Asiæ populos vicerunt. Hinc illorum fortitudo bellica elucet. Et quia diversum cœli positum, diversosq; magistratus habet, nec colore nec moribus, nec vivendi ritu, nec sermone, nec vestitu in vicem conveniunt. Nam, qui intra Appeninum & Alpes vitiis & voluptatibus minùs dediti, magis morati, longioris staturæ, & in actionibus tardiores, sed constantiores sunt: qui verò ultra Appeninum; versus Meridiem, constituuntur nigriores, fusci coloris, vehementiores, in vitia & voluptates plus propensi, minùs morati, brevioris staturæ, subtiliores, expeditiores in actionibus & magis volubiles sunt. In genere autem, Itali urbanitate, frugali-

galitate, hospitalitate, convictûs facilitate, colloquiis facetis, plurimas nationes antecedunt. Sunt insuper ingeniosi, ad studia literarum cujuscunq́ generis & mercaturam quasi nati, promti in excogitando, celeres in agendo, bellicosi, gloriæ & honorum inprimis cupidi, propensi ad mollitiem, in luxuriam proclives, & in Venerem soluti, literarum cultores, & inter hos religiosos & sacerdotes, magis quàm nobiles suspicientes & honorantes. Unde etiam doctorum & religiosorum maxima in Italia copia. Caupones Italiæ cum suis familiis pleriq́ callidi: Hi enim simu[l] atq́ peregrè advenientem aliquem conspexerint longè procurrunt obviam, salutant benignè, hos[-]pitioq́ suo ambitiosè laudato miris blanditiis in[-]vitant, deducunt alacres usq́ ad amplam & ben[e] pictam januam, postquam autem ingressus fueri[s] & illi ad alios hospites captandos revolârint, n[i]hil reperias culinâ frigidius, nihil stabulo inan[i]us. Mariti uxores suas serviliter includunt, l[e]gitimoq́ hominum commercio excludunt, q[ui] vigore non tàm arcent, quàm provocant ad u[...]teria.

Italiam *partiemur in* Priscam, *sive* Pr[o]priam, *&* Novam *sive* Accessoriam. *Ac* [...] Prisca *primùm agentes eam* Septentrionale[m]

ve

vel Meridionalem *esse pronunciamus*. Septentrionalis *est vel à montibus liberior, vel montibus innexa, & quasi mersa, & illa vicissim Romam, tanquam Metropolim Italiæ considerando, est vel* Cisappennina *vel* Transappennina. Cisappennina *quidem ad dextram*, Latium, *vulgò Campania Romana dicitur. Estq;* prima *Italiæ provincia. Sinistra Hetruria seu Toscuna appellatur, quæ est* secũda *Italiæ portio.* Transappennina, *Picenum & Anconitano Marchia nuncupatur, estq;* Tertia *Italiæ regio: Montibus immersa est. Umbria, quæ nunc Ducatus Spoletanus dicitur*, quarta *portio*. Meridionalior *alia ad mare Tyrrheum, alia ad Hadriaticum est sita. Quæ ad Tyrrhenum ponitur, alia Cis Silarim fluvium est, ut Campania felix. Terra de Lavoro*, quinta *Italiæ pars. Alia trans Silarim, ut Lucania, nunc Basilicata* sexta *pars. Calabria quæ vel inferior* septima, *vel superior, magna Græcia olim vocata* octava. *Cis Phiternum fl. Samnitum regio est 9. Italis Abruzo vocata. Trans verò Phiternum est Aquila duplex, Daunia nunc Puglia. Piana dicta*, decima *& Apulia Peucevia jam terra di Barri nuncupata 11 Italiæ portio*. Duodecima *est Salentinorum, Italis Terra Dordrando dicta*. Nova *seu*

Acce

Accessoria est vel planior vel montosior. Planior ad occasum dividitur in Cispadanam, quæ nunc Romandiola nuncupatur. 13 Æmilia, hodiè Lombardia di quadalpo communiter appellatur. 14 & Transpadanam, vulgò Lombardia di lu delpho vocatam. 15 & Venetia. 16 nunc Marca Trevisana dicta. Ad Ortum quæ existit alia cis Tergestinum sinum, Forum Julij appellatur, Friaul vel Patria 17. Alia ultra eundem Sinum, quæ Istria dicitur. 18 regio Montosio restat, quæ est Liguria, nunc ora Genuensis dicta 19 & 20 Pedemontium, cujus pars Monsferratu vulgò appellatur.

Jam ergò de singulis in specie agemus.

I. LATIVM sive Territorium Romanum occurrit. Ejus ager est fertilis, pascuis, sylvis & amœnissimis hortis abundans, in quibus Citreæ, Limoniæ, Punicæ & id genus arbores frequentes sunt, licet etiam quædam loca aspera & saxosa habeat, & propè Mare, insalubri & pestilente aëre, inficiatur, inprimis circa paludem Pontinam. Fuit hæc regio olim multis inclytis civitatibusq; illustribus referta, at nunc pristino splendore multùm remisit.

Primaria urbs in Latio est ROMA, Domina ac Regina Urbium, totiusq; propemodùm orbis oli

bis olim caput, quem fortissimorum virorum rebus, præstantissimè gestis suo imperio subegerat. Olim sedes fuit Imperatorum, nunc Pontificis maximi. Hodiernus murorum ambitus creditur esse 5 milliarium Germ. In ea centum millia hominum adhuc reperiuntur. Circa Augusti tempora numerus inhabitatorum Romanorum fuit bis millies millenorum millium. Teste Athenæo, Romæ aliquando cives vixerunt qui decem aut viginti millia servorum vel mancipiorum, in familia sua sustentârunt. Iuxta spatiosissima urbis internæ mœnia undiquaq; horti, vineæ, agri & rudera conspiciuntur. In meditullio tantùm domicilia civibus repleta supersunt. Montes *hodie in ea numerantur undecim, è quibus celeberrimus est Vaticanus, ob habitationem Papæ, & bibliothecam Vaticanam.* Templa *in urbe reperiuntur 300, inter quæ tamen Septem sunt primaria, veluti 1 D. Petri in Vaticano, quod totius urbis est augustissimum, sumtuosissimumq;. 2 Mariæ Majoris. 3. Johannis Laterani. 4. Divi Pauli. 5. Sebastiani. 6. S. Laurentij & 7. S. Crucis; in singulis monumenta, thesauri & reliquiæ SS. observanda sunt.*

E plurimis visu dignis præcipua hæc occurrunt. *Hortus Pontificis cum juncta structu-*

ra Belvedere; *Thermæ Diocletiani, Antonini & aliæ 8, Amphitheatra 3, Circi 3, Pontes 7, Aquæductus 6, Colossæum, Capitolium, in quo Columna Trajana & Antoniana, extant: Xenodochium S. Spiritus, Castrum S. Angeli, quod est Romanæ urbis propugnaculum fortissimum, ad Tiberim fl. & eius partem situm. Et licet urbs septies in peregrini hostis potestatem devenerit, hoc tamen castrum nunquam expugnatum est. Ibi nonnulla sunt Pantoplia, Papæ & urbis Gazophylacia.* *Inter* Pyramides & obeliscos *urbis Romæ notabiles, sunt in area D. Petri, Pyramis Cestij, Pyramis Mariæ majori vicina, P. S. Johanni Lateranensi vicina. P. in area portæ populi. P. in viridario Ducis Hetruriæ. Obeliscus Capitolinus. Ob. Barthol. Notabile etiam est Xenodochium, dictum* Campus Sanctus Peregrinorum, *Cæmiterium Germanorum, Ædes Pontij Pilati, Scala Sancta, Viridarium Papæ.* Æ Palatiis *eminent, Palatium Pauli V. Palatium Ducis Hetruriæ, Ferrariense, Ballay, Boccatij, Sedermorum, Achillis, Bochij, Cæsii, Carpense, Visei, Salviati, Dominorum de Valle, Ursinorum, Portiorum. S. Gregorij in Domaso, Lateranense, Columnensium, Fernesianum, Collotij D. de rustici, Conservatorum, Palatium Montalti*

alti, S. Marci, Bufalorum, & Cardinalis de capite ferreo. Cryptæ *ibi quatuor reperiuntur.* Xenodochia *Nationum præcipua sunt, Xenodochium pro Germanis peregrinis, Xenodochium pro Hispanis, Xenodochium pro Gallis, Xenodochium pro Anglis, Xenodochium pro Svecis, Xenodochium pro Ungaris, Xenodochium pro Flandris, Xenodochium pro Genuensibus.* Fora *urbis celebriora sunt Pistorum, Suarium, Boarium, Piscarium, Olitorium, & illud in Campo Agonio, in quo omnis generis prostant merces.* **Diebus** *Dominicis omnia fora agyrtarum clamoribus undiq; perstrepunt.* Arcus triumphales *6 adhuc supersunt: videlicet Titi Vespasiani, Duo Septimij, Constantini, Galieni & Hadriani. Habetur quoq; ibidem Statua Alexandri M. & Bucephali. Ante ædes Caraffæ est Statua* Pasquillus *dicta, cui famosæ chartæ affiguntur. Romana Academia viros produxit illustres, è quorum censu fuit* Cicero, Ælianus, Gellius, Valla, Muretus, Gregorius M. Manutius, Sabellicus.

Cœli Romani hodie est ea intemperies, ut Cives, Medicorum suorum jussu, circa diluculum & crepusculum, abstineant publico, nisi Sol splendeat. Hyems ibi interdum non est mitior, quàm Viennæ Austriæ, aut Argentinæ Alsatiæ, & ta-

men ibidem Æstatis fervores tàm sunt vehementes, ut penè omne familiaritatis ac quotidianæ consvetudinis commercium interturbent, ad tædiorum cumulum, de die accedentibus muscis, quæ infesto examine facies hominum petunt, de nocte verò cincindulis, quæ insectæ, vulgò Zanzaræ dictæ, vix cubili illato lumine, simul adsunt, ac submisso sibilo, improbo osculo, dormientibus insident, inflictoq; fronti vulnere, humano cruore saturæ sub lucem abeunt, latentq; rursùs sequenti nocte reversuræ. Distat Roma Hierosolymis 282 milliaribus Germanicis.

Pertinent autem, præter Romam Metropolim, ad Latium civitates hæ insigniores:

Ostia, ad fauces Tyberis fl. condita est, habens in propugnaculo turrim munitissimam: Portus ipsius stupendæ & incredibilis magnificentiæ fuit, at à Gregorio Pontifice dirutus est, ne esset Saracenorum receptaculum. Est tamen adhuc hodie urbis Romanæ navale.

Antium oppidum, vulgò Nettuno dictum, in amœnissimo loco situm est, ubi maxima copia coturnicum, ferarum, piscium reperitur; ideò olim recreationis gratiâ, à multis primariis viris fuit frequentatum. Hodie vix ampliùs de suis splendidis ædificiis rudera supersunt, ex quibus Ca

bus *Castellum Neptuni exstructum est.*

Astura *est memorabilis civitas, indigna* Ciceronis, *Antonium fugientis, cæde.*

Castellum S.Felicitatis *positum est in Promontorio Circeo.*

Terracina *vel* Anxur, *oppidum pronum est in paludes, & monti adhæret, agri est fœcundissimi & amœnissimi, vitium, aurantiorum, citreorum, limonum, aliarumq; id genus arborum, feracissimi. Circa eum adhuc hodie præclara cernuntur plurimorum monumentorum veterum, ut & viæ Appiæ, vestigia.*

Fundi *ad lacum Fundanum sita urbs, multis myrtetis obsita & generosissimi vini ferax. Hâc in urbe gladios, astrictoriis ligulis alligare cingulis oportet, secus gladium sibi aptans, mulctatur. Superioribus annis pirata famosissimus* Caradinus Barbarossa, *classium Turcarum Præfectus totam urbem diripuit, & incolas in captivitatem abduxit.*

Caieta, *portu & arce celebris est, Ejus crassissima turris* Mola *dicitur. Estq; clavis regni Neapolitani munitissima. Non procul inde* Formiæ *locus est peramœnus, hortis undiq; cultissimus, in quo veterum marinorum & ædificiorum amplissimorum vestigia cernuntur. Habuit hic*

Cicero *suum* Formianum, *in quo sæpè animum studiis fessum deambulando relaxare consvevit.*

Tibur *vulgo* Tivoli, *vetusta urbs, olim* Cataracta *dicta, ob vicinas loci angustias. Crebris iisq; medicis fontibus, quos* Albulas *vocant, irrigua, unde* Sibylla Albunea Tiburtina *nomen accepit. Arcem obtinet firmam. In hac urbe visitur augustissimum Magni Ducis Hetruriæ Palatium, cui adjacet sumtuosissimũ illud viridarium, Hippolyti Atestini, Ferrariensis Cardinalis. Sunt & Labyrinthi, statuæ ingeniosissimæ & aliæ multæ antiquitatibus ibi observandæ. In primis verò admiratione dignus est præceps, Anienis fluvij, ex altis rupib⁹ lapsus, unde vix unquàm illic nebulæ ventiq; desunt. Et quemadmodum ascendentes à cataractis in altum nubes, sudo serenoq; cælo; sic & in Solem objectæ iride frequentissimè, procul intuentibus, apparent. Circa urbem etiam præstantissimæ Latomiæ sunt. Ruinæ ibi apparent* villæ Tiburtinæ, *a Adriano Imp. immensis sumtibus extructæ.*

Præneste, *hodie* Pilastrina *dicta, in præcipitio montis condita, factiosorum Romanorum olim fuit tutum receptaculum.*

Tusculum, *Scriptoribus Latinis & Græcis notissimum oppidum, quod olim nascenti Rom.*

plur.

plurimùm obstitit, ibi Ciceronis Fundus Tusculanus & villa Horatij Flacci Poëtæ. Nunc humilis vicus est, à Romanis Friscata dictus, Monasterium Græcorum Monachorum. La grotta ferrata est idem ipse locus, in quo olim stetit Tusculanum Ciceronis.

Velitræ, oppidum in via Appia, ob natales Augusti celebre, elegans, amplum, monti superstructum & jucundissimi prospectus. Intra mœnia vineas, hortos & agros complectens. Non procul inde distat mons Circæus, ubi Circen, quæ socios Ulyssis mutavit in porcos, habitasse fabulantur Poëtæ.

Anagnia, Ferentinum, Segnia, Verulum, Alatrum, Babricum olim celebria oppida, hodie semiruta jacent, ac penè desolata.

II HETRURIA, nunc Tuscana vel Tuscia appellata, provincia Italiæ est admodùm nobilis ob thermas, ubertatem agrorum, Vallium, montium, hortorum, unde omnis generis frumenti & fructus, mala medica, Citria, vina optima & celebria proveniunt. Ab opulentia, armis, legibus & rebus præclarè gestis incolæ olim commendabantur.

E civitatibus Tusciæ maritimis primò Luna occurrit, cujus ingentes supersunt ruinæ, cum

aliquot piscatorum casis. Magnâ copiâ candidum marmor gignit. Fiebant olim hîc prægrandes casei, quorum unus nonnunquam mille libras pondere habebat. *Ex hujus urbis ruderibus,* Arx Sargiana, *condita est, quam tuentur Genuenses, contra Ducem magnum Hetruriæ.*

Pisæ, *inter Arnum & Anserem amnes positæ, à præliis claræ, notatu digna habent: 1 Templum* Cathedrale, *cum marmorea turri obliquè structa. 2 Ollam æneam. 3 Cœmiterium,* Campo sancto *dictum, in quo sepultus est* Decius, IC. *4 Academiam, 5 Hortum Medicorum. 6 Palatium equitum auratorum S. Stephani. Pisarum districtus 5 habet thermas, quarum præcipuæ* Balneæ de Aquis *dicuntur.*

Liburnus, *sive* Livorno, *emporium celebre ad quod plurimæ naves Anglicanæ appellũt, Scopulo impositam habet Pharum, excelsam turrim facem navigantibus nocte præferentem.*

Orbitellum *situm est supra lacum. Obtinet Præsidium Hispanicum.*

Portoferatum, & Plumbinum *arcibus condecorata sunt.*

Cornetum *antiquis superbit mœnibus multisq; turribus. Portu munito gaudet.*

E mediterraneis civitatibus eminent Petra Sancta

Sancta, *ubi multa antiquitatis vestigia conspiciuntur.*

Luca, *elegans, at parva est civitas, collibus undique cincta, probè munita, populosa. In templo primario crux ostenditur aurea, pretiosissima. Cives ingenio & prudentiâ præstantes, libertates suas, quas ab Imp. Rudolpho I. pecuniâ emerunt, strenuè defendunt, & Curiam per Senatores 12 & 300 milites interdiu noctuque custodiunt. Plerique in conficiendo serico occupati sunt. Oriundi ex hac urbe fuerunt* Xantes Pagninus, *Translator Bibliorum Hebræorum, &* Simon Simonides, *Medicus.*

Pistorium *arcem habet satis munitam.*

Pratum *inter castra quatuor totius Italiæ fortissima censetur.*

Florentia, *ad radices Apennini sita, quam Arnus fl. mediam dividit, totius Christiani orbis est pulcherrima & florentissima urbs, ut hodie in ipsa numerentur 90 millia civium, de qua Carolus Archidux Austriæ dicere solitus est, quòd civitas hæc nonnisi festis & nuptialibus diebus esse ostendere debeat. Ibi magis familiaris Epilepsia, quàm alibi in Italia. Magistratus ibi faciliùs otiosos, quàm pædicones occultos exstirpare valet. Pontes, Fora, & alia loca publica*

statuis marmoreis ingeniosissimis, exornantur. Vici lapidibus latis, arte excelsis sunt strati. Visu digna sunt hic Collegium Jesuiticum, Fanum Mariæ Floridæ cum Hemisphærio stupendi operis. Illius turris marmorea nitidissima est. Templum Joh. Baptistæ ob valvas commendabile est. Ad S. Mariam novam Cœmiterium est, in quo 24 horis absumuntur illata cadavera. Templum Annunciationis celebre est, ob Pontificum, Regum, Magnatum vota picta, scripta atq; appensa. Bibliotheca ad D. Laurentium libris manuscriptis abundat. Idem Templum monumentum Pauli Jovij, Historici, exhibet. Palatium Magni Ducis Hetruriæ, ut & Xistus cum Gazophilacio, item Stabulum, Ferarum custodia, Hortus amœnissimus, Arces 2 fortissimæ studiosè contemplandæ sunt. Viros, hæc urbs, produxit præclarissimos, nempe 3 Pontifices, Clementem VII, Leonem X & XI, Americum Vespucium, Accursium, *Glossatorem Juris,* Dantem, Aligerium, Picum Mirandulam, Johannem Bocatium, Marsilium Ficinum, Palmenum, Landinum, *totam* Strozarum *familiam. Aluit & in Monasterio S. Marci* Hier: Savanorolam, *qui postmodùm, cùm Papæ doctrinæ contradiceret, crematus est. Gigni*

solum

solum circa hanc urbem vinum, quod præstantiâ suâ Malvaticum adæquat.

Fesulæ, *civitas, antiquitùs admodùm celebrata, desolata jam jacet, ædificijs paucis superstitibus. Intra juga Apennini & colles Fesularum vallis amœnissima est, tota villis vicisq; referta,* Mugello *dicta, quam Sera fl. mediam permeat.*

Scarpana, *oppidum, fabris ferrarijs plenum est.*

Incisa, *castellum nomen habet è Saxo, quod ibi incisum est, propter cursum fluvij Arni. Patria est* Francisci Petrarchæ, *consita est nobilibus hortis.*

Volaterræ, *Patria* Raphaëlis Volaterrani, *difficili asperoq; montis jugo imposita est, dives frugum & Salinarum. Habet & fodinas æris, alabastri & lapidis Lazuli, multaq; exhibet antiqua monumenta, insculpta literis Hetruscis antiquis. Episcopatu nobilis est.*

Massa, *urbs est pervetusta & Episcopalis.*

Sena, *Archiepiscopalis civitas, in colle jacens, præcelsis cincta crepidinibus tophinis, & frequentiâ nobilium ædificiorum nitet, è quibus Ædes maxima, D. Virgini sacra, sumtuosis & splendidis, quæ in tota Europa sunt, fanis annumeran-*

meranda. Forum eius stratum est coctilibus lateribus elegantissimè dispositis. Palatium magnificum inhabitatur à Prætore & optimatibus, Xenodochium, pro peregrinis ibi quoq; visitur. Nullibi puriùs colitur lingva Italica, quàm in hac urbe, & territorio Senensi, in tantùm, ut vel rustici etiam eleganter loquantur, quâ de causâ etiam nationes exteræ, in illius Academiam passim confluunt, moti quoq; victûs ratione optimâ, & salubri aëris temperie, quâ gaudet. Obtinet Castellum munitissimum. Oriundus hinc fuit Æneas Sylvius Papa, scriptis cl. In circuitu, Germ. milliare comprehendit. Territorium Senense affluit thermis, quarum famosiores de Petriolo appellantur.

Aqua pendens, oppidum est oblongum, in monte positum.

Orivetum situm est in præcipiti monte, rivulis circumdato, qui id loco mœniorem muniunt. Templum ejus sumtuosum obtinet fenestras Alabastreticas pellucidas. Visitur ibi domus magnifica Papæ Urbani V. Autumnali tempore, aër ex cannabe in Palia aqua macerata, corruptus colonis permolestus est

Aretium à præstantia vini commēdatur.

Perusia, sita est ad lacum ejusdem nominis

pisco-

iscosissimum. Claret ædificiis splendidis, Castello *rmo, templo summo, Academiâ, in qua Juris-* *rudentia viget. Sepulturâ* Bartoli *&* Baldi IC. *ger ipsius frugibus & fructibus nobilissimis, fæ-* *undus est; gaudet insuper thermis* de Monte lto *dictis.*

Volsena *vino generoso claret, notaque, quòd* *rimùm molæ versatiles in ea inventæ sint. Olim* *obilior fuit, ut monumenta ostentant, hodie vil-* *formam obtinet.*

Castrum, *patria* Pauli I.C. *qui inde* Cas- ensis *dicitur, adeò omni ex aditu rupibus ca-* *ernisque septum est, ut accedentes in specum ob-* *urum, ferisque habitatum, potiùs duci videan-* *r, quàm in oppidum hominum cœtu frequenta-* *m.*

Viterbium, *patria* Annij Viterbij, *Scrip-* *ris non ignobilis, jacet in specioso & fertili loco,* *ntibus thermisque medicatis ornato, inter quas e-* *m sunt* Aquæ Cajæ, *& thermæ* de Grota. halifcus *sive* mons Diesconis *est oppidum,* *præcelso colle clarum ab obsidione,* L Furij Ca- illi, *& proditione Ludimagistri, conantis dis-* *ulos suos hosti tradere.*

Citta Castellana *præcelsis in rupibus condi-* *est.*

Cosmo-

Cosmopolis *ferri fodinis claret.*

Ceria, *nomen dedit* ceremonijs, *quibus tanquam rebus sacris incolæ plurimùm dediti fuerunt.*

Clusi *claruit Labyrintho formosissimo, cujus rudera supersunt.*

Populonia, *desoluta civitas, portum habet celebrem.*

III *Italiæ regio* MARCA ANCONITANA *olim* Picenum *dicta, rerum omnium fertilis est, cujus civitates sunt:*

Pisaurum, *quæ urbs est maritima, ampla, splendida, benè munita cum valida arce, emporium Italiæ celebre, ad cujus nundinas frequens mercatorum fit concursus. Ejus portus arenosus est, ideò merces potiùs ab agasonibus & mulionibus, quàm nautis invehuntur. Cæli gravitate præcipuè mensibus æstivis adeò laborat, ut tùm multi pueri intereant; & aliàs perpauci incolæ 50 ætatis annum attingant. Hujus brevitatis vitæ etiam causa est, immodicus usus ficuum & aliorum fructuum suavissimorum, quibus ager illius refertus est.*

Senogallia, *civitas est Episcopalis, parva quidem, muro tamen lateritio valdè crasso, vallo item propugnaculis valida, Misa fl. alluitur*

quæ dulcis penuriá laborat.

Ancona, *emporium celeberrimum, Arcum triumphalem obtinet magnificum, ut & Domum publicam mercatorum, Palatium Præfecti urbis, Arcem munitissimam, Speculam in monte, ad mare Adriaticum, positam. Vetustatem undiq; redolet Portus illius capacissimus, tutissimusq; inter nobilissimos orbis terrarum universi, annumeratur. Judæorum hæc est receptaculum. Ager illius omnis generis fœtuum arboreum, vini & frumenti est feracissimus.*

Lauretum, *ob Fanum Mariæ, in colle situm, toti Christiano orbi notissimum & munitissimum. Vicus ejus à Cauponibus Stabulariisq; in usum peregrinorum, religionis causa illuc confluentium, plurimùm inhabitatur.*

Firmium, *nunc penitùs desolata jacet, per priscorum civium factiones.*

Asculum *propugnaculo valido nobilitatur.*

Offida, *naturá loci validum est oppidum, montes habens altissimos, in quorum uno Castellum est, quod Divæ Mariæ Gallicanæ dicitur, ad Tronum fl.*

Camerinum, *civitas fortis est, sita in jugo quodam montis Apennini.*

Macerata, *Episcopatu, Academiá & Cancellariá totius Marchiæ gaudet.* Rigi-

Riginata, *oppidum celebre, ob negotiationes & nundinas, quas mercatores non tantùm Europæi, sed & Asiatici frequentare solent.*

Esis, *Episcopali dignitate nobilis est.*

Fabrianum, *quatuor nobilissimis Italiæ Castellis, ob ædificiorum splendorem, annumeratur, quæ sunt* Crema *Longobardiæ,* Pratum *Tusciæ,* Barulum *Apuliæ,* & Fabrianum *Marchiæ. Hoc oppidum opifices, quibus abundat, adeò distinctim distributos habet, ut uno in loco fabri, altero sutores, tertio sartores &c. habitent. Celebratur etiam ob Chartarum præstantes artifices.*

Saxoferratum, *ab ortu* Bartoli, *IC. &* Nicolai Perotti, *nec non fodinis ferrariis claret.*

Fossumbrunum, *antiquis* Forum Sempronii *dictum, multa antiquitatis vestigia ostentat.*

Candianum, *arce pollet.*

Castellum S. Angeli, *in vado, negotiorum commerciis frequens est.*

Urbinum, *urbs elegantissima, in agro fæcundo posita, altoq́; monti superstructa. Eius castrum elegantiâ, artificio, & conclavium multitudine, quorum 365 obtinet majora, reliquas Italiæ arces superat. Visitur hic etiam Bibliotheca præstantissima.*

IV. Um

IV. UMBRIA, *hodie* Ducatus Spoletanus *nuncupatur, interq́; juga montis Apennini, & ad Tiberim situm obtinet.*

Ejus Civitates sunt Borgo di Sepulchro, *quæ lauta & permunita est.*

Eugubium, *antiquitatum vestigiis nobile est.*

Nuceria, *à vasis ligneis olim commendabatur.*

Asisium, *Episcopatûs dignitate, templo & Bibliothecâ claret.*

Fulignum, *in orbe condita, & muris pulcherrimis cincta est; in cujus foro tria sunt Palatia, à Directoribus urbis inhabitata.*

Mons Falconis, *novum oppidum, sed incolis frequens, à B. Claræ ortu celebratur.*

Tuder, *vulgò* Todi, *urbs venusta in amœno & frugifero colle sita est.*

Alvianum, *insignis & munita arx est.*

Amelia *fœcundum agrum obtinet.*

Spoletum *à qua totus Ducatus nomen habet, ædificiis & opibus satis clara, arceq́; munitissimâ, & agro frumento, vino, oleo, aliisq́; fructibus abundante. Pontifex ibi constituit Gubernatorem, cujus summa in dicendo jure potestas est, Episcopatûs gaudet dignitate.*

Nursia *sita ad lacum. Hîc multæ sunt fabulæ de Sibylla, in antro recondita. Virgilius eam frigidam civitatem vocat, propter montium circumjectorum (qui nivibus perpetuò occupantur frigusq; ingens propinquis locis conciliant) altitudinem.*

Interamna, Terni *vulgò dicta, altissima fossa munita, incolis est frequens, & necessariis ad vitam abundat.*

Huc pertinet Riete, *Metropolis Sabinorum priscorum; cuius ager tremit & fluctuat, tantæq; fœcunditatis est, ut pertica in eo relicta, postridiè non appareat, propter herbam, quâ convestita est, unde &* Campum flore, *vel* Italiæ sumen *vocant.*

Maglianum, *in alto asperoq; monte posita, & princeps hoc ævo Sabinorum Civitas, estq; frequens & lauta.*

Otricolo, *ostentat reliquias, pontis mirabilis, supra Tiberim.*

In Sabinia & ferè in medio Italiæ est, Velinus lacus, *collibus editioribus undiq; cinctus, in præcelso monte positus, aquas habens admodum claras, quæ per excavatam, in saxo, viam, mire præcipitatur, adeò ut fragor & sonitus ad aliquod milliare exaudiatur. Ex fumo etiam aquarum*

sive u

Sive undarum concussione nubes perpetuò consurgunt, irides repræsentantes.

V. CAMPANIA Felix, *hodie* Terra Laboratoris *dicta, verè campus est, in quem natura luxurians, omnem delitiarum, amœnitatum & oblectationum abundantiam effudisse videtur, adeò ut* Paradisus, *quasi sit* Italiæ. *Ibi nihil mollius cœlo, nihil uberius solo, nil hospitalius mari, bis floribus vernat, Liberi Cererisque ibi perpetuum est certamen.*

Ejus præclariores urbes sunt Carinula, *cujus vinum laudat Plinius.*

Caselinum *est ad confluxum Caselini fluvii & Vulturni.*

Capua vetus, *olim fuit omnium Italiæ urbium, secundùm Romam, princeps, domicilium superbiæ, sedes luxuriæ, ob bonitatem agrorum, & fructuum copiam, fuitque aliquandiu æmula imperii Romani, sed pòst multas perpessas adversitates, à Longobardis tandem excisa est. Ex antiquis verò ruinis nova deinceps cœpit excitari, feliciterque crescere ad Vulturni ripam altero latere, ab antiquæ ruinis, quæ ingentes adhuc cernuntur. Est quidem satis commodè habitabilis, sed infrequentiùs colitur ob admodum Neapolim.*

Linternum *oppidum vetus, ubi* Scipio Africanus *occubuit & sepultus est.*

Cumæ, *olim civitas celebris, hodie eius rudera sumtuosissima tantùm supersunt, è potioribus autem Neapolis condita est. In monte, ascensu difficili, ad mare, posita est, & unicè, præ alijs omnibus populis, à S. P. Q. R. impetravit publicum Latinæ lingvæ usum. Ibi* Antrum Sibyllæ Cumanæ, *& alia crypta stupenda visitur, quæ se ad Bajas & Puteolos usq; extendit.*

Bajæ *à thermis amœnissimis claruerunt.*

Puteoli, *hodie* Pozzuolo, *priscitùs etiam* Dicæ-archia *&* altera Roma *dicta fuit olim urbs, in præcipiti rupe, ad mare, firmissima & potentissima, at hodie est humilis, & exigua terræmotibus pessundata. Visuntur ad eam terræ meatus, & lacus mirabiles, canes necantes & vitæ restituentes. Ostenduntur ibi,* Campi Flegræ, *montes Sulphurei, Piscina mira, thermæ, ossa gigantum, templum Herculis, Promontorium Misenum, & alia quàm plurima stupenda, de quibus curiosus peregrinator ipsemet inquirat.*

Neapolis, *Campaniæ & Regni Metropolis, magnifica, amplissima & populosissima est, littori maris opposita, in dorso montis Pausilyppi, se-*

fæcu-

fœcundo, amœno: aëre placido fruitur, unde & domicilium præbuit Virgilio, Livio, Senecæ, Gellio, Claudiano, Petrarchæ, Vallæ, *& alijs præclaris viris. Solentq; hoc tempore ibi Principes, Marchiones, Comites, Barones, alij viri illustres, nobilesq;, majorem anni partem exigere: hinc rectè vulgò* Neapolis totius Italiæ nobilissima *nuncupatur. Portum habet navibus semper instructissimum & munitissimum. Patria est* Alexandri ab Alexandro, Baptistæ Portæ, Jovii, Pontani, Papinii, Statii, *& aliquot Paparum. Anno 1585 in hac urbe quinquagies centenæ millenæ animæ, intra mœnia fuerunt numeratæ. Centum circiter ibi sunt inhabitatores, qui vel Ducatûs, aut Marchionatûs, aut Comitatûs, aut Baronatûs dignitate sunt conspicui, & ferè 600 cives adeò opulenti, ut vel pagos vel arces, Dominatus, imò vel urbes etiam obtineant. Monasteria habet 64, Templa 244, inter quæ Delubrum fratrum montis Oliveti unum est, in quo varia antiqua monumenta visuntur, ut & Sepulchrum* Alexandri ab Alex: *Maximè etiam celebratur templum D. Claræ, ob illustria Mausolæa, & templum Episcopium, reliquijs SS. abundans. Arces 4 munitissimas, totidem & Curias,* quas se-

des *vel* Burſas *appellant, obtinet. Academia gaudet. E palatijs plurimis commendantur Palatium Pro-Regis Hiſpan. Palatium in monte Pizzo Falcon, Palatium ad portam Capuanam Principis de Biſignano, Principis de Sculea, Principum Caraffiorum, Principum de Layena & Urſinorum, Armamentarium Nauticum, Orphanotrophium, Hoſpitium pauperum templo junctum Sacellum humile in* Foro il mercato *dicto. Cætera ædificia ad ſtuporem prǽalta ſunt. Bibliotheca, Viridarium, Sphæriſterium Proregis, Lapis ceſsionis bonorum maxima copia mancipiorum venalium, ut & vici plerique anguſti ibi obſervandi ſunt. In pratis agris & ſylvis Neapolitanis paſsim vagantur bubali.*

Acerra, *oppidum à Virgilio ſæpè decantatum ob aſsiduas inundationes nunc penè collapſum eſt.*

Nola *antiquitùs clara civitas,*

Turris Græca, *caſtellum eſt elegans.*

Surrentum *vitibus & citris abundat, ſed de priſtino ſuo ſplendore rudera tantùm obtinet.*

Rivellum *ædificiis & Epiſcopali ſede inſigne eſt oppidum.*

Amalphis, *ad littus urbs eſt laudatiſsima in qua civem egit ante 340 annos* Johañes Goia, *Pixidis ſeu magnetis nautici inventor.*

Salernum,

Salernum, *urbs antiqua, Archiepiscopatûs titulum sustinet. In hujus Academia, libellus de* conservanda Valetudine, *vulgò* Schola *vel* Medicina Salarnitana *dicta, conscriptus est. Intra mœnia continet hortos fructuosissimos amœnissimosq́.*

Pitacusa, *locus est fortissimus, ut meritò altera clavis regni habeatur.*

Tripergula *à terræ motu Anni 1538 celebrior quidem sed & deterior reddita est.*

Pausalippus *est valdè amœnum promontorium.*

Luculli *antrum ostentat Sepulchrum* Virgilij.

Carinda *commendabilis est à vino generoso.*

Somma *celebris à vino Græco & monte* Vesuvio *sive* Summano*, sæpè ignem sulphureum vomenti, in quo* Plinius *periijt.*

Cava, *Episcopalis est civitas, in convalle sita.*

VI. *Italiæ regio,* LUCANIA *est, hodie* Basilicata *appellata, Montosa & aspera regio est, incolis non adeò frequens, ob vias difficiles & torrdos nemorum saltus, latrociniis infestos. Civitates ejus insigniores sunt :*

Pœstum, *quæ etiam* Posidonia *vocatur, ubi bis in anno rosæ florent.*

Pisciotta

Pisciotta *Castellum est.*

Policastrum, *urbs nobilis à Ducatûs & Episcopatûs titulo.*

Sapenaria *inter juga montium jacet.*

Dianum *oppidum fructiferum dives & nobile est.*

Tricarium, *ampla urbs, Episcopale templum, & multa splendida Palatia obtinet una cum Castello.*

In hoc Comitatu Lucaniæ *celebriores thermæ sunt* de Corseno *nuncupatæ.*

VII Calabria inferior, *seu* Brutia *nobilissima est regio & felicitate stupenda frumenti, vini, olei, Sacchari, Mannæ, mellis, ceræ, salis, ficuum, pomorum medicorum, citriorum aurantium, Punicorum, Limonum, auri, argenti, gossypij, serici, lini, croci, piscium, thermarum, scaturiginum, pascuorum, collium pinguium, nemorum amœnissimorum, incolarum mirùm quantùm abundans.*

Metropolis ejus Consentia, *in declivo Apennini sita erat ad ripam fl. Crati & Basenti. Claruit Archiepiscopatu, arce editissimâ, monumento & thesauro Alarici, Regis Gothici; affluxit insuper fructibus nobilissimis, sed proximè elapso Anno Ch. 1638, die 27 Martij terræ motu absorpt*

absorpta est, & cum ea Nicastro, Monterrano, Nocera, Castigione, Paola, Balliagio, *civitates omnes præstantissimæ.*

Fredus & Pelmontium, *oppida sita in agro pomifero.*

Pizzo, *aërem habet valdè amœnum & apricum.*

Mantia, *civitas firma & arce ornata est.*

Tropea, *urbs pulchra, opulenta & Episcopalis, navigantibus autem periculosissima.*

Nicotera, *Episcopatûs dignitate claret.*

Huc spectat Scylleum Promontorium, *quod est scopulus excelsus, exiguo terræ brachio continenti adhærens.*

Rhegium, *urbs Scriptis clara, per terræ motum, à Sicilia est divulsa, Archiepiscopatûs dignitate gaudet.*

Seminara, *oppidum est habitatoribus frequens, agri cultissimi, ad præcelsum montem.*

Terranova *oppidum est populosum.*

Taberna, *in pulchra convalle, vetus, frequens & Episcopale est oppidum.*

Cantazarum *civitas ampla & elegans.*

Mons altus, *copiâ salis & Ducatûs titulo gaudet, sed agrestes habet inhabitatores.*

S. Marcus S. Agatha *oppida Episcopaliæ.*

Regina,

Regina, *olei copiâ affluit.*

Muranum, *inter montes situm, agrum habet peramœnum.*

Vallis S. Martini *etiam inter montes jacet.*

VIII CALABRIA superior, *olim* Magna Græcia *dicta, non minus amœna & fœcunda est atq; Calabria inferior. Sunt in hac parte duo insigniora* Promontoria *quorum unum est* Lacinium, *alterum dicitur* caput Sylacæum, *scopulis & reciprocatione marinorum æstuum, periculosum. urbes & oppida hujus regionis præcipua sunt:*

Gieraci, *antiquitùs* Locri *dicta, singulis diebus iridem ostentat, unquam, ob aëris temperiem, summa pestis ibi fuit. Hic regnavit* Seleucus, *Legislator ille rigidissimus.*

Rochella *in alto monte sita est, in vicinijs auri, argenti & ferri fodinas habens.*

Lacinium, *urbs ampla, habens titulum Marchionatûs & arcem munitam, in hac olim* Pythagoras *docuit.*

Crotone *alto montis vertici imposita est, olim florentissima urbs, aëre, cœl clementi atq; sereno perpetuo gaudet, ut vulgò dicatur, Crotonis aëre salubrior. Inde oriũdus fuit Milo Athleta*

Sybaris, *olim adeò potens fuit, ut 4 finitimis gen-*

mis gentibus imperârit, civitatesq; 25 suæ ditionis fecerit, ut pòst bellum Crotoniatum eversa, & Thurium, nova urbs, in ejus locum condita est ad mare, quæ nunc Copiarum nomen habet, cujus tamen exigua vestigia restant. Herodotus in hac suas Historias conscripsit.

Septiquetra, arce munitâ & Episcopali titulo ornata est.

Tarsia, antiquum & opulentum est oppidum.

S. Mauri magnifico Bisinani Principis splendet Palatio.

Corlianum oppidum agrum amœnum & auri-fodinas possidet.

Rosanum Civitas firma & Archiepiscopalis est.

Cerchiana dives, inter altissima montium juga, Civitas est.

Cassanum civitas est Ducalis & Episcopalis.

Rocca Imperialis, obtinet validam arcem.

Crotolum, Ducis Tarentini Castellum est.

Gravina, Ducatûs & Episcopatûs titulo claret:

Matera, urbs frequens & opulenta, in valle pulchra sita, Archiepiscopatûs titulo superbit.

Tarentum, urbs antiquitùs celeberrima, ob res præclarè gestas, ob portum tutissimum, (qui nunc ferè obduratus est) ob oves præstantissimas, ob ma-

ob magna ædificia, & monumenta; *ob* Archi-tam, *qui columbam ligneam volatilem fecit.* Nicomachum *&* Heraclidem *Mathemati-cos. Nunc verò Civitas est exigua, habet tamen arcem aquis marinis cinctam.*

IX *Italiæ regio est* SAMNITUM *vel* SAMNITIA, *hodie* Aprutium *dicta. Commendatur à salubritate cœli summâ & magnâ incolarũ frequentiâ, ob commoditatem maritimam, amœnitatem, rerum omnium, inprimis croci & animalium abundantiam. Aspera tamen est montibus, in mediterraneis locis & frigidior alijs Italiæ partibus. Memorabiliores montes duos obtinet; unus isq; sublimior & asperior dicitur* Magella, *alter* mons Virginis. *Habet sequentia ferè oppida primaria,* Gvastum, Amonium, Campum, Martinum, Triventum, *quod Comitatûs & Episcopatûs titulo floret.*

Capra cocta, *castellum est in monte arduo.*

Lancianum, *Civitas Archiepiscopalis mercimoniis dives à Syculis, Illyricis, Græcis, & Asiaticis negotiatoribus frequentatur.*

Ortona, *civitas est antiqua, ad quam multæ naves appellunt.*

Sulmo, *patria* Ovidii, *fuit olim populosa & elegans urbs, in qua præstantes gladij & cultri conficiebantur.*

Pentinia

Pentinia, *quæ & Campus de Peleno nuncupatur, olim celebris urbs fuit, hodiè ferè sepulta jacet.*

Luparella, *munitum naturâ oppidum est.*

Anternum *maximarum ædium ruinis nunc est horridus locus, patria fuit* Sallustii Crispi.

Aquila *Episcopalis Civitas, ampla, posita in colle, emporium insigne variarium mercium, sed potissimùm croci.*

Casa nova, *ad Nuriam fl. monasterium est magnificum & opulentum.*

Portus S. Angeli, *oppidum est Episcopale.*

Lauretum, *in colle, Ducatûs titulo, insigne est oppidum.*

Adria *vulgò* Atri, *urbs Episcopalis in alto jugo montis posita est.*

Montorum, *Comitatûs titulo insigne est oppidum, ad Saletium fl.*

Civitella, *munitissimum oppidum, super clivo prealto.*

Ascolum, *vetus & celebris urbs, hodie Episcopalis, benè munita in plano campo, obtinens arcem.*

Beneventum, *antiquis dictum fuit* Maleventum. *Nobilitavit eam ortu suo* Orbilius Grammaticus, *ætate Ciceronis Ludimagister plagosus.*

Vultura

Vulturata, *urbs Episcopalis, sita in altissimis montibus tremulis.*

Arranum, *Comitatûs titulo gaudens, similiter in colle aspero situm est.*

Tripalta, *ferrariis fodinis nota & Marchionatûs dignitate clara, cujus vicina* Sylva Tripaltina *dicta, à latronibus est infamis.*

Altavilla, *Principatûs titulo celebris est.*

Telesia, *Episcopatûs titulo conspicua est, ut* & Abellinum.

Fornellum, *frequens & opulentum est oppidum.*

Casinum, *olim à responsis Apollinis celebre, hodie obtinet* monasterium Benedicti, *quod* Casinense *vocant.*

Aquinum *antiqua fuit urbs, patria* Thomæ, *ordinis Prædicatorum, Theologi & Philosophi, qui* Aquinas *inde cognominatur; at nunc collapsa ferè jacet, cum titulo Comitatûs.*

Arpinum, *in asperrimo colle jacet, vetusta & celebris urbs, hodie contemtum oppidum.*

In Villa Divi Dominici, *Cicero in lucem editus esse creditur.*

X APULIA DAUNIA, *sive* Puglia Piana, *producit uberrimos fructus, inprimis circa montem* Garganum, *qui hodie* S. Angeli *dicitur. Ha-*

tur. *Habet & lacus piscosos, quorum nobilior est* Varanus.

Ejus insigniora oppida sunt, Salpe *ad lacum* Andurianum. *Hîc* Hannibal, *strenuus miles, captus mulieris cujusdam amore, effœminatus evasit. Estq; oppidum Episcopatûs titulo nobile.*

Manfredona, *in rupe Sinûs Marini, magnificè ædificata, & populo frequens, arcem & portum tutum habet.*

Capreola, *Episcopalem obtinet, sedem in alti montis vertice decantatum oppidum, quod pecudum gregibus hybernandi causa, in Apuliam ducendis, appenso portorio sit transitus.*

Luceria, *oppidum Episcopale, Lanâ optimâ nobile, hodie* Nocera *dicitur & duplici mercatu celebre est.*

Troja *civitas est opulentissima, Comitatûs & Episcopatûs titulo claret.*

Asculum Satrianum *titulo Ducatûs & Episcopatûs insigne est oppidum.*

S. Severi, *oppidum divitijs & populo abundat. Residet in eo Gubernator hujus regionis.*

Præcina *Palatium habet magnificum.*

S. Angeli *Oppidum frequens, & naturâ loci permunitum est.*

XI Apulia Peucetia, *seu* Terra

Bariana

Bariana *habet* Thranum, *Episcopalem civitatem olim florentem, sed nunc per portum aren. oppletum, abjecta jacet.*

Juvenazo, *in fertili solo, Episcopale quoq oppidum est.*

Barium, *pulchritudine populiq, frequenti alijs in Apulia antecellens, gaudet Archiepisc. pali dignitate.*

Mola *frequens est incolis, sed agrestibus.*

Polignano, *civitas Episcopalis, in saxosa ri pe sita, lauta & populo frequens.*

Monopolis, *Episcopalis, & Marchionat. titulo celebris, parva quidem, sed elegans.*

Cilium *crocum copiosè fert.*

Bitontum, *civitas nobilis, frequens, Episc. patûs & Marchionatûs dignitate claret.*

Terlitium *pulchrum est oppidum.*

Andrium *similiter Episcopatûs & Marchi onatûs titulo gaudet, ubi vasa fictilia fiunt e. gantissima.*

Venusia, *patria statuitur* Horatij Flac. *Poëtæ.*

Acherentia, *sita inter asperrimos Apenn. montes, sede Archiepiscopali nobilitata est. N procul inde visuntur* Cannarum *vestigia e. gua, quæ ob cladem Romanorum, per Hanniba. passam, nota sunt.*

XII

XII *& ultima* Italiæ veteris *seu* propriæ, *Regio est* SALENTINORUM *seu* Terra Hydruntina, *gaudet cœlo sudo; & licet fluminibus & lacubus ferè destituatur, frumenti tamen, fructuum, pecorum & pascuorum ferax est. A locustis, præ aliis Italiæ regionibus, mirè infestatur, quæ magnum segetibus afferunt detrimentum, quando & unâ sæpè nocte, fruges campi omnes planè depascunt. At illi malo aves ibidem* Gaviæ *ab incolis dictæ, occurrunt, quæ locustas devorant & abigunt. Incolæ moribus sunt simpliciores, plusq; candoris referunt, quàm alij Italiæ populi.*

Ejus civitates primariæ sunt Brundusium, *antiquissima & famosissima urbs, frequentata olim ab Asiaticis & Græciæ populis, quando & Portum habuit, cum optimis, universi orbis certantem, ex quo Romanis tutissimus fuit in Græciam transitus; at nunc deserta propemodùm & collapsa jacet, dissensionibus civilibus & portu arenâ multùm oppleto. Hodie duas obtinet arces satis firmas, & Archiepiscopatu gaudet.*

Hydruntum, *vulgò* Otranto, *arcem in saxo habet munitam atq; etiam portum satis capacem, sed aquilone flante, non adeò tutum. Sunt in ea horti pomarij cultissimi. Olim à Turcis fuit direpta, sed postmodùm recuperata.*

Caput Leucæ, *dictum ab albedine & nuditate scopulorum, à quo in Græciam brevissimus est accessus: atq; hoc intervallum, pontibus factis* Pyrrhus *Epiri Rex*, *& pòst* Marcus Tarentinus Varro, *pro pedestri itinere conficiendo, Italiæ conjungere studuerunt, sed uterq; impedimentis incidentibus retractus est.*

Castrum, *oppidum cladem memorabilē An.* 1537 *à Turcicæ classis Præfecto, accepit. Episcopatûs dignitate gaudet, & mercatoribus est frequens.*

Gallipolis, *urbs pulchra & benè munita est insulæ modicæ & scopulo insidet, habens Castellum firmum. Frequentatur à mercatoribus, præcipuè Genuensibus, quando & agrum oleo, vino croco & cæteris fructibus habet fertilissimum, & mare piscibus abundans.*

Rudia, *genuit* Ennium *Poëtam.*

Nardum, *urbs antiquissima, populo frequens & lauta in amœnissima jacens planitie: Patria* Francisci Nardi *Philosophi & Theologi Scriptis clari.*

Galatina, *olim* Galata *dicta*, Antonij Galatei, *Medici, Philosophi, Oratoris, Poëtæ, Cosmographi natalis. Hanc* Galateus *his septem scribit crocei coloris abundare: croco, melle, caseo, vino, oleo, caricis & uvis passis.* No-

Noja, *castrum est munitissimo in loco situm.*

Soletum, *in aspero & aquarum indigo montis jugo, situm est*

Uxeatum, *Episcopalis sed exigua civitas, olim amplior fuit, ut rudera testantur.*

Minervium, *Episcopatu nobile est oppidum.*

Absolutis XII regionibus Italiæ, *priscæ & propriæ*; Novæ Italiæ *regiones 8 perlustrandæ sunt, è quibus* FLAMINIA, *hodie* Romandiola, *dicta, XIII Italiæ regio, inter planas partes, primùm occurrit, habetq; cùm ad necessitatem, tùm ad delitias hominum omnis generis fruges & fructus, sylvas, pascua, aquas navigabiles & piscosas, salinas, metalli fodinas, aliasq; innumeras naturæ dotes. Civitates ejus insigniores sunt:*

Ferraria, *urbs vetus ad ripam Padi, in palustri loco, unde & aëre utitur crassiori, amœna satis ædificiis, cùm publicis tùm privatis, pulchrè ornata, plateas habens longas, rectas & amplas, populo frequens & rebus necessariis abundans, ferri fodinis gaudens, terræ motibus autem crebris exposita. Visu hic digna sunt Academia, Collegia, Therotrophium, Armamentarium, Vallum fossum, templum Cathedrale, Palatium Ducum Ferrariensium, Palatium Cæsariense, Bibliotheca, Horti Principum, Columna in foro novo.*

Floruerunt hic quondam multi præclari viri, quorum nomina peregrinans ipsemet percontetur.

Bononia, *vulgò* Bologna *est antiqua & celeberrima civitas, Rheno amni apposita, mediam urbem interlabente, à Posa torrente. Inter urbes summo Pontifici subjectas post Romam, prima mœnibus ac ædificiis longissimis, porticibus instructis, splendida, Episcopalis, ampla 7 milliaribus Italicis, populosa, ut ad 80 mille hominum continere dicatur; Academiam habet illustrem & antiquissimam totius Italiæ: hinc* Bononi studiorum mater & parens *appellari meruit. Præcipua ejus ædificia sunt; Collegium* Sapientia *dictum, & Collegium Campegij, Palatium Cardinalis, seu vice-Papæ, Palatium Camill. Templum S. Dominici, in qua tumba est Henric Imperatoris Friderici II filij, quondam ibi p 22 annos captivi; pro cujus redemtione Pare auream catenam mœnia urbis ambientem dare voluit Bononiensibus.*

Monasterium Dominicanorum, Monast. S. vatoris, Monast. S. Michaelis, Fanum D. Pet Ædes Francisci, Prætorium, primariis ædific in Europa annumerandum. Idem de duabus t ribus, Asivellorum *&* Garisenda *dictis, ju eandum. Bibliothecas duas publicas habet.* F

rolog

rologiis artificiosis gaudet. Cives plurimi in sericis tecturis conficiendis occupati sunt, cùm illius ager abundet moris arboribus, quarum fronde bombyces enutriũtur. Vino generosissimo, eoq; vario, fructibus nobilissimis, plantis medicis, lino, cannabe, frugibus, feris, sylvis, thermisq; affluit.

Professores hic Academici fuerunt, Aldrovandus, Medicus, & Maginus, Mathematicus, Viri Scriptis clarissimi. In Comitatu Bononiensi visendæ Thermæ della Porretta ut & Sancta Maria in Bagno nuncupatæ.

Brutium oppidum opulentum, quod muris cinxêre Bononienses.

Bentivolum sumtuosa villa est cum turri.

Immola, urbs antiqua, valida, opulenta, Episcopalis, in agro fæcundo sita. Produxit aliquot viros doctos.

Cunium, Castellum nobile & famosum fuit, cujus rudera hodiè vix supersunt.

Faventia, claret ab Episcopatu, Templo Cathedrali, Prætorio, Ponte lapideo, Arce, Figulinis præstantissimis, & agro frumenti, viniq; fertili.

Bavania Cavallum, oppidum perelegans & opulentum est.

Ravenna, *ad Ostium Bidensis amnis, in pa*lustri loco posita est, hodiè tamen paludes pluri*mùm sunt exsiccatæ, frumentiq; feraces. Anti*quissima & nobilissima est totius Romandiol *urbs, in qua Imperatores complures sedes suas ha*buerunt, ut & Reges Gallorum, nec non Exarch* *Structuræ in ea visu dignæ sunt: Templum I *Mariæ rotundæ, Templum Cathedrale & Arch*episcopale, Porta marmorea Claudij Imper. Tem*plum D. Apollinaris, Tumba marmorea Poët* Dantis Aligerij, *Divi* Vitalis *ædes*, Hercul Horatij *statua, Fons vitalis, Rudera vasti cuju*dam Palatij Theodorici, Ostrogothorum Reg *Cepis abundat magnitudine notabili; Pascua h*bet optima, exinde butyri, caseorum, lactis & ca*nium ingens ibi est copia.*

Forum Livij, *naturâ, situ & ubertate rer nec non Episcopali dignitate præstans est Civita quam celebriorem fecerunt ortu suo multi pr*clari viri.*

Forum Pompilij *jacet in Æmilia via campis peramœnis.*

Meldola, *oppidum benè munitum & opule*tum est.*

Bretinorum *oppidum arcem validam* *tinet.*

Pars

Parsina Plauti *Poëtæ Comici patria est.*

Cesena *Episcopatu & arce gaudet, nec non agro vini optimi.*

Cervia *in palustri loco artificibus salariis, qui ex aqua salem coquunt, cum summo Pontificis quæstu, inhabitatur.*

Lonsanum *nobile est oppidum.*

Fraenza, *dividitur in duas partes, à fluvio Lamone. In ea vasa ex creta parantur totius Italiæ pulcherrima.*

Ariminum *maritima, munitissima est civitas, ostētans antiquitatum non exiguam copiam. Visitur ibi adhuc arcus triumphalis, Theatri pars, Palatia aliquot Malatestarum, portus ejus olim capacissimus, hodie arenis ferè oppletus est. Pons, super flumen Ariminum memorabilis etiam est, nec non fons marmoreus in foro. Agrum uberem obtinet.*

S. Leonis *civitas est Episcopalis, insidens vertici præcelsi montis, ut naturali situ invicta videatur.*

Boccium *imperiali Palatio superbit.*

XIV. *Italiæ regio est*, ÆMILIA, *aliàs* Lombardia cispadana, *vulgò* diquadelpo, *ut &* Gallia Cisalpina *nuncupata. Estq; hujus regionis tanta præstantia, amœnitas & ubertas,*

ut inter

ut inter nobilissimas Italiæ partes numeretur. E-jus loca præcipua sunt:

Bondenum *Castrum cum oppido lauto.*

Mutina, *hodie* Modena, *urbs antiquitus clara & splendida, Episcopatûs florens dignitate, habens Academiam non ignobilem. Patria fuit* Jacobi Sadoleti, *&* Caroli Sigonij.

Raverum *oppidum recens & elegans est.*

Mirandula, *oppidum perlautum, habens arcem munitam & agrum amœnum fertilemq́; Hujus principatum,* Picorum *illustris gens, in hunc usq́; diem, ab antiquissima memoria, tenet: ex quibus celeberrimi & eruditione præstantissimi fuerunt* Johannes Picus & Johañes Franciscus *nepos.*

Concordia *ad Zechiam fl. sita est, ejusq́; imperium Pici Mirandulani diu tenuêre.*

Spilibertum *locus fuit emortualis* Hadriani I *Papæ.*

Carpi *oppidum est insigne.*

Gonzaga *vicus est, unde oriundi sunt illustres Principes Mantuani,* de Gonzaga *dicti.*

Regium, *antiquitate clarum, hodieq́; frequens & nobile est oppidum, in solo amœno & fertili situm.*

Parma, *pervetusta & munitissima est civi-*

tas, à fluvio Parma divisa, obtinens validum castrum, nec non aliquot Palatia Principum & illustrium familiarum. Fuit Patria Macrobij, & aliorum Scriptorum. Sita est in loco salubri, amœno, fertili, & pascuoso; Hinc incolæ rei pecuariæ ita sunt dediti, ut ex lacticiniis & caseis (quorum unus, Germanis Parmesan Käß dictus, lapidem molarem quandoq; quantitate suâ adæquare solet) singularem habeant famam, cùm & Parmenses, Placentini & Laudenses, non modò ad reliquas Italiæ partes, sed & in Germaniam, singulari commendatione, transferantur. Ut autem olim, ob ovium quoq; ubertatem fuit nobilis, ita ob eandem Vellerum præstantiam hodiè est celebris. Extat in foro amplo fons pulcherrimus, Templum ad imitationem S. Petri Romani extructum, & turris persimilis Bononiensi, Baptisterium rotundum, & Palatium Ducis visu etiam digna sunt.

Sopianum aquæ salsæ fontes obtinet.

Sorania Marchionatus titulo nobilis est.

Placentia munitissima & elegantissima urbs, ad Trebiam amnem, in Padum fluentem, condita, ob Academiam & Caseorum præstantiam inprimis celebris. Monasterium, novum Castrum, multa etiam magnifica templa & egregia

civium ædificia, hîc se spectanda præbent. Ejus ager peramœnus, frumento, vino, oleo, aliisq; fructibus nobilissimis, pascuis saltibus, fontibus salsis, ut & ferri fodinis scatet.

In hoc tractu sita quoq; est fœcunda & amœna illa regio, quæ Mons ferratus *appellatur, hodieq; Marchionatûs titulo nobilis est, quo Mantuæ Princeps uti solet. Sedem Marchiones Montis Ferrati habuerunt in civitate, quæ* Casale Divi Evasi *dicitur, & Episcopale fulget dignitate, duplicem habens arcem. Huc spectat* Alexandria *varios Dominos experta.*

Elboseum *Marchionatûs titulo nobile oppidum est.*

Astæ *civitas antiqua & egregia ad Morum fl.*

Alba *Episcopatûs fulget dignitate.*

Ceva *Marchionatus quondam fuit, nunc oppidum satis egregium.*

Salutium *Episcopalis civitas, quæ magnam calamitatem passa est à Francisco I. Galliarum Rege. Eandem fortunam expertum est,* Cherium *oppidum.*

XV *Italiæ regio est* LOMBARDIA TRANSPADANA, *pars* Galliæ Cisalpinæ, *sive* Insubriæ. *Commendatur ab ubertate arvorum, à copia fluviorum & stagnorum, ab amplitudine territorij,*

ritorij, à multitudine civitatum, Castellorum & inhabitatorum ingeniosorum. Ejus civitates insigniores sunt:

Mantua, *in medio Stagni, quod Mincius fluvius efficit, posita, & ob id benè munita, nec nisi per pontes ad eam patet aditus, multùm ædificiis & porticibus, nec non plateis latis ornatur, Arcem habet probè munitā, Cathedrale pulchrum, Forum spatiosum, in quo Horologium summi artificij, & Curia splendida, multis antiquitatum monumentis, & rebus pretiosissimis, referta. Visu ibidem digna sunt: Armamentarium, Campana perforata, Palatium Ducis, cum conclavi mirè sonoro, & Gazophylacio: Ædes Gonzagæ Prætorium à picturis clarum, Caput Virgilij saxo insculptum, Equilia Ducis, Villa suburbana Marmileri. Hæc ampla urbs non modò ante Romam, sed & ante Trojæ excidium, & quidem ultra mille annos ante Christi nativitatem condita est. Altero ab urbe lapide natus est* Virgilius, *divinus ille Poëta, in vico* Andis, *qui nunc* Petola *dicitur.*

Garda *civitas posita est ad lacum fluctuosum & procellosum* Benacum, *vulgò à civitate* lagu de Garda *dictum.*

Sirmium Catulli *ortu nobilitatum est.*

Lonatum

Lonatum *oppidum est elegans.*

Riva *castrum insigne est.*

Idrum *lacui piscoso adjacenti, nomen dedit.*

Brescia, *sive* Brixia, *ad Garziam amnem, pervetusta, dives, populosa, fortissimis mœniis & arce duplici inexpugnabili, ædificiis præclaris condecorata. Subest, hoc tempore, Veneto Senatui, cujus* Sponsa *cognominatur, ob amplitudinem ditionis; cùm multa oppida, habitatoribus opulentissimis referta, ad eam pertineant, inter quæ recensentur* Salodurum *&* Asola, *ut etiam ad trecentos quinquaginta mille homines complecti statuatur. Viros produxit multos præstantissimos, quos brevi narratione recensere non possum. Est mercaturâ benè nobilitata, omnis generis frugum, veluti vini & olei feracissima. Habet etiam circa se æris & ferri fodinas. Varia rudera & antiqua monumenta testantur de urbis pristino splendore. Gubernator arcis pedem extra eam nunquam efferre audet. Armamentarium, Palatium Episcopi, Prætorium, plurimæ ædes in foro porticibus superstructæ, ut & Stabulum, notatu ibi digna sunt.*

Gorçum *novum arce egregiâ munitum à Venetis & Episcopatus titulo insignitum est.*

Chiarcum *oppidum frequens & amœnum est.*

Isæum

Issæum *lacui antiquitùs* Sebino *dicto, hodie nomen largitur.*

Sonzinum, *ad Ollio fl. lautum & frequens est oppidum, quod varios habuit Dominos, titulo nunc Marchionatûs gaudet.*

Cremona, *urbs pervetusta, Padi ripæ adjacens, splendidis ædificiis & plateis latis exornata, præsertim verò arce, habente turrim admirandæ altitudinis, de qua vulgi proverbium extat:* Unus Petrus Romæ, unus Portus Anconæ & una turris Cremonæ. *Cœnobium Dominicorum & S. Laurentij elegantes structuræ sunt. Cremonensis fuit* Baptista Platina, *Scriptor Pontificum, item* Realdus Colnmbus, *Anatomicus. Ager illius planus, tritici, milij, lini, vini, aliarumq; frugum fertilissimus est.*

Cremæ *oppidum est nobilissimum & opulentum, in pulchra planitie situm, tutissimis mœniis munitum; subest Venetis.*

Bergomum; *in jugo montis positum, in cujus radicibus latissima suburbia civitati annexa sunt, splendidissimis ædificiis exornatur. Ambitus ejus, cum 4 Suburbiis, Mediolano conferri solet. Episcopatûs floret dignitate. Multi præstantes viri in ea nati sunt, è quorum censu &* Ambrosius Calepinus *est, &* Hieronymus Zanchius.

Lauda

Lauda, ad Aduæ ripam, Episcopatûs titulo floret, & rebus ad vitam necessariis abundat, caseoq; præstanti claret.

Monza nobile est oppidum, in quo Imperator, coronâ ferreâ, coronandus est ab Archiepiscopo Mediolanensi.

Leccum oppidum est validum, ad Lacum Cumanum.

Ticinum, à Ticino fl. civitatem lambente, nomen sumsit, vulgò Papia, vel Pavia dicitur. Habet pontem, totius Italiæ, pulcherrimum. Commendatur ab admirandâ cœli temperie, ut ut non sit valdè amœna & populosa. Castellum ibi visitur semirutum, in quo nobilissima est Bibliotheca. Academiâ & Collegio Jesuitico claret. Tumulus Baldi IC. & D. Augustini ibi visitur. Ante hanc civitatem, ab exercitu Caroli V. captus fuit Franciscus Rex Gallorum, vulgò prælium hoc dicitur Die Schlacht Vor Pavi. In templo D. Epiphanij Epitaphium est Andreæ Alciati IC. clar. Huic urbi vicinum est Therotrophium, hodiè Barcum appellatum, muro capacissimo, ad 5 ferè mill. Italica cinctum.

Mediolanum situm est inter Ticinum Aduamq; fl. non longè ab Alpibus, titulo Ducatûs insignita. Varijs olim expositū fuit adversitatibus:

nunc

nunc valdè munitum & florens, Hispaniarum Regis imperio paret, mercaturâ & opibus abundè floret, ædificiis splendidis gaudet. Plurimi Imperatores elegantiâ & opportunitate ejus capti, sedem ibi fixerunt. Suburbia adeò longa lataque habet, ut cum magnis Italiæ civitatibus certent, Urbemque ipsam & suburbia latæ aquarum fossæ cingunt, per quas undique navigiis annonæ copia defertur. Tàm multa sunt hîc, tamque diversa artificium genera, tantaque frequentiâ, ut inde vulgò sit natum Proverbium: Qui Italiam totam reficere velit, eum destruere Mediolanum debere, cùm ex his sedibus artificum & opificum examina per omnes Italiæ partes, spargantur. Reperiuntur in ea, ultra ducenta millia hominum. Omnes vici, saxis ad amussim excisis, sunt eleganter strati. Academiâ pervetustâ gaudet. Visu digna hîc sunt: Palatium vice Regis, Templum Cathedrale, quæ vulgò Domus nuncupatur, & pauca sibi comparanda in orbe Christiano obtinet. Ejus Organum habet fistulas argenteas, monumenta ex Lydio lapide, & statuæ, ex Pario marmore, ibidem visuntur. Templum D. Virginis, Gratiarum cum ædicula Ludovici Sfortiæ sumtuosa, sed imperfecta. Templum D. Ambrosij, Templum Eustorgij, Cœnobium Prædica-

torum

torum cum Bibliotheca instructissima, Columnæ marmoreæ ad templum D. Laurentij, Templum Teclæ antiquissimum, Templum Celsi, Monasterium Victoris vetustum, Xenodochium suburbanum, Armamentarium, Palatij Castellum della porta Jovia, omnium Europæorum amplissimum & munitissimum, antiquitatibus varijs condecoratum, inprimis statuâ Apollinis. In Castello hoc visu quoq; dignum est Armamentarium capacissimum, & Mola aquatica. Vixerunt in ea D. Augustinus, D. Ambrosius, Hermelaus Barbarus, Georgius Merula, Cœlius Rhodiginus, Hier. Cardanus, *alijq; viri Scriptis celeberrimi. Genuit & plurimos Imperatoria, Pontificia, Archiepiscopali & Episcopali dignitate fulgentes, nec non militari gloriâ claros. Ex territorio Mediolanensi oriundi quoq; sunt Muscipularum & Echinorum fabri, per universam Europam oberrantes.*

Comum, *ad Larij lacus ripam, amœnissimo & fructuum feracissimo in loco situm, oppidum quidem exiguum sed nobile, & opulentum, omnibus rebus, ad necessitatem & delitias, abundans. Hinc desumit nomen* Lacus Cornensis *vulgò* Lago de Como.

Sestum *dictum à Sexto Calend. cum hoc di-*

ibi sin

bi singulis mensibus celebrare consueverint rustici conventus.

Vigesanum civitas est lauta, rebus omnibus abundans, obtinensque Castellum amœnum.

Mortaria clara à Caroli M. victoria, sita ad Gomam fl.

Novara Episcopatûs gaudet dignitate & Petri Lombardi nec non Commestoris genitura clARET.

Lucanum lacui vicino nomen dedit.

Angleria ad Verbanum lacum condita est.

Ascona pagus nunc quidem, sed ejus priscæ magnificentiæ magnæ murorum ruinæ testes supersunt.

Canobius pagus portubus, turribus, ædificijs adeò est instructus, ut civitatis formam referat.

Arona castrum habet Portum commodum.

Vercellæ, vetusta civitas, nobilis & Episcopalis, genuit Eusebium Episcopum, ab incolis frequens est.

Augusta prætoria, sita est in exitu Vallis, juxta geminas Alpium fauces Grajas atque Peninas.

XVI est MARCA TREVISANA sive Veneta Regio; tractus est pernobilis, ditissimis oppidis, & urbibus splendidissimis abundans, habens a-

bens agros frugibus & vino fertiles, cœlum salubre, fontes calidos & medicos; metalli fodinas, lacus & amnes celebres, uti fl: Piave, Brentam, Athesin. Præcipuæ ejus Civitates sunt:

Ostia, *oppidum frequens, arce, fossis mœniis atq; paludibus circumjacentibus benè munitum.*

Bastilo S. Michaelis, *arx est munita.* Isola della Scalæ, Scaligerorum *olim amœnissimus secessus.*

Lignaguni *frequens & amplum est oppidum, in quo Veneti firmum habent præsidium.*

Verona, Dietrich bern, *Athesi amne, non tàm dividitur quàm munitur Visu digna est in foro boario Amphitheatri moles, quam* Arenam *appellant. Aliæ prætereà antiquitates ibi sunt, ut Theatri veteris ruinæ, Pontes lapidei in Athesi, item Porticus partim combustæ, partim dejectæ, nec non Jani quadrifrontes, & Arcus marmorei. Novæ munitionum urbis staturæ, immanes aggeres, spissisimi muri, turres ac propugnacula tormentis bellicis armata, fossæ profundæ atq; latæ, item portæ urbis novæ, Domus* Academia *dicta, in qua nobiles bis septimanatim Musicæ auscultant. Monumentum Brennonis, in cancellis fori lapideis, sub ædicula turrita, Templum B. Virginis monstrat monumenta* Scaligerorum.

Genuit

Genuit Æmilium, Plinios duos, Cornelium Nepotem, Vitruvium, Hier: Fracastorium, cujus statua in foro Lapiazza della extat, Joh. Jungerum, Episcopatûs gaudet dignitate, Vinum producit ager Veronensis generosissimum.

Turris nova, ad ostium Athesis fl. contra vectigalium fraudatores, ædificata est.

Tridentum, hodie Trento, juxta Athesin fl. in Alpibus situm; Italiæ à Septentrione janua est, antiqua, nobilis, opulenta, munita, populo frequens, ædibus magnificis & arce condecorata, nec non Palatio perpulchro; Celebris est à concilio Pontificis, ibi An. 1546 instituto. Incolæ tàm Germanicè quàm Italicè loquuntur purissimè. Aliàs ad Tyrolensem Comitatum refertur, sicut eam in IV Germaniæ parte recensuimus.

Mons bellus frequens est castrum. Leonium oppidum nobile.

Montamana civitas populosa.

Claustrum arx inexpugnabilis, in rupe invia, ad Brentam fl. sita, in eam accessus, non nisi attractione per funes, patet.

Este vel Ateste celebris ob originem familiæ Atestinæ.

Mons Silicus variis fortunis expositum oppidum.

Vincentia *sita est in agro mororum, frugum & vini feracissimo, & inter duos amnes navigabiles, Renonem & Bachilionem. Curiam obtinet magnificentissimam, ut & locum quendam* Academiam *dictum, formam Amphitheatri repræsentantem, in quo nobiles adolescentes declamationes suas & ludos scenicos instituunt. Reperitur ibidem monumentum* Galeacij, *cum inscriptione infami. Episcopatûs superbit dignitate, & genuit multos præclaros viros. Incolæ ex textura serici quæstum ingentem capiunt. Non quidem magna & elegans, sed populosa est, ac rerum omnium abundans, variis fortunis agitata quondam fuit.*

Patavium, *vulgò* Padua, *flos & decus omnium Italiæ urbium meritò appellatur: est enim vetustissima, amplissima, munitissima, præclarissimis ædificiis, quæ omnia insistunt columnis & per vices porticus constituunt, benè culta, & in medio ferè Zonæ temperatæ, inter Æquatorem & Polum Septentrionalem posita, & sic nec frigore torquetur, nec calore ustulatur, sed singularem aëris temperiem obtinet. Inter alia hæc urbs Episcopatu & Academiâ celebris est; quam præ aliis Germani Medicinæ studiosi frequentant. Sunt in ea novem Collegia literaria gratuita, suc*

ta, succurrendæ inopiæ studiosorum instituta. Bibliothecis etiam aliquot insignibus gaudet. Hortus ibi medicus est instructissimus. Visitur ibidem Lapis repudij & cessionis bonorum. *Templum D. Antonij est omnium augustissimum, juxta se habens monasterium speciosissimum. Templum D. Justinæ memorabilia etiam obtinet. Templum D. Antonij exhibet monumentum* Petri Bembi. *Templum Francisci habet* Christophori Longolij *corpus. In templo S. Sophiæ sepultura est* Ludovici Cortusij, *IC. qui in testamento suo exequias hilaritate plenas sibi instituendas voluit, quarum ridiculus processus paucis hic explicari non potest. Canonici Patavini æstimantur omnium totius Italiæ Canonicorum ditissimi. Hinc oriundus fuit* Titus Livius, *cujus etiam visitur ibi sepulchrum,* Valerius Flaccus, Cælius Rhodiginus, Jacobus Zabarella, Antonius Maginus, Bonaventura, *& alij plurimi scriptis præclari viri. Domus Capilistarum exhibet equum Trojanum ligneum, vastæ magnitudinis. Habet urbes in ditione sua 7 oppida, quorum unum est oppidum* Sacci, *in quo Germani commutant monetas, profecturi Venetias, siquidem urbem Venetarum accedens peregrino argenteo numismate privatur. Visu etiam hic*

digna sunt Palatium Henrici Imp. in quo jus dicitur. Curia publici consilij, quæ sui parem nullibi habet. Brebotrophium, Lazaretum, Xenodochia pauperum, Leprosaria, Monasteria D. Augustini & Benedictorum, Ager Patavinus, ob omnium ubertatem, à Constantino Palæologo Imp. Paradysus dici meruit. Incolæ lanificio plurimùm addicti sunt. In Comitatu Patavino visitandæ thermæ Ebani dictæ, & aliæ 6 vicinæ. In pago Arquato non ita procul ab urbe Patavio, visitur in cœmiterio Francisci Petrarchæ sepulchrum, quatuor Columnis sustentatum cum imagine ejusdem ex ære.

Liniacum ad dextram Athesis ripam jacet, cui vicinus est vicus, Portus vocatus ad alteram Athesis ripam situs, amboq; ponte junguntur.

Seravallum armorum bellicorum officina, pannorumq; vini ac frumenti negotiatione inclytum emporium. Incolæ loci amœnitate capti, in eam adeò copiosè confluxerunt, ut ter necesse fuerit mœnia dilatari. Pascuis, lacubus, sylvis, feris, avibus abundat. Illud verò in hujus oppidi situ memorabile est, quòd quâ parte planities est, nullo sit expositum vento; quâ autem montibus acclive, perpetuos quasi ventos sentiat, eosq; saluberrimos: hinc nunquam ibi pestis grassata est:

Monte

Montes illi rudera arcium magnificarum ostentant. Mediam interluit Mesulus, limpidissimus amnis & piscosus.

Venetiæ *sitæ sunt in mediis stagnis, in intimo Sinûs Adriatici recessu. Illarum circuitus est octo milliarium Italicorum. Urbs hæc imperii magnitudine, quæ ad alias multas civitates & Insulas, ut & populi frequentiâ, quæ ad trecenta millia sese extendit, adeò dives & splendida, ut reliquas Italiæ Urbes potentiâ & simul pulchritudine superare videatur. Ædes ad vicies mille obtinet, teste* Donato Janozio. *Structuræ in hac urbe præcipuæ sunt hæ; Armamentarium, vulgò Arsenal. Palatium Ducis, cum vicinis columnis marmoreis. S. Marci turris, Templum ac Collegium S. Gregorii Græcorum, Templum Capucinorum, S. Stephani, Lucæ, Mariæ formosæ, Dominici Jacobi, Johannis & Pauli, Justinæ, Petri, Bartholomæi, Monasterium, S. Sepulchrū dictum, Ædes Pistorum, Ædes Teutonicæ, Officina Salpetri. Visuntur quoq; portus profundissimi, Clodiacus ac Mediacus, castellis ac propugnaculis muniti. Spectandæ ibidem sunt illustrium civium statuæ, equestres & pedestres publicis in locis positæ: item Horologia artificiosissima. E pontibus plurimis considerationc dignissimus est*

 Pons

Pons Rivi alti. *Die Ascensionis Dominicæ, Dux sibi despõsare solet mare, quæ ceremoniæ observatu dignissimæ sunt. Ex hac urbe oriũdus est* Natalis Comes, *vir Scriptis præclarus.* Muranum, *Insula milliari uno Italico ab urbe distans, celebratur ob vitrea vasa, quæ ibi in 24 officinis, magnâ copiâ & summo artificio elaborantur, & in diversas orbis partes distrahuntur. Alia vicina Insula* Judaica *dicta, templis, cœnobiis & aliis ædificiis cultissimisq; hortis plurimùm nitet. Insula* D. Georgij *Cœnobium exhibet variis memorialibus instructum.*

Tarvisium, *vulgò* Treviso *dictum, situm est in editiori loco, campo tamen spatiosissimo & fertilissimo; ob ædificiorum splendorem & opum potentiam, & quòd sedes fuerit Marchionum Longobardorum, celebris urbs, unde & toti regioni Marchiæ Trevisanæ nomen dedit. Sili amne divisa est, & ferè, quo ad propugnacula sua, inexpugnabilis. Cives sunt humanissimi & mercaturæ studiosissimi, ingenio solertissimi.*

Feltrium, *oppidum Episcopali gaudet dignitate.*

Civital de belluno *oppidulum satis nitidum est.*

Conegianum *est oppidum frequens, & re-*

bus omni

bus omnibus, ad vitam necessariis abundans.

Sacile *oppidum ditissimum, splendidis ornatum ædificiis.*

Seravallis *castrum est nobile, armorum bellicorum Officina, cui & oppidum adjacet, quod multis cum Italiæ civitatibus certat, de quo jam fusiùs diximus.*

XVII *Regio* FORUM JULII *Germanis* Friaul *nuncupatur, habetq; aërem salubrem, solum vitibus, fructibus pomiferis, frumento, pascuis, lignis, metallis mineralibus, thermis, marmore, pretiosis lapidibus fœcundum, insuper multos commodos portus obtinens. Montibus altissimis scatet, quibus tanquam muro cingitur. Venetis subjecta est. Eius insigniores civitates sunt:*

Spilibergum *in montibus, naturâ loci & opere munitissimum oppidum.*

Tisana *est oppidum in monte arduo.*

Marano *adsistit stellæ fluvio, juxta stagnum coronatum, estq; frequens & divitijs clarum.*

S. Danielis *est nobilissimum oppidum in monte arduo.*

Aquileja, *Germanis* Aglar *dicta, ad ripam Natisonis fl. olim fuit amplissimum & frequentissimum Illyricorum emporium, & aliquandiu sedes Imperatorum, unde &* altera Roma *dice-*

batur. Hodie tamen pauci ejus numerantur incolæ, pristinæq; suæ gloriæ ostendit tantùm rudera: ruinæ ejus causa fuit Attila, Rex Hunnorũ, qui per tres annos illam obsessam, tandem solo æquavit; quam postea Narses, Dux Justiniani Imp. pristinæ libertati restitutam denuò exstruxit. Hodie sub ditione Patriarcharum altâ fruitur pace. Multos præclaros produxit viros.

Udene, Utina vel Utinum, Germanis Weiden/ nobilis civitas est, ampla & magnifica, cujus ambitus 5 milliarium Italicorum censetur, rebus omnibus necessariis affluit. Patria extitit plurimorum clarorum Virorum.

Forum Julij ad Natisonem fl. situm universæ regioni nomen dedit, hodie Civitaldaustria nuncupatur, Jacet in faucibus Italiæ, loco naturâ munitissimo, habens lapideum pontem super flumen.

Gradisca ad Rizantij ripam, est propugnaculum eximium contra Turcas.

Duinum est castellum firmum in excelso mõtis jugo ad littus Sinûs Tergestani.

Tergestum, hodie Triestum, Episcopatûs claret dignitate, variosq; Dominos habuit. Crescit ibi vinum illud generosum, Reinfal dictum.

Gorizia est oppidum, opibus & nobilitate clarum ha-

rum, *habens suos peculiares Principes. Hujus & sub Carniola mentionem fecimus.*

Palma *civitas & propugnaculum rotundum est, An. Ch. 1593 à Venetis extrui cæptum.*

XVIII Regio Italiæ est ISTRIA, *terra aspera potiùs quàm plana; collibus tamen magis, quàm montibus, qui vini, olei, aliorumq; fructuum sunt feraces, frumenti verò & leguminum infæcundiores, exceptis agris* Pisino & Humagio. *Habet hæc regio montem præcelsum, vulgò* Major *dictum, hic ab herbis medicatis valdè celebris est. In eius vertice, emanat fons uberrimus. Regio hæc dives est Sale, marmore præstantissimo, lignis, piscibus. Majori ex parte Venetis paret; reliqua verò pars Austriæ Domui subjecta est. Præcipuæ eius Civitates sunt:*

Justinopolis, *vulgò* Capo de Istria *dicta, Episcopali titulo eminet, in parva Insula extructa, pontibus versatilibus continenti conjuncta est, eius castellum* Leoninum *nuncupatur. Alij unà cum monte* Pucinum, *alij* Prosecco *id appellant; ibi etiam vinum nascitur illud celebratissimum* Reinfal *dictum.*

Isola *castellum etiam continenti, ponte lapideo annectitur.*

Salverium *portu olim claruit, sed nunc is repletus est.* Hu-

Humago *in scopulo marinis undiq; undis circumfunditur.*

Parentium *in Peninsula jacens, mœnibus, turribusq; egregiè est munitum, portum habens excipiendis maximis navibus per importunum.*

Pola *sita in alto monte, est vetusta Episcopalis & nobilis urbs,* Pietas Julia *quoq; nuncupata, Rudera ostentat amphitheatri & alia antiquitatum monumenta, inprimis amplissimum ædificium, vulgò* Zadre *dictum.*

XIX LIGURIA *seu* Genuensis ora, *olim multò amplior regio fuit, atq; nunc, estq; maxima ex parte montosa, Apennini saxosis ad mare tractibus involuta. Petris aspera & importuosa, quæ, juxta mare angustos relinquunt transitus, & sylvosis saltibus horrida. Habet tamen & valles quasdam frugiferas, ex quibus oleum, fruges variæ, & vinum optimum, quod nec Malvatico, Cretæ, nec Cyprio, nec ulli Italico suavitate cedit, sumitur. Incolæ oleo & frugibus plurimùm vivunt, & pedestri itinere potiùs, quàm equestri propter montes utuntur. Primaria ejus oppida sunt:*

Niza *civitas maritima in loco inæquali sita, præclarè munita & arcem habens egregiam in colle, ad Sabaudiæ Ducem spectantem.*

Villa

Villa franca *portum habens minùs tutum, licet amplum.*

Turbia *in altis montibus posita est.*

Ventimiglia *celebris à pretiosis Vinis moscatellinis.*

S. Remi *oppidum citris, palmis, limonibus, medicis aliisq; fructiferis arboribus plurimùm nitet.*

Tabia *castellum vino optimo, quod* Appianum *dicitur celebre.*

Albenga *civitas vetusta, in loco plano & frugifero, sub cœlo autem graviori sita est.*

Vinarium *oppidum nobile, arce validâ munitum Marchionatûs titulo clarum.*

Savoa *Civitas antiquissima, ædificiis præclaris ornata. Claret geniturâ præstantium virorum.*

Genua *totius Liguriæ metropolis, Ligustico adjacens Mari, potens, superba, antiquissimæ originis, in radicibus Apennini montis in circuitu 6 fere mill: Italica continet, varias experta est vicissitudines, Hodiè pulcherrimis est exornata ædificiis, è puro quandoq; marmore extructis. Præ ceteris eminet Palatium publicum seu Domus senatoria, Palatium Andreæ Doriæ, cum viridario. Palatia Spinolarum, Grimaldorum & Pallavicino-*

lavicinorum, Templum S. Laurentij & Bartholomæi, Armamentarium, Plateæ angusta spatia obtinent. Visu quoq; digna est Specula, in qua noctu igne accenso iter monstratur navigantibus. Portu fruitur satis commodo. Status urbis est Aristocratitus, Senatores incedunt induti togis nigris, sericis, Damascenis, capita vittis tegunt holosericis, pedes similiter muniunt calceis holosericis. Cives opulentiores per plateam lecticis portantur, Fœminæ præferuntur viris. Panni holoserici textores nullibi plures quàm hîc; numerantur enim circiter octies mille. Genuit plurimos viros illustres, è quorum censu est Christophorus Columbus, inventor Insularum Occidentalium. Solum circa hanc urbem optimis vinetis gaudet. E mari vicino corallium eruitur. Tractus littoralis per multa milliaria à Genua ædificiis egregiis exornatus est, ut quasi unam perpetuò videas urbem.

Claverium nundinario mercatorum conventu ob summam loci oportunitatem celebre est.

Castello levanto splendidè extructum est.

Malazzo illustris familiæ Marchionum Malactionum genitalis locus est.

XX. Et ultima Italiæ regio est PEDEMONTIUM, habetq; urbes amœnas & frugiferi colle

olles, qui vina producunt nobilissima. Obtinet tiam ferrifodinas, propè Taurinum, quæ metropolis est regionis, in ostio Duriæ fl. ad Padum ta. Hodiè sedes est Ducum Sabaudiæ, qui & Aademiâ illam ornârunt, in qua Des. Erasmus Roterodamus Doctor Theologiæ est creatus. Ædificiis ornata est splendidis, & Castello egreio munita, Agrum habet fertilem.

Carignanum oppidum est opulentum.

Pinarolum oppidum splendidum cum cœnoio sumtuoso.

Cætera oppida ferè sunt obscuriora, nil meorabile obtinentia.

CAPUT IX.

DE HUNGARIA.

REgnum Hungariæ se olim extendebat à mari Pontico usq; ad Austriam; & à Poloia usq; ad Sinum Adriaticum; in cujus ventre ecem amplissima regna claudebantur, quæ à orona Hungariæ tanquam Feuda dependebant: inc Hungariæ Dominus, non Rex tantùm, sed rchi-Rex tùm appellandus fuisset. Ab anno erò Christi 1396 ad nostram usq; ætatem, intestinis

stinis dissidiis pravisq; consiliis sæpiùs afflictum, barbarissimæ Turcarum nationi, non sine totius Ecclesiæ dolore ac damno, ita potiori ex parte servire cogitur, ut antiquæ libertatis, dignitatis, atq; amplitudinis imaginem exiguam retineat, vixq; tot insigniores Urbes nunc residuas habet, quot Regna olim fuerat complexa. Hocce verò regnum, quia paucissimi Peregrinantes adire solent, ideò strictiori calamo pertractandum est.

Habet ergò nunc à Meridie Dravum fl. & Croatiam; ab Ortu Transylvaniam, à Septentrione montes Carpathicos, Poloniam & Moraviam, ab Occasu Austriam & Styriam.

Longitudo eius est 60 milliarium Germ. ac par ferè est latitudo. Respectu cœli locatur inter 8 & 9 Clima, capiens 16, 17 & ferè 18 parallelos, & habet longissimam Æstatis diem, ab horis 15 cum semisse, usq; ad 16 horas.

Dividitur per Danubium fluv. in duas partes, nempe in Superiorem & Inferiorem. Superior versùs Septentrionem, Inferior ad Meridiem sita est. Quamvis alij aliter distingvant.

Subdividitur etiam in 74 Comitatus, quorum hodie vix tertia pars Regi suo legitimo subest. Horum Comitatuum Præfecti, Comites vocantur, qui suos Vice-Comites habent, il-

singuli

ſingulis menſibus Nobiles ſui diſtrictûs, pro cauſis Judicialibus dirimendis convocant.

Fluvios navigabiles duos propriè obtinet; Danubium & Tibiſcum. Utriusq; tamen ripæ à Turcis majori ex parte habitantur. Dravus & Savus, qui præter præfatos duos fluvios, in inſignibus Regni Hungariæ adhuc hodie uſurpantur, non tàm ad Hungariam, quàm ad ejusdem Regna quondam Feudataria, nempe Sclavoniam & Croatiam, potiori etiam ex parte Turcis jàm ſubjecta, ſpectant.

Lacus nobiliores Hungariæ ſunt: Balaton, Germ. der Plat See/ & Peiſo, ſive Feurtne, Germanicè Newſiedler See. Gaudet inſuper Carpathus Sepuſienſis multis ſtagnis ampliſſimis, piſcoſiſſimis (inprimis auratis, vulgò trutis, refertis) limpidiſſimis, miraculosè à Deo intra ſumma montium juga locatis; ad quæ tamen difficilis aditus patet. Præcipua gaudent nominibus à coloribus ſibi naturaliter inditis: quædam enim apparent viridia, quædam rubra, quædam alba: Alia aliter appellantur.

Thermis quamplurimis ſcatet. Celebriores ſunt ad Budam, Peſtum, Galgoczium, Iſtrogranum, Trenzinium, ad arcem Baimociū, ad Stubnam, Rauſchenbachium, propè Va-

radinum, *circa* Cremnizium *&* Schemnizium, *ad* Ovar *vulgò* Ungrisch Altenburg / *& in collimitiis Ungariæ*, *ad* Deutsch Altenburg.

Acidulæ *minimè sunt raræ, namq́ præter eas, quæ sunt circa arces Zoliensem & Levam, aliæ in Sepusio innumero ferè numero reperiuntur.*

Scaturigines aquarum lapidescentium *frequentes etiam sunt, præsertim in Scepusio, ubi etiam ad oppidulum* Smolnizium *ex montibus metallicis aqua ebullit*, Ferrum in Cuprum transmutans, *ex qua metamorphosi quæstus ingens habetur, illudq́ cuprum factitium, plenis palustris annuatim ad varios usus in Poloniam & ratibus in Borussiam vehitur, & indè per alias remotiores Regiones distrahitur. Ex iisdem montibus guttæ aqueæ distillant, quæ in vitriolum præstantissimum concrescunt. In montibus Neosoliensibus aqua viridis scaturit, ex qua ubi subsedit, Chrysocolla colligitur.*

In Comitatu Scepusiensi & Sarosiensi etiam lethales aquæ scaturiunt, quæ aves & alia animantia quàmprimùm eas gustaverint, enecant. Talis & pestilens caverna in Comitatu Zoliensi habetur, quę aves supervolantes & bestias accedentes extingvere solet. E. Mon-

E Montibus *primas tenet* Carpathus, *quâ vulgatâ appellatione nominatur, omnis tractus Sarmaticorum montium, qui Hungaros à Ruthenis, Polonis, Moravis, Silesiis, & eâ Austriæ parte, quæ citrà Danubium est, dirimunt. Horridiora & sublimiora illorum juga nubes transcendentia, existunt in Comitatu Scepusiensi ad Patriam meam dulcissimam* Cæsareopolim, *vulgò* Kesmarckt *dictam, à qua Civitate etiam*, Das Kesmårcker Gebürg / *item*: Das Schneegebürg / *quod perpetuis ferè nivibus tegantur, à Sclavis* Tatri *vel* Tarczal, *quasi calvi & abrasi montes, nuncupantur. Jugum illud, quòd versùs Comitatum Liptoviensem vergit, ab accolis* Krivan, *hoc est: cauda bubula appellatur. Et hæ rupes asperitate & præcipitiis suis Alpes Italicas, Helveticas ac Tyrolenses longè superantes ferè imperviæ sunt, & non nisi à naturæ admiratoribus rarissimè petuntur.*

Ego (ut incidenter hæc recenseam) mense Junio, Anni Christi 1615 tùm adolescens, sublimitatem horum montium Sepusiensium cum duobus comitibus Scholaribus experiri volens, ubi cùm in primæ rupis vertice magno labore me summum terminum assecutum esse putarem, demùm sese obtulit alia multò altior cautes, quam ubi per vasta eaq; vacillantia saxa (quorum unum, si loco à viatore dimovetur, & versùs convallem dejicitur aut volvitur, aliquot cen-

rena decuplo ſecum rapit, & quidem tanto cum fragore, ut illi metuendum ſit, ne totus mons corruat, eumq; obruat) enixus eſſem, iterum alia ſublimior prodiit: atq; ita aliquot minores vertices, quorum poſteriores ſemper anteriores altitudine ſuperârunt, per totidem convalles ſummo vitæ periculo emetiri coactus ſum, donec ad ſupremum cacumen penetraverim. Ex declivioribus montibus cùm in ſubjectas valles, vaſtis arboribus conſitas proſpexiſſem, nil niſi obſcuram noctem aut cœruleum quid, inſtar profundi aëris, quod vulgò cœlum ſudum appellatur, obſervare potui, mihiq; videbar, ſi de monte caderem, non in terram, ſed rectâ in cœlum me prolapſurum: Nimiâ enim declivitate ſpecies viſibiles extenuatæ & hebetatæ fuerunt. Dùm verò altiorem montem peterem, quaſi intra nebulas denſiſſimas hærebam: His eluctatis, poſt aliquot horarum intervallum, cùm jam non procul à ſummo vertice eſſem, de ſublimi quieſcens proſpexi atq; animadverti iis in locis, ubi mihi antea videbar intra nebulas hæſiſſe, compactas atq; albas ſeſe movere nubes, ſupra quas per aliquot milliaria, & ultra terminos Sepuſij commodus mihi proſpectus patuit. Alias tamen etiam nubes altiores, alias item humiliores, nec non quaſdam æqualiter à terra diſtantes vidi, Atq; hinc tria intellexi: 1. me tùm tranſiviſſe principium mediæ aëris regionis, 2, Diſtantiam nubium à terra non eſſe æqualem, ſed pro ratione vaporis alicubi altiorem, alibi humiliorem. 3, Diſtantiam nubium terris proximam, longè minorem eſſe, quàm quidam Phyſici ſtatuunt, & quidem non 72 mill. Germ. ſed tantùm dimidiatum mill. Germ. In ſummum montis verticem cùm perveniſſem, adeò tranquillum & ſubtîlem aërem ibi offendi, ut ne pili quidem motum ſentirem, cùm tamen in depreſſioribus montibus ventum vehementem expertus ſim. Undè collegi ſummum cacumen iſtius montis Carpathici, ad milliare Germanicum à radicibus ſuis imis exurgere, & ad ſupremam uſque aëris regionem ad quam venti non aſcendunt, pertingere: Exploſi in ea ſummitate Sclopetum

qu

qui non majorem sonitum primò præ se tulit, quàm si sigillum vel bacillum confregissem, post intervallum autem temporis murmur prolixum invaluit, inferioresque montis partes, convalles & sylvas opplevit: Descendendo per nives annosas intra convalles cùm iterum Sclopetum exonerarem, major & horribilior fragor quàm ex tormento capacissimo indè exoriebatur, hinc verebar, ne totus mons concussus mecum corrueret, duravitque hîc sonus per semiquadrantem horæ, usq; dùm abstrusissimas cavernas penetrâsset, ad quas aër undiq; multiplicatus resiliit. Et talia quidem objecta concava, in summitate sese non illicò offerebant, idcircò ferè insensibiliter primùm sonus repercutiebatur, donec descendendo antris & convallibus vicinior factus ad eas fortiùs impegit. In his quoq; celsis montibus plerunq; vel mediâ æstate ningit grandinatvè, quoties nempè in subjecta & vicina planitie pluit, uti hoc ipsum etiam tùm expertus sum.

Decliviora hujus montis Carpathi Juga *sunt sylvosa, pervia, variaq; habent nomina, utpote:* Der Schewerberg / Der Vatter / Die Mutter / Der Greüner / Der Aüers-horn / Der Ochsenberg / Die Jablunecke / Der Purtzelgrundt / Die Hole / Der Münch / Der Würtzgarten / ꝛc.

Sylvis *densis ferè undiq; Hungaria repleta & cincta est.*

Prata *ibi adeò pascuis luxuriant, ut in iis gramen dimidiam staturam hominis adæquet, imò currum altitudinem alicubi superet, & eos quasi contegat: In his tot boum agmina foven-*

 tur,

tur, ut & in Italiam, Germaniam, aliasq; exteras regiones copiosè mittat. Observatum est, per solam viam Viennensem uno anno plus quàm 80000 boum in Germaniam acta esse.

Feris sylvestribus *ita abundat, ut interdicere rusticis, ne vel venentur, vel aucupentur, pro re valdè insolenti habeatur: Perdicum & bonosarum plena plaustra in Austriam vehuntur.*

Piscibus *nec destituitur: amnes enim Hungariæ omnes sunt piscosi, inprimis verò* Tibiscus *de quo vulgò dicitur*, quòd duæ ejus partes aqua, tertia pisces sint.

Soli *ubertate atq; fertilitate, nulli orbis terrarum parti cedit, imò plerasq; antecedit. Nam quod alibi operosâ curâ vix profertur, in Hungaria sponte suâ absq; fimo prodit: ita quidem, ut crebrò dùm siligo seritur, triticum metatur. Poma, Pyra, Cerasa, Merasa, Cotonea, Pruna, Damascena, Nuces juglandes, & avellanæ, non modò culturâ in hortis, sed etiam suâ sponte, abundè in sylvis atq; agris proveniunt. Fert etiam pepones, cucurbitas, Persica, Mora, Castaneas.*

Metallorum *omnis generis, præter stannum, nusquam terrarum copia major, quàm in Hungaria. Aurum ibi è montibus erutum æqui*

paratur

paratur, imò præfertur Arabico atq; Peruviano, & stillicidia auri longitudinis duorum cubitorum quandoq; sunt. Coloni, dùm agros suos sulcant, haud rarò virgulta aurea vomere proscindunt. Prætereà in plerisq; Regni amnibus aurea ramenta inveniuntur. Nil dicam de argento, cupro & ferro, quibus passim montes ad stuporem turgent.

Vina *producit adeò generosa & fortia, ut cum Hispanico, Cretico, Corsico quædam certent. Vitibus nonnunquam adnascuntur capreoli aurei prolixissimi.*

Quin & Salem *metallicum habet optimum & purissimum, qui instar lapidum in lapicidinis cæditur.* Fontibus salsis *nec destituitur.*

Lapidibus pretiosis, *præsertim marmoribus rubris, candidis, nigrisq; adeò abundat, ut & integræ arces super illa fundatæ sint.*

Gemmas *pellucidas gignit, utpote* Rubinos, Jaspides, Adamantes, Turcosios, *maximè verò* Sardios, *quos* Opalos *vocant.*

Mineralibus *minoribus, nempe* Cinnabari, Antimonio, *lapide* Lazuli, bolo medico, *& herbis medicatis affluit.*

Aer, *exceptis paucissimis locis, salubris est, sed Æstate in planis partibus æstuosior, in montosis frigidior.*

Incolæ *sunt bellicosi* , *Christiani orbis vigiles*, *libertatum suarum strenui defensores*, *mores civiliores & sublimiores disciplinas rarissimè affectantes* , *Latinæ autem linguæ utplurimùm studentes*.

Peperit tamen Regnum Hungariæ & quosdam viros eruditos , *scriptis celeberrimos*, *uti Beatum* Martinum *Episcopum* , *Div.* Hieronymum, Thurozium, Sambucum, Szegedinum , *Abrahamum* Bakschay , Istvanfium , Dudithium , Delicasium, *Johannem* Pannonium , Petrum de Reva , Albertum Molnar.

Imperatores *etiam augustos 8 produxit*, *utpote* : Decium , Aurelianum , Probum , Diocletianum , Jovianum , Valentinianum, *& hujus fratrem* Valentem, *atq; Filium* Gratianum.

Quondam 60 equitum millia Hungarorum in aciem Christiani Reges educere potuerunt.

Allio hæc gens tantâ aviditate vescitur, *quantâ Hispani raphano.*

Togas & pileos pellibus pretiosis suffultos vel mediâ æstate, *in summo æstu diebus festivis & nuptialibus gestare illis solenne est. Aliàs vestitus eorum*, *ut & cæterorum populorum Orientalium*

lium longè decentior est, ac corpori humano accommodatior, quàm nationum Occidentalium, inprimis Germanicæ, quæ etiam quovis ferè triennio formam suarum vestium variat. Illi verò hâc in parte non sunt adeò mutabiles, nisi quòd noviter in rasura capillorum & gestatione cinguli infrà umbilicum vicinos Turcas & Moscos turpiter etiam imitari cœperint. Togis & tunicis oblongis panneis, purpurei aut cyanei coloris, utplurimùm delectantur. Fœmellæ Hungariæ superioris in salutando per plateas euntes admodùm officiosæ sunt.

Non adeò populosa, nec urbibus magnificis multùm exculta est regio, at munitionibus & propugnaculis plurimis instructa, quorum tamen celebriora à Thracico Tyranno expugnata sunt.

Universi Regni insigniores civitates & propugnacula sunt subsequentia:

Posonium Preßburg / *hodiè metropolis totius Ungariæ, urbs est vetus & elegans, quæ ut situ ita & aëre quoq; fruitur læto. In ea quandoq; residet Archiepiscopus Strigoniensis, ut & alij Regni proceres & Consiliarij, ob Cameram Regiam ibidem constitutam. Montes habet vineis consitos. Ad suburbium in præcelso montis*

vertice est arx valida, in qua corona regia custoditur. Ad hanc Anno 1620 Comes Tampir *globo trajectus est. Subter allabente Danubio loca compascua sunt lætissima. Comitia crebrò in ea restituuntur.*

Ovar., *Germ.* Ungrisch Altenburg *paludibus & aquâ cinctum est oppidum; Castellum vallo munitum fuit quondam Salomonis Hungariæ Regis secessus, & morionis* Marcolphi *domicilium obtinebat.*

Sopronium, Oedenburg/ *civitas egregia, populosa, sed pro Comitijs, quæ ibi sæpè celebrantur, nimis angusta, Arce præstanti & suburbijs amplis, munitis constat. Solum illius generosi vini ferax est.*

Gunczium *oppidulum est tenue, sed famam sibi acquisivit in eo, quòd Anno 1532 contra exercitum Solymanni strenuè sese defenderit.*

Sabaria *Hungaris* Szombathely, *Germanis* Stein am Anger/ *sita est ad fl: Gunz. Olim fuit ampla civitas, uti ejus rudera testantur. Monetæ vetustæ in agris sæpè ibi reperiuntur.*

Palotta *castrum est in monte situm.*

Papa *à Turca multas adversitates perpessa est. Destituitur scaturiginibus & fluviis, ideò ex proxima piscina civibus aqua haurienda est. Obtinet Arcem.*

Dotis, *Ungaris* Thata, *castrum est vetus in palude exstructum.*

Ad hoc prisci Reges viridaria sua constituerant. Collis ibi altus attollitur albi & rubri marmoris lapicidinis nobilis, sed qui hosti ad oppugnandam ac tormentis diruendam arcem magnas præbet commoditates.

Jaurinum *Germ.* Rab / *ad Danubij & Rabi confluentes, in loco paludoso condita, propugnaculum est limitaneum, in quo præsidiarij tàm Hungari quàm Germani aluntur. Episcopatu est insignis & mercaturâ non infrequens, ob situs oportunitatem. Exhibet quædam vestigia antiquitatum.*

Comarinum *castrum est nobile, triangularis formæ, inter Danubium & Vagum fl. in angulo Insulæ* Schut *positum, nec à Turcis hactenus ut præfatæ arces expugnatum. Penes se habet oppidulum.*

Arx nova, *Hungaris* Uyvár, *& Germanis* Newheusel *dicta, sita est in paludoso, & quasi inaccesso loco. Sex propugnacula eleganti architectonicâ dispositione, ex cespite firma obtinet. Præsidiarij in ea sunt Hungari, Germani & Rascij. Comes* Buquoi *Anno 1621 ad hanc arcem à præsidiariis trucidatus est.*

Nitria,

Nitria, *Episcopalis civitas cum arce edita, sita est ad fl. Nitram.*

Filleckium, *castrum in monte locatum est, habens in planitie oppidum sibi adjunctum, nec non specum mirabilem.*

1 Cassovia *metropolis est Superioris Hung. ad fl. Hornath, qui perperam in Mappis Geogr. Hevath appellatur, Germanicè* Kunnert *dictum, probè munita, 5 liberarum civitatum caput. Habetur ibi Regia Camera Sepusiensis Comitatûs. Generalis belli Dux, Judex Curiæ, Præfectus ærarij, & alij Regij Consiliarij, ac officiales bellici in ea utplurimùm resident, ideò ædificiis splendidioribus præ aliis Hungariæ civitatibus gaudet. Rivulus per medium civitatis fluit. Templum parochiale structuræ est stupendæ. In cœmiterio illius monstratur peregrinis foramen quoddam in muro Templi, per globum maximum machinæ bellicæ à Turca urbem obsidente, factum. Templum illud Hungaris & Germanis civibus per vices commune est. Armamentarium instructissimum obtinet. Vina, quæ illius solum fert, multum calcis habent, ideò chiragram & podagram conciliant. Cerevisiâ sapidâ destituitur. Nec datur aër in tota Hungaria pestilentior atq; insalubrior, atq; hîc locorum.*

Hinc

Hinc pauci peregrini, imò nec quidam Hungari alibi educati, ibi persistere diu queunt.

2 Leutschovia, *secunda libera Civitas, metropolis Sepusij, sita in colle, elegans est & ampla, Typographiâ & nundinis celebris. In foro suo spatioso obtinet Templum exornatum Epitaphiis, cryptâ Turzonianâ, Organo & Suggesto sumtuoso. Tectum ejus ex parte laminis cupreis constat. In dicto quoq; foro eminent Curia, Schola, & Domus Mercatoria. Templum Monasteriale desertum ad mœnia positum, magnificum prospectum ex vicino monte* Prædonum *dicto, urbi conciliat. Hortis fructiferis, & villis elegantioribus, vice suburbiorum instructa est. Ager illius non adeò fertilis est, ut reliquorum oppidorum Sepusiensium. Rivulus vicinus vix sufficientem aquam molis suppeditat. In ipsa tamen urbe putei domestici & cisternæ publicæ aquâ (sed strumas quandoq; fœmellis conciliantes) plerunq; abundant. Senatores Curiam ascendentes palliis Germanicis tunicam Hungaricam tegunt.*

3. Bartpha *tertia libera Regiaq; Civitas, per se quidem est exigua, rotunditate circumgyratâ; sed Suburbijs amplioribus prædita. Commendatur ab optima dispositione* τῆς πολιτείας, *alimonia,*

moniæ, fructuum, & filorum è vicina Polonia comportatorum affluentia: Typographia noviter σὺν θεῷ restaurata. Scholam etiam celebrem habet, in qua non tantùm Civium & Nobilium filij, sed etiam variarum nationum adolescentes & juvenes tantos in studijs progressus faciunt, ut aliquando cum laude & honore provinciæ alicui præesse possint. Senatores & Communitas habitu peculiari publicis in congressibus utuntur. Progenuit CL. Leonartum Stöckelium, B. Doctoris Lutheri discipulum, ac harum 5 Civitatum Reformatorem, ab An. C. 1539.

4. Epperiessinum quarta libera Civitas ad fluv. Torissam, sive Tarczam sita, est splendida & populosa, mercaturâ atq; nundinis clara, suburbijs amplis, artificio hydraulico instructa, juxta se habens fodinas salinas, Opalinas, acidulas & duos fontes lethales.

5. Cibinium Zeben/ quinq; liberarum Civitatum est minima, incendijs crebris obnoxia fructibus, inprimis prunis abundans. Olim & crocum præstantissimum tulit.

Cæsareopolis, Kaysrmarckt / communi Keßmarck/ Patria mea dulcissima, in qua hæ conscripsi, ad radices Carpathi, in finibus Ungariæ & Poloniæ, intra Popradum fluvium Leibicensem rivum, & Albulam amnem, in solo fru-

mem

menti & lini feraci sita est. Curia, Officina libraria renovata (die Wag) & spississima turris in superiore civitatis porta, (quæ quondam sumtibus & operâ totius Comitatûs Sepusiensis constructa est, contra incursiones Hussitarum) singularem decorem illi conciliant. Arcem insuper obtinet elegantissimam, in qua Dominus hujus civitatis, Magnificus D. Steph. Thököli, L. B. &c. Dn. Patronus meus suspiciendus residet. Templum Germanicum (in quo ingeniosissimi artificij magna statua, Christum crucifixum repræsentans, visitur) ut & Slavonicum, cum Schola restaurata & Parochia in meditullio quidem civitatis, sed circa paludes & posticas ædiũ partes, posita sunt. Coquitur in ea sapida cerevisia. Varijs rebus ad victum necessarijs affluit, quæ ut plurimùm à vicinis colonis, catervatim ad mercatum hebdomadalem confluentibus, venales importantur. Hæc Civitas pòst Leutschoviam secundas partes obtinet in Comitatu Sepusiensi, qui alijs etiam oppidis & pagis refertissimus est: Complectitur enim in suo spatio (7 mill. Germ: hodiè vix longo & 5 ferè lato) præter dictam Leutschoviam & Cæsareopolim, urbes præstantiores, mænijs & vallis munitas, etiam pagos nobilitares plurimos, XIII Oppida mænijs tamen

men carentiæ, Regi Poloniæ ab Anno Christi oppignorata, & XI Vicos, Oppida *etiam dictos, ad Castrum Scepusiense spectantes.*

E XIII Oppidis præcipua sunt quinq;

1. Neocomium. *sive* Iglo, Newdorff/ *ad Conradist.* die Kundert/ *Hung:* Hornáth *dictum, situm est, à fodinis & Officinis ferri, variis leguminibus hortensibus, nec non Collegio Musico è civibus constante commendabili, benè longum oppidum. Non procul ab eo, Marcivillam versùs, effoditur ex monte Terra medica.*

2. Varallium Kirchdrauff/ *in valle tritici optimi feraci, intra montes situm, in colle Occidentali Capitulum S. Martini, ad quod aqua lapidescens ebullit; in rupe Orientali Arcem Scepusiensem validissimam obtinet.*

3. Mons Georgii *mercatu hebdomadali populosissimo instructum est oppidulum, & territorium quidem angustum, sed fertilissimum habet.*

4 Leibicium *satis amplum est, habetq; capacissimum territorium, Foro mercatorio olim gaudebat, sed illud superioribus seculis, per incrementum vicinissimæ civitatis* Kaysermarck *sublatum est. Schola ejusdem ante 40 annos moderante scilicet eam parente meo p. m. Johann*

Fræl

Frœlichio , Philologo haud postremo , longè florentior fuit , (ut & alibi in similibus Sepusij oppidis , sub severissima quidem disciplina) atq́ nunc est. Obtinuit & adhuc obtinet quosdam viros discretos , qui Comitis munus sæpè obire solent.

5 Bela *pingvi solo gaudet. Hoc oppidum quamvis ob inurbanitatem & simplicitatem ridiculam vulgò in Sepusio per jocum , malè audiat ; produxit tamen hactenus non tantùm quosdam probè moratos ac ingeniosos mechanicos , verùm etiam plurimos Ecclesiarum , Scholarum & Curiarum ministros præstantissimos. Hoc incolis etiam passivum est , ut voculam* Nos *pro* Ego *in familiari colloquio substituant : quod illorum quoq́ accolæ jam imitari incipiunt.*

Ex XI *Oppidis eminet* Villa Compositi , Kabsdorff/ *à cerevisia clarum. Indè ad ortum non longè distat in Monte sylvoso* Speculationis *dicto ,* Lapis refugij , *& rudera Monasterij Carthusiani , post irruptionem Tartarorum florentissimi.*

Tredecim Oppidis annumerantur Lublovia & Pudolinum , *cum arcibus & Pagis suis , inter quos* Rauschenbachium *ob thermas & papyri molam est celebre. In arce Lubloviensi*

residet viceCapitaneus dictorum 13 Oppidorum, quorum Communitates singillatim suos Judices, & conjunctim unum Comitem annuatim pro libero arbitrio eligunt. Comes est præses 13 Judicum, & causas graviores dirimit.

Horum Oppidorum inhabitatores, ut & cæteri Sepusij re agrariâ, pecuariâ, nec non opificibus vulgaribus sese sustentant. Mercaturæ & collectioni pecuniæ pro thesauro, mitiùs student: hinc si quis opulentorum civium centum florenos in paratis habet, plus sibi placet, plusq́ illis efficere valet, quàm quispiam in Germania quingentis. Luxus in vestitu & conviviis publicis indifferenter tàm à plebeis, quàm primariis civibus exercetur: quæ ἀταξία meritò taxanda est.

Sunt Sepusienses reliquiæ priscorum Germanorum Gepidæ dictorum, ideòq́ Germanico idiomate (proximè Misnensi accedenti) moribus civilioribus & diligentiori dispositione Oeconomicâ cæteris Hungaris utuntur. Opificum tamen pleriq́ præter Germanicam lingvam, simul etiam Hungaricam, Sclavonicam, & ex parte Latinam lingvam callent. Habitus muliebris Saxonicam vetustatem redolet. Nobiles in suis aulis ad pagos residentes sunt Hungari & Sclavi, qui Germanicam & Latinam lingvam in civitatibus annis puerilibus addiscere solent. In

In Sepusio etiam sita sunt montana oppida, Vagenrüssel, Schvedler, Gölniz, Smölniz, Iezenseiffen, Stos, Einsidel. *In his copiosè errum foditur & cuditur.* Smölnizij *etiam montibus extrahitur aqua, quam canales & al- ei excipiunt. In hos ferrum sive vetus sive no- um imponitur, quod cùm per aliquot dies aquæ nmersum jacuerit, obducitur limo, qui minutis opis abstersus ignisq; impositus, in cuprum trans- utatur. Hanc verissimam metamorphosin, qui u fabulam rident, fabulæ illi ipsi. Aqua etiam tra montes destillans, pyramidatim in modum yriæ cubitalis concrescit. Et hoc vitriolum na- vum in chymia præstantissimum, ideòq; per Eu- pam celeberrimum est. Ibidem & aliud vitri- um bacillis ligneis studiosè illuc locatis, concre- it, quod factitium & coctum appellatur. Con- nent horum oppidorum montes aurum quoq; m argento, sed non in tanta copia, uti ferrum; circò cum operosiori cura & majori sumtu hæc retiosissima metalla eruenda sint, prorsùs negli- intur. Idem fit in adjacentibus oppidis,* Top- hini, & Czetnikij, *ubi etiam tantùm ferri dinæ coluntur, posthabitis auri & argenti fo- nis.* Rosnaviæ *tamen præter ferrum etiam prum, parùm auri argentiq; eruitur.*

Præter hæc oppida ferrifera sunt & aliæ septem in Hungaria Civitates montanæ, Liberæ *dictæ, è quibus* Schemnizium, Cremnizium *&* Neosolium *florentiores sunt.*

1. Schemnizium *montibus superstructa est in quorum summitate duæ arces, vice mœniorum & propugnaculorum conditæ sunt. Cameræ ibi Regia est & officina metallica,* Der Scheid Gaden *dicta, in qua argentum & aurum igne perpurgatur. Officiales & plerique cives sunt ex Germania oriundi. Illius argenti fodinæ reliquis sunt ditiores. Non procul inde dissitæ sunt thermæ* Eisenbachenses, *ut & aliæ ab officina vitraria dictæ, item* Stubnenses *ac* Roselinæ.

2. Cremnizium *non procul à Grano fl. metropolis cæterarum 6 Civitatum montanarum intra mœnia non spatiosa est. Suburbia habet ampliora, auro potissimùm abundat, & ab Officina Monetaria (in qua Aurei, vulgò* Ducati *dicti, Thaleri & Nummi minores perpetuò cuduntur) commendabilis. Arcem in colle obtinet. Aër & aqua ibi minùs salubris est; hinc multi strumosi, muti, surdi, lippi & fatui inter operarios abjectiores reperiuntur.*

3. Neosolium *ad fluvium Granum sita, obtinet in colle Castrum munitum, quòd etiam*

ten-

templum primarium comprehendit. Camera regia, ejusdem Cameræ Comes & Assessores, copia cupri & terræ medicæ ex vicinis montibus, præsertim ex valle Dominorum erutæ, forum hebdomadale, campana magna, Organum Ecclesiasticum, splendida civium ædificia, & annonæ vilitas, hanc civitatem commendant.

4. Tyllen Oppidulum metallis jam exhaustum est, & vetustate reliqua vincit.

5. Pugganz hodie abjectum ferè est oppidulum, Turcicis incursionibus infestum.

6. Regius mons olim etiam cultior fuit. Acidulis gaudet.

7. Libeten exiguum oppidum.

Boza Carpona, olim etiam metalli feraciores fuerunt atq; nunc sunt. Non procul inde mons tempestuosus est, Teüffels Hochtzeit dictus.

Vetus-solium habet adhuc quasdam auri, argenti, cupri & argenti vivi fodinas, quæ tamen minùs hodie curantur. Oppidum præter arcem vetustam nil solidæ structuræ obtinet. Palis cingitur. Solum horum oppidorum montanorum ut & Sepusiensium, vites ferre recusat, ob asperitatem aëris ex montibus Carpathicis exhalantis.

Prividia *oppidum in colle situm, inclaruit* *Croco nobilissimo, qui quondam ibi copiosè cre- vit, & Hispanicum, Italicum, Gallicum & Austriacum longè superavit. Hodie verò ex agr Prividiensi migravit in proximum* Boimo- censem, *ubi & Thermæ sunt.*

Thot Lipscha *prædita est arce super mon- tem locatâ.*

Trentschinium *ad Vagum fl. libera & ele- gans est civitas, cum suburbiis longissimis & ar- ce illustri Comitis Illyeschazi munita, therma vicinas habens.*

Biecza *obtinet Sepulturas Illustr. Comitun Thurzonum noviter, quoad masculinum sexu prorsùs extinctorum.*

Freistetel *sive* Galgoczium *similiter a Vagum fluvium in colle condita, ampla civita. Anno 1636 penitùs in cineres redacta est. Arce editam obtinet. Mercatu boario, Nundin menstruis Domino terrestri (ratione educillati nis vini) lucrosissimis, vini culturâ & therm vicinis claret. Non procul indè dissitæ sunt the mæ Pisthenses ad Vagum fl.*

Tirnavia *in planitie sita, civitas libera, el gans, gaudet Collegio Canonicorum, & Acad miâ novâ Jesuitarum. Incolæ pleriq; negotiat*

omib

onibus dant operam. Patria est Johannis Sambuci Mathematici, Poëtæ & Historici CL. In ea quandoq; residet Archiepiscopus Strigoniensis.

S. Georgii *oppidum* & Pœsinga *vineis præstantissimis abundant.*

Orientaliora Hungariæ oppida sunt subsequentia:

Zepsinum *vulgò* Moldaw & Sixovia, *ambo clarent nundinis.*

Jassovia *sedem præbet Episcopo Agriensi cum Canonicis ejusdem Capituli. Habetur ibi quoq; alius Conventus Canonicorum cum Præpositura oppidi situ amœnissimi & nundinis clari.*

Kerestur, Liska, Thalia, Gůnczium & Szanto *bona vina producunt.*

Tokainum *Castrum, situm est ad Confluentem Tibisci & Bodrog. Inundationibus obnoxium est. Celebratur à vino, generositate vel Malvaticum vincente, & à bolo medico. Oppidum juxta se habet non adeò præstans.*

Tarczal *nobilissimi etiam vini ferax est, ejusdem saporis cum Tokaino, quæ duo oppida viniferum montem communem habent, quem propter similitudinem tentorij vocant,* Czatar Tokaiense.

Szendre *oppidum munitissimum, situm est in aëre pestilenti & insalubri. Obtinet duas arces; unam intrà mœnia, alteram* Zadvar *dictam, super montem.*

Patakinum *situm est ex una parte inter paludes, quæ castrum valdè muniunt. Gymnasium obtinet haud ignobile.*

Toczva *situm est in gemmifero solo, ut &* *Arx* Regecz.

Debrecinum *ampla, populósa inq; planicie sita est civitas, sed ædificia tantùm lignea ut plurimùm obtinens, aquis ferè carens, hinc molis equinis abundans. A mercatura & foro hebdomadario nec non Scholâ commendabilis. Principi Transylvaniæ & Turcico Tyranno tributaria est.*

Varadinum majus *in finibus Hungariæ, versùs Transylvaniam situm*, clavis *dicitur* Transylvaniæ, *& thermis claret. Castrum ejus firmissimum & clarissimum, antehac Episcopale Templum cum monumento Imperatoris Sigismundi & Regis Ladislai continebat, ante paucos autem annos jussu Gabrielis Bethlen Transylv. tùm Principis dirutum, & in propugnaculorum formam redactum est. Oppidum satis amplum est, sed ædificiis vilioribus refertum*

tum

tum. Nec audent cives editiora è lapidibus ædificia exstruere, ne Turca adveniens, sua latibula sub iis posteà habeat: Hinc & Templi loco areâ spatiosâ tecto humili obducta, uti cives coguntur. Zigari in copia hîc se sustentant, furtis, negotiatione equili arteq; fabrili domos proprias incolentes. Et hæc alaptorum colluvies passim in Hungaria & Transylvania Carnificum munia exercere solet. Commendatur etiam hæc civitas à Consistorio Ecclesiastico & Scholâ probè constitutâ. Cives ex mercibus Turcicis quæstum utplurimùm faciunt, rebusq; ad quotidianum vitæ usum pertinentibus mediocritèr abundant.

Nova civitas Ungrische Newstad / *Hun.* KapnikBanya *in limite Transylv. sita, metallifodinis claret.*

Ungvar *cingitur fluvio Unk.*

Uyhel *nundinis claret, in colle arce dirutâ conspicua.*

Etschyed *ob circumjacentes paludes inexpugnabile fortalitium, ad quod non nisi per ambages & pontes plurimos accessus patet.*

Munkacz, Leva, Dregel, Göstesch, Zegin, Putnok, Onoth, Erczeguivar, Berkissenina, Gyarnath, Bodonhel, Novigrad *superiùs*, Setschin, Dregel-Palank, Da-

mascht, Calo, Zatmar, Levenz, Muran, Saros, Arva, Deversser, Ugod, Diősgyőr, Castella *sive propugnacula sunt naturâ loci & arte validissima.*

Et hæc præfata loca in potestate adhuc Christianorum sunt. Subsequentia autem olim florentissima à Turcis possidentur, suntq;:

Buda, Ofen / *metropolis olim Ungariæ & Regia sedes, cum* Pesto *ultrà Danubium.*

Sigethum *oppidum tripartitum inter duos fluvios situm est, paludibus undiq; circumfluens, arx inprimis quæ & ipsa duplex est.*

Strigonium, Gran / *ad Danubium cum arce edita. Archiepiscopali dignitate olim præditum fuit.*

Agria, Erlaw / *vulgò* Vaczia, Quinq; Ecclesiæ, Vesprinum, Coloczia *omnes Episcopales sedes fuerunt urbes & sedes*

Alba regalis *sive* Stulweissenburg / *coronatione & sepulturâ Regum quondam clarum oppidum, in palustri planitie situm est.*

Belgradum, *aliàs* Jaurinum *sive* Alba Græca, Nandor alba, Griechisch Weissenburg / *ad Savi & Danubij confluentem, multis turribus & duplici muro munita; habet arcem monti superstructam. Suburbijs gaudet amplissi-*

plissimis, Turcis, Græcis, Judæis, Hungaris & Dalmatis refertis. Huc quoq; pertinent:

Sambathe, *olim* Sabaria, *patria B. Martini, rudera sua ostantans.* Temesvar, Vicegrad, Novigrad *inferior*, Hatvan, Valpon, Canisa, Jasprinum, Zegedinum, Czonadium, Zólnak, Jula, Lippa, Stridon, *sive* Strigua, *Patria B. Hieronymi*, Zenderinum *& alia innumera castra firmissima, & urbes quondam præclarissimæ, quæ singulæ ut describantur, haud operæ pretium duco, cùm peregrinantes eò non nisi raris legationibus Principum tutò penetrare queant, & nunc maxima ex parte dirutæ, exscisæ, squalore & sordibus Mahometicis oppressæ eæ jaceant. Fusiorem ac accuratiorem hujus Regni descriptionem meæ* Chronologia Pannoniæ, *(quæ ex defectu Patroni munifici hactenùs cum blattis & tineis rixas movit, nec in suum prodire potuit) suppeditabit.*

CAPUT X.

DE TRANSSYLVANIA.

TRanssylvania *ab occidente habet Ungariam:*

riam, à Septentrione Rutheniam, ab Oriente Moldaviam, à Meridie Walachiam.

Ejus longitudo est 24 mill. Germ. tanta etiam latitudo.

Fruitur hæc Regio maximâ parte Cœlo temperato. In planioribus quidem & meridionalibus locis, præsertim ad Albam Juliam, Æstate æstus ferè intolerabilis sentitur, à quo aliquando me vix atq; vix vel in profundioribus cellariis latitans, defendere potui. In locis contra montosis aër longè est vegetior. Et talem dispositionem cœli, cum vicina Hungaria ferè habet communem.

Terra etiam naturâ suâ, non secùs ac Ungaria, auri ac argenti feracissima est, imò & amnes nonnulli ramenta aurea ferunt, auriq; fragmenta quandoq; sesquilibralia trahunt. Metallinæ fodinæ celebriores sunt ad Zalatnam & Rivulos Dominorum, ubi purissimum aurum grandioribus quandoq; glebis effoditur. Et hujusmodi auri abundantia sufficienter probatur ex vetustis aureis Romanorum monetis, quæ hâc nostrâ adhuc ætate frequenter ibi effodiuntur. Argentifodinæ habentur Offeræ & Radnæ, ubi quoq; cuprum auro argentoq; intermixtum offenditur. Chalybs ad Czik, Ferrum ad Thorosco

rosco & Waida Huniad. *Antimonium & Sulphur in cuprifodinis effodiuntur. Sal præstans in Maromarussiæ tractu & aliis pluribus locis eruitur, & aliorsum vehitur.*

Frumenti *omnis generis ubertim profert, subq; cælo vix datur locus qui triticum felicius producat, quàm hæc Transylvania: ibi enim culmi triticei arundinis instar crassi & longi pleriq; sunt. Incolæ alio pane quàm triticeo haud vescuntur. Siliginem rarius serunt, cum eâ, ut & milio (quo abundant) tantùm in saginandis porcis cæterisq; pabulandis pecoribus atq; jumentis utuntur. Habetur præterea hîc genus frumenti paucis aliàs terris familiare, Alica dictum, cujus spicæ & culmi formam hordei repræsentant: Coloni eo, ut & fabis pecora sua saginare solent. Hordeum non adeò feliciter ibi provenit, nec id incolis pro cerevisiæ coctione cùm vinum bibant, usui est. Nec modum coquendi cerevisiam probè nôrunt, hinc pleraq; eorum cerevisia insipida, turbida, nec defæcata, ideòq; minus salubris est.*

Vinum *quod abundè fert, Valachico, Franconico, Marchiaco, Austriaco, Moravico præstantius est, sed Rhenano & Hungarico vilius, tartarosius & magis sulphureum, idcircò chira-*

grant

gram & podagram incolis facilè conciliat. Salubriora atq́; generosiora vina ad AlbamJuliam, Devam, Engedinum, Birtheilmium, Fenischium & ~~Mediesinum~~ *proveniunt.*

Campus *undiq́; armentis plenus est: Ex qua abundantia nonnunquam bos robustissimus 7 vel 8 florenis divenditur, qui in Germaniam actus 50 vel 60 taleris solidis constat. Carnis bubulæ una libra, imò quandoq́; duæ præsertim tempore autumnali unico numulo cōstāt. Equos insuper egregios & pernices educat, quos exteræ nationes magni faciunt, grandiq́; pecuniâ coëmunt.*

Apibus *tàm sylvestribus, quàm domesticis maximè affluit, præsertim* districtus Altlandicus. *Ex his cera & mel copiosè colligitur, nec non mulsum generosum, Lithvanico æquiparandum, herbis salutaribus & varijs aromatibus conditum coquitur, & vicinis accolis, grandi vi pecuniæ divenditur.*

Sylvæ *feris omnis generis refertæ sunt. Suntq́; in ijs plurimi viri, sylvestres equi, quorum juba ad terram usq́; sunt demissa, item cervi, damæ, vulpes leporesq́; prægrandes, quorum pelles commodè subducuntur togis muliebribus. Lupi & ursi in partibus* Oberlandiæ & Altlandiæ

quandoq́;

quandoq́; gregatim ad 30 vel 40 incedunt, & sin-
gulis ferè noctibus hyemalibus equos dilaniant.
Præfati Oberlandii, ingens lucrum quærunt,
ex has enim unicus paterfamilias annuatim 300
vel 400 florenos colligere solet, quantam summam
æris vix vicinus accola ex vineis, quibus ipsi qui-
dem destituuntur, corradere valet.

Herbis insuper medicis variisq́; simplicibus,
campus ubivis exornatissimus est. Circa pagos,
oppida atq́; sepes absynthium, Ebulus, Helenum,
raphanusq́; major copiosissimè proveniunt.

Fluminibus gaudet piscosis, navigabilibus
ribus, nempe Keresſ, Maruſch & Aluta di-
ctis. Sunt & alij amnes auriferi.

Sylvis & montibus cùm Carpathicis, tùm
Valachicis undiq́; instar coronæ cincta est, imò
vix ab uno oppido vel pago in alium datur tran-
situs, nisi per sylvosos colles & montes, quorum
eminentiores sunt in meditullio ferè Transsylva-
niæ, ad castrum munitissimum Fogaraſch di-
ctum, suntq́; istæ Alpes invia nivibus perpetuis
candentes. A copia ergò Sylvarum hæc regio
Transsylvania dicta est, eò quòd ad eam non ni-
si trans sylvas pateat ingressus & egressus. Sic
& Hungari eam Erdély vocant, hoc est, sylvo-
sum locum, Germani Siebenbürgen/ à septem
pri-

primariis urbibus suis munitis sive castris: Burg enim Germanis idem quod castrum vel munimentum significat.

Accessus paucissimos eosq; angustissimos habet, quibus contra irruptionem peregrini hostis incolæ se defendere queunt. Horum præcipui sunt subsequentes 8. 1. Turzburgum sive Turtzfest/ propè Coronam versùs Walachiam. 2 Rubea turris, Der Rothe Thurn/ à Cibinio ad Austrum duobus milliaribus Transylvanicis. 3 Ferrea porta, Das Eyserne Thor/ ad Brosch & Meresch sita. 4 Circa Claudiopolim ad fluvium Keresch. 5 juxta Desch ad fluvium Somos. 6 Circa Bistricium. 7 in Schuck Cæculiæ. 8 ad Busau Cæculiæ.

Antèhac Transylvani ad nonaginta & ampliùs millia; Siculi sive Cæculi suprà 60 millia armatorum producere potuerunt.

Inhabitatur à Germanis sive Saxonibus, Hungaris, Cæculis & Valachis. Lingua Saxonum priscam Saxonicam redolet, pro was / das / dicunt wat/dat; pro unser Brodt/ dicunt auser Brut; pro Krebs dicunt Kribs. Germanos eò venientes contemptim appellant Moser / cujus nominis significationem ipsimet nec explicare possunt: Suntq; in hac hæresi, se longè præstantiores esse

cæteris Germanis. Sunt autem hi prisci Germani in Transylvaniam deducti, non quidem ut nonnulli perperàm in literas retulêre à Carolo M. Imp. Rom. (neq; enim Carolus M. unquam in Pannonia seu Dacia bellum gessisse idoneis testibus comprobari potest) sed à Geisa Rege Hung. divi Ladislai fratre, prout earum urbium vetusta, quæ extant diplomata, testantur: Vel sunt posteri priscorum Germanorum, Dacorum & Getharum, Pannoniam olim incolentium, uti hoc in mea Chronologia Pannoniæ *fusiùs probo.*

Religionem dicti Saxones Lutheranam amplectuntur, & templa ab idolis & sculptilibus repurgata habent. Reperiuntur quidem inter eos etiam Photiniani, sed non nisi Claudiopoli, Thordæ, *& in circumjacentibus locis. Senatus apud illos constituitur ex Consule Regio Judice, Sedis Judice, villico sive* Han/ *& 12 Assessoribus. Regij Judices non in quibusvis civitatibus habentur, sed tantùm* Cibinij, Medveschini, Schesburgi, Millenbachij, Ripschij, Brossij, *sive* Schosvarossij. *Consules constituuntur* Cibinij, Schesburgi, Medveschini *&* Ripschij.

Habitum viri eundem gerunt cum Hunga-

 ris,

ris, aliquando tamen prolixioribus togis & tunicis delectantur. Nec pudet quosdam per totam æstatem calidissimam vestes pellibus vulpinis aut lupinis subductas gestare. Ecclesiarum ministri tunicis puniceis cingulis rubri vel cærulei coloris, atris autem togis, vulgò Reverendis *utuntur. Pastores oppidani plerique uberiores habent ex decimis vini & frugum proventus, urbanis; quibus pecunia stipendij loco numeratur. Hinc ex urbibus in oppida promoventur: Principi censum Cathedraticum annuatim grandem deponunt, quem in octo Capitulis Parochialibus quæ ipsi* Universitatem *appellant, colligunt.*

Fæmineus habitus non satis compositus videtur. Habent enim angustas nec satis prolixas vestes, & non nisi in dorso plicatas. Cervicem collumque usque ad humeros nuda ostentant. Ubera quidem tegunt fibulâ rotundâ satis amplâ, argenteâ, inauratâ gemmisque exornatâ, sed ea adeò est ponderosa, ut si quando fœmina vel puella se modicùm tantùm inclinaverit, facilimè ubera nuda prosiliant, & spectatorem vel ad pudorem, vel libidinem provocent. Quædam in alienis fibulis superbientes procis, opibus inhiantibus fucum faciunt. Capita sua nec sertis, nec cestibus exornant, sed capillos super humeros demittunt.

Fron-

rontalia tamen gestant, vel holosericea vel ar-entea, ad similitudinem dictarum fibularum ullatarum. Maritatæ palliis nigris prolixis ne-ue plicatis vestiuntur. Pelliceis quoq; oblongis porinis absq; superinductura utuntur. A mitris oloſericeis, vel è pellibus muris Fennici confe-is abstinent, & non nisi vittis vel rubris vel bis goſſypinis caput tegunt. Viduæ & matronæ randævæ caput insuper linteo goſſypino ſubtili velant.

Peregrini & alij à Principe Transſylv. facilè lvum conductum & liberum commeatum per niversam Transſylvaniam commendatione ali-ijus primarij aulici impetrare ſolent; quo de na civitate in aliam vehuntur, inq; hoſpitiis mtibus publicis curâ Præfecti, vulgò Hann icti, biduum vel triduum cibo & potu lautè ccipiuntur, & post ulterius promoventur. Hæc rincipis ergà peregrinos & miniſtros ſuos bene-centia incolis quotidianas ferè moleſtias creat, grandi vi pecuniæ eos emungit.

Elegantiores, insigniores & liberæ urbes à axonibus inhabitatæ, ſunt 7. Harum prima metropolis eſt Cibinium Hermanſtadt / ad vum Cibin, inter paludes & piſcinas, partim colle, partim in planicie condita, ædificiis

 præal-

præaltis nitens, propugnaculis & profundis fossis superbiens. Dispositione & amplitudine sui Viennæ Austriæ vulgò comparatur. Ædificiis egregiis, quæ utplurimùm lateritia tecta habent, superbit. Sinhulæ plateæ rivulis irrigantur. Ob aërem uliginosum & insalubrem minùs populosa est; hinc primariæ quandoq; domus inhabitatoribus destituuntur. Cives Chiragra plurimùm laborant, ex usu vini calcinosi. Cæteræ sex civitates in hac conventus suos celebrant. Pannificio & coctione mulsi sapidissimi claret, Templum & porta quædam Epigrammata Romanorum exhibent. Typographiam hujus civitatis superioribus annis turpiter prostituit alastor Marcus Pistorius injuriosus, quandoque chartas impunè in ea imprimendo.

Cibinio distant uno milliari salinæ fodinæ in Wizagna Germ. Saltzburg/ ex quibus ingens thesaurus colligitur. Nec longè Cibinio abest oppidum Helta, castello firmo præditum & mediocris amplitudinis. In hoc falces messoriæ præstantissimæ fabricantur. Paulò infrà Heltam est Mons S. Michaelis & lapidea arx, in quam tempore belli incolæ omnia sua bona important tanquam in asylum.

2 Corona sive Brassovia, Kronstadt

inco

ncolis & mercatu hebdomadali frequens, civi-
is intrà montes amœnissimos sita est, mœnibus
r arcibus editis munita, sed per angustias con-
allium fossis ferè carens. Ædificiis egregiis,
uæ utplurimùm tamen scandularia tecta ha-
ent, superbit. Rivuli per singulas plateas pro
llendis sordibus descendunt. Suburbiis tribus
mplissimis instructa est, quorum unum Bulga-
i, alterum Hungari, Saxones & Cæculi terti-
m inhabitant, Bibliothecam, Typographiam,
cclesiæ & Scholæ reformationem primùm ibi
stituit Johannes Honterus, cujus tamen os-
i è sepulchro templi superioribus annis impru-
enter sunt effossa, & idiotæ cujusdam cadaver
ibstitutum. (Hic incidenter notandum, quòd
ransylvani sepulchra primævia tepetibus Tur-
icis vel Persicis pretiosissimis vice lapidum te-
ant) Districtus hic in quo Corona sita est, ap-
ellatur Burzia vel Burzlandia, estq; Trans-
lvaniæ pars postrema (Da das deutsche Va-
er vnser / ut vulgò dicitur, ein ende hat) sed
mœnissima, & sic ab ea diremta, ut ferè altera
ransylvania sit nuncupanda. Clauditur undi-
ue montibus sylvosis & alpibus editissimis, quæ
ransylvaniam ex Orientali parte à Walachia
ransalpina separant. A Cæculis fluvio Alutâ di-

 rimitur.

rimitur. Ex Occidentali parte, quâ scilicet Ci-
binio in Burziam itur, transcendendus est, per
3 milliaria mons pontibus stratus sylvosus, Der
Zeydenwaldt / dictus, ab oppido Zeyden / ul-
trà montem sito, quod à templo munitissimo &
cerevisiâ triticeâ commendatur. Hæc regiun-
cula frumentum & linum felicissimè atq; copio-
sissimè profert, estq; quasi horreum vicinarum
gentium.

3 Segesvaria, Scheßburg / ad fluvium
Köchel est sita, partim in colle, partim infrà ad
radices. Inferior pars non adeò est munita, quàm
superior, quæ arcis formam repræsentat; illa
tamen plures opifices fovet, ob aquæ & aliarum
rerum necessariarum copiam.

4 Medveschinum in meditullio Transyl-
vaniæ situm, celebre à clade quadam Ludovi-
ci Gritti, Gubernatoris. Templum habet in
monte munitum, pro more hujus nationis, quæ
templa instar propugnaculorum munire solet.
Ager ipsius vini ferax est.

5 Bistricia, Nösen / ad fluvium Bistriz
condita, in vitifero agro, elegans & valida est
Civitas. Cives hîc puriùs Germanicè loquun-
tur, quàm in reliquis civitatibus, sed plurimi è
plebeis sunt strumosi, surdi, muti, fatui, vitio
aëris & aquæ.

6 Za-

6 Zabesus, Mülnbach/ *oppidum est dumeto, lacunis & piscinis ex Occidentali parte munitum. Ædificia habet mediocris structuræ.*

7 Clausenburgum, Claudiopolis, *sive* Colosvaria, *ad Schomos fl. urbs ampla, perpulchra, populosa, mercaturâ & annona vilitate celebris, utplurimùm à Photinianis, apud quos summa potestas rerum est, inhabitata. Reperiuntur hîc Hungari, qui in aliis 6 præfatis Saxonum civitatibus in numerum civium non cooptantur. Princeps Transylvaniæ in hac plerunq; conventum publicum instituit. Visenda hîc domus genitalis* Matthiæ Hunniadis *&* Stephani Boczkay. *In porta urbis Portina Epigramma Trajano adscriptum videre licet. Typographiam continet Photinianorum.*

Alba Julia, Weissenburg/ Feyervar, *ad Marussium fl. ab arce & sede Principis, ut & Gymnasio, commendatur. Castrum passim vetustissimorum palatiorum ruderibus, & antiquitatum Romanorum monumentis scatet, quorum tamen præcipua translata sunt in stabulum Principis, domumq; Bathorinam, quæ & Typographiam & officinam monetariam antehac continebat, nunc verò habitationi Professorum inservit. In porta civitatis* Romulus *&* Re-

mus *lupam sugentes, saxo insculpti sunt. Templum majus multis Regum & Principum monumentis condecoratum est. Rudera suburbana de amplitudine prisca, hujus castri locupletes testes sunt. Fuit enim olim Regia, Regum Daciæ. Hodiè oppidum, mœnibus exclusum, inhabitatur ab Ungaris.*

Torda *sive* Torenburg, *ad amnem auriferum Araniam situm, antiquitatum vestigiis, pane candido & salinis nobile oppidum, sed hæresi Photinianorum infectum est.*

Engedinum *oppidum castellum continet. In foro legitur Epigramma vetustum.*

Bros, *Hung.* Zazvaros *ad Maruschium fl. oppidum munitum, in numerum Saxonicarum civitatum, loco Claudiopolis, à Christi verâ agnitione digressæ, receptum, à Germanis inhabitatur. Gaudet solo fœcundissimo.*

Deva *arx est in edito monte condita.*

Berthalinum *vinetis melioribus præditum est, ibi plerunq; Episcopus Saxonicarum Ecclesiarum residet.*

Vaida-Huniad *inter montem Vulcani & Orlæ angustias, propè rudera* Ulpiæ Trajanæ. *sive* Sarmisgethusæ, *urbis quondam nobilissimæ atq; amplissimæ condita est. Ferrifodinis gaudet.*

Deves

Deves *metallifodinis nobilitatur.*

Rips *sive* Rupes, *amplum oppidum, arte claret scopulosâ, salinis & solo frugifero.*

Viz *copiam Anabaptistarum fovet.*

Kisdinum Kayst / *oppidum amplum, arce editâ præditum est. Profert vina austera.*

Kleinschelken *commendatur à vino generoso.*

Agneten *varios mechanicos, inprimis optimos fabros habet, sed solum ejus vinum austerum producit.*

Kochlburg *aquis undiq; cinctum est.*

Fogaraschinum *in palustri & plano loco situm, adeò munitum castrum obtinet, ut cuniculis expugnari non possit.*

Abrugbania & Keresbania *montanæ civitates sunt, auri & argenti fodinis præstantes. Exhibent quædam antiquitatum vestigia. A Saxonibus & Walachis inhabitantur.*

Zalatna major & minor *maxima olim fuit civitas, uti ex vetustis monumentis apparet. Hodiè à Walachis inhabitatur, & à metallifodinis commendatur.*

Haczak *oppidum, montibus & alpibus editissimis cinctum, à Walachis & Hungaris excolitur.*

 Hust,

Huſt, *caſtrum eſt editiſſimum & validiſſimum.*

Varhely *eſt locus vetuſtæ urbis, cujus rudera Walachi crebrò vertunt, ac lapides pretioſos, numiſmata & alia antiquitatis monumenta ex viſceribus terræ effodiunt.*

Atq; hæc de Tranſylvania ſtrictim dixiſſe ſufficiat, quando prolixiorem eſſe operis inſtituti ratio haud ſinat.

Reliquæ conterminæ regiones, uti ſunt: Walachia, Moldavia, Bulgaria, Servia, Boſnia, Raſcia, Illyricum, Sclavonia, Dalmatia, Thracia, Græcia, *quia hodiè meram Turcicam barbariem ſapiunt, nec urbibus ſplendidis, exceptâ* Conſtantinopoli *ferè unicâ, nec aliis rebus præclaris aut viſu dignis, præditæ ſunt, à literatis peregrinatoribus ut loca obſcura, periculoſa & invia minùs frequentantur; hinc & earum deſcriptionem meritò negligimus. Porrò ne præfata illa celeberrima* Conſtantinopolis *uti* univerſi Turcici Imperij epitome, *ſilentio videatur à nobis ſuppreſſa, de ea, brevitate Laconicâ, memorabilia ſubſequentia, recenſebimus.*

Conſtantinopolis *ſitum habet totius ferè orbis terrarum pulcherrimum, in extremitate*

Thraciæ atq; Europæ, ad Bosphorum. Olim Imperatorum Orientalium Christianorum, jam verò ab anno Ch. 1453 Turcicorum Tyrannorum sedes, tria cum dimidio milliaria Germ. in circuitu, & ad septingenta millia hominum complectens, quorum tres partes Turcæ, duæ partes Christiani, cæteri verò Judæi sunt. Referunt in hac esse 7477 plateas majores & minores; 5337 Fana majora & minora, 447 templa Christianorum; 418 diversoria; 100 Xenodochia; 895 balnea; 947 puteos publicos; 584 molas; 20 fora; 515 Scholas majores; 1652 Scholas minores; 24 portas. Ex his tamen olim splendidis ædificiis plura hodiè vastata, quàm exculta visuntur. Aliorum insuper ædificiorum angustissimorum ruinas & novas structuras exhibet, qualia sunt veteris Hippodromi area, vulgò Armayden *dicta, in quo loco duo sunt Obalisci, & æneus serpens, Theatra, Palatium Constantini, ejusdemq; monumentum è lapide Porphyretico, Columna marmorea historiata, ut & aliæ passim Columnæ, aquæductus & cisternæ sumtuosissimæ, Arx munitissima.* Jadicula *sive Castellum novum, Palatium Imperatoris Turcici cum viridario, Palatium Sultanæ, uxoris Imperatoris, Sardyum juvenum. Armamentarium.*

rium & Stabulum Suldani. Templum S. Sophiæ, hodiè Mesquita Turcorum, Bezestan sive domus mercatoria, domicilium Patriarchæ, &c.

CAPUT XI.

DE POLONIA.

POloniæ *Regnum olim non tàm amplum fuit, atq; nunc est. Acquisivit enim partim armis; partim ab exteris Principibus, quos ad regias dignitates promovit; partim connubiis, multas amplasq; Provincias, nempè* Lithvaniam, Masoviam, Livoniam, *(cujus tamen hodiè majorem partem Rex Sveciæ possidet.)* Podoliam, Volhiniam, Rutheniam *sive Russiam meridionalem* Podlassiam, Borussiam, Samogittiam. *Hinc se extendit à flumine Notes & Obra (quæ illam à Marchia dividunt, & à fluvio Viadro, qui ipsam à Silesia distingvit) ad Beresinam & Boristhenem sive Nyeper usq;, qui ipsam à Moscovia separant: à mari Balthico ad flumen Nyester, quod eam à Moldavia distingvit; & ad montes usq; Carpathos, qui ipsam ab Hungaria separant. Et ita occupat à fini-*

à finibus Silesiæ, ad terminos Moscoviæ usq́;, inter Occasum & Ortum 120 milliaria Germanica, nec minùs ab ultima Livoniæ parte, usq́; ad fines Hungariæ.

Polonia *propriè dicta, dividitur in* Majorem, *quæ & Septentrionalis dicitur, quam mediam penè intersecat Warta fl, navigabilis, & in* Minorem, *quæ Meridionalis vocatur, quam percurrit Vistula fl. item navigabilis.* Polonia Minor *montosa est, præsertim ad fines Hungariæ, ubi montes Sarmatici in longum & latum sese extendunt, Cæteræ partes & Provinciæ, omnes se in latissimos campos explicant. Sylvis & lacubus utraq́; scatet.*

Major & Minor Polonia, Russia, Prussia & Livonia *frequentiùs inhabitantur, quàm aliæ Provinciæ hujus Regni; & quidem propter opportunitatem maris, portuum & fluminum. Samogithia incultior est, retinetq́; plus barbariei. Podolia etiam valdè deserta, ob Tartarorum crebras incursiones. Abundat hoc Regnum frugibus omnis generis, lupulo, lignis, melle, cerâ, salinis, plumbo, argento, cupro, ferro, lino, cannabe, pecoribus, equis, bobus, bisontibus, alcibus aliisq́; feris; quæ cuncta etiam remotissimis Regionibus copiosè suppeditare solet.*

Archiepiſcopos 2, nempè Gneſnenſem & Leopolienſem, 14 Epiſcopos, 30 Palatinos & 83 Caſtellanos obtinet,

Rex Poloniæ ex ſolis Nobilibus, qui privatis ſumtibus Regno militari adſtricti ſunt, centum quinquaginta millia gravioris & levioris armaturæ militum in aciem educere poteſt; Ex quibus colligere eſt, quantopere hoc regnum Nobilibus ſcateat.

Incolæ utplurimùm ſunt bellicoſi, feroces, ingenioſi, urbani, lingvarum variarum cognitione, & longinquis peregrinationibus prudentiam acquirentes: vindictæ cupidi, bibuli, in cultu corporis ſumtuoſi, familiæ ſplendorem præ ſe ferentes. Nobiles libertatibus ferè nimiis gaudentes, de munitionibus limitaneis extruendis minùs ſunt ſoliciti, prætendentes ſua pectora pro Regni defenſione ſufficere. Plebei ſunt laborioſi, voraces, vino ſublimato ſeſe multùm ingurgitantes. Fœminæ formoſæ & in Venerem proclives.

Civitates iſtius Regni pleræq; ſunt ligneæ, mœniis carentes, ad fluvios vel lacus ſitæ, arcibus præditæ. Ex illis verò, quæ alicujus ſunt ſplendoris & eminentiæ, principem locum meretur Cracovia, *quæ non tantùm* Poloniæ

mino-

minoris, *sed universi Regni metropolis nobilis-sima & celeberrima est, ad Vistulæ & Rudavæ fl. sita. Ædificiorum privatorum juxta ac publicorum splendore, tum rerum omnium ad necessitatem cultumq; vitæ pertinentium copiâ; ad hæc hominum frequentiâ, civilitate & elegantiâ non solùm inter Septentrionales illas primum locum obtinet, sed etiam cum clarissimis Germaniæ, Italiæ, Galliæ urbibus certat. Aëre gaudet salubri, solum habet amœnum, auro, argento, plumbo, cupro, ferro, marmore quoq; & alabastro, aliisq; è terra nascentibus fœcundum. Tribus oppidis contiguis constat*, Casmiriâ, Clepardiâ & Stradomiriâ, *præter* Judæorum *ut &* Cerdonum vicum, *undè vel* Tripolis vel Pentapolis *dici potest. Commendant hanc urbem 1 Cathedra Episcopalis. 2 Mercatura insignis. 3 Arx Regia, ampla, perpulchra, munita, in colle* Vavel *condita, quæ novâ turri & templo S. Stanislai, regiis manumentis, altari argenteo, præstantissimis Sacellis (quorum unum tecto inaurato splendet) egregiè exornata est. 4 Academia cum suis Collegiis. 5 Curia Pontificis. 6 Prætorium. 7 Templum B. Virginis. 8 Templum novum Jesuitarum. 9 Palatium regium,* villa Lobzovia *dictum, hor-*

tis & ædificiis excultissimum. Visu insuper digna sunt non procul ab hac urbe duo vetusta monumenta in colle condita, in uno Cracus, urbis conditor sepultus fertur, in altero Venda filia Craci prudentiâ ac fortitudine celebris tumulata jacet.

Obtinet hæc urbs in suo agro Ducatum Osvicensem & Zatoriensem, quorum uterq; à metropoli sua arce præditâ nomen accepit.

Quatuor à Cracovia milliaribus non procul ab urbe Landskron, Mons Calvariæ est, ad normam ejus qui Hierosolymis est, accommodatus, Monasterio, Xenodochio & aliis splendidis ædificiis, præter ordinarias ædiculas exornatus, qui locus à peregrinis devotionis causa multùm frequentatur & celebratur.

Sendomiria oppidum Min. Pol. arte & naturâ firmum, à Palatinali dignitate clarum. Situm est in colle, quem Vistula alluit. Arcem habet rupi impositam. Juxta hoc oppidum sunt duo fana, unum S. Jacobo, alterum S. Paulo sacrum, utrumq; arboribus & sylvâ circumseptum, & à devotis frequenter visitatur.

Lublinum urbs stagnis cincta, nundinis clarissima, magnificis ædificiis & præcelsis turribus conspicua; quæ & commodissima vel Regibus

gibus ad habitandum palatia ac conclavia, & firmissima ad quamcunq; vim excipiendam propugnacula præbent. Visu hîc præcipuè digna sunt, Arx in colle eminentiori ad stagnum amplum condita. Collegium & Templum Jesuitarum, sive Joh. Baptistæ, Fanum D. Virginis cum Monasterio S. Brigittæ de Triumpho, officina & Turris hydraulica, Prætorium, officinæ papyraceæ, Delubrum Ruthenicum, Judæorum Synagoga.

Posnania *metropolis Majoris Poloniæ ad Vartam fl. navigabilem & Prosniam amnem, inter colles condita, muro duplici & fossâ cincta, ædibus lapideis exornata, & arce in eminentiori colle prædita, Academiâ Jesuitarum, Satrapiæ, Episcopatu & nundinis famosissima. Monasteriis & Templis nitet, Suburbia amplissima, stagno ingenti paludibusq; circumdata sunt, quæ sæpè cum Vartha adeò exundant, ut in foro passim navigetur, & pagi vicini per triduum aquâ ferè obtegantur.*

Gnesna *Maj. Pol. inter lacus collesq; sita, olim Regia, nunc Archiepiscopali sede & nundinis clara. In hac Civitate est Ecclesia Cathedralis Metropolitana, in qua corpus D. Adalberti depositum fertur.*

Bietza *oppidum munitissimum minoris Poloniæ, irrigatur fluvio Rapâ, è cujus spumis sal, vel, ut Braunius vult, sulphur conficitur. Castellum proprium habet.*

Zamoscium *nova, elegans & munitissima est urbs, ad fluvium Vieperzek, à Regio Cancellario condita, in qua observanda Arx, Collegium Jesuiticum, Armamentarium, Bursa, Curia, Gielda cum 3 templis.*

Sandez *ad Donajez & Popradi confluentem condita est.*

Calisſav *claret Collegio Jesuitarum.*

Bochna & Vielyzcka *ob salinas celebria oppida, quorum fundamenta instar cuniculorum sunt perfossa, ideò habitationi minùs tuta.*

Lelovia *ad Bialla fl. claret curiâ Regiâ, in qua conventus nobilium celebrantur.*

Checiny *fodinis Lazuli nobilis & argenti. Ejus arx in scopulo posita est.*

Casimiria *inter scopulos ad Vistulam jacet.*

Ostresov *sylvis undiq; circumdata est.*

Wartha *civitas ampla ad fluvium ejusdem nominis.*

Konin *cum arce, Warthâ fl. cincta, & non nisi pontibus pervia.*

Slupiza *ad Wartham, propugnaculis firma.*

Sira

Siradia *cum Arce ad dictum fl.*

Vielunia *civitas munita cum arce firma.*

Petricovia *in loco palustri, à Comitiis, curiis Episcoporum & Magnatum nobilis. In Suburbio est curia Regia & turris, in qua causæ judiciales celebrantur. Alia insuper curia regia est extrà urbem,* Bugay *appellata, ex lignis levigatis sub nemore amœnissimo extructa.*

Czeschtochova *oppidum claret templo Mariæ, vicino in colle edito, ad quod religiosæ peregrinationes instituuntur.*

Fraustadium *in finibus Silesiæ, molis alatis plus quàm trecentis gaudet. In hoc Evangelium Christi docuit* Valerius Herbergerus, *scriptis clarissimus, de me benè meritus.*

Viesnicz *oppidum nobilitatur ab Arce.*

Rakav *oppidum non incognitum ob Photinianorum Scholam, quæ tamen nuper sublata est.*

Belzicium & Lesznicium *commendant Gymnasia Evangelica.*

Nochouu & Paluky *campos habent, ex quibus ollæ naturales effodiuntur.*

Crusvitia *cum arce ad lacum Gablo sita, ex quo mures olim prodierunt, qui* Popelum *Principem Poloniæ ibidem in arce devorârunt. Hic*

olim sedes Regia, quæ posteà Cracoviam, indè Warsaviam translata est.

Wislica *inter lutosas paludes in scopulo sita, in quibus ingens colluvies reptilium omni generum grassatur.*

Korezin, Urzedov, Lucov, Parcov, Roscien, Calis, Naklo, Sadek, Rospiza, Lancicia, Orlovia, Piatek, Bresima, Brestia, Radzieiov, Kovalov, Gostinin, Raczyaz, Srensko, Radzanov, *lacunis paludosis singula pleraq; etiam arcibus & fluviis probè munita oppida sunt.*

Miedzyrzecze *etiam inter paludes lutosas & flumina sita civitas, arcem obtinet munitissimam, & non nisi fame expugnabilem. Eam Germani aliquot annis gravi obsidione oppresserunt, attamen re infectâ discedere coacti sunt.*

II. Masoviæ *Ducatus duas tantùm memorabiliores civitates habet, nempè* Warsaviam *&* Lovicium.

Warsavia *ad Vistulam, in meditullio regni Poloniæ condita, à sede Regiâ & comitiis, quæ ibi institui solent, celebris. Dividitur in veterem & novam. Utraq; tàm publicis quàm privatis ædibus, è vivo saxo constructis, exornata est. Mulsum ibi in frequenti usu est. Pons ligneus*

igneus in tota Europa non datur longior, atq; ... ic supra Vistulam latissimam stratus est.

Lovicensis *civitas ad Bisuræ ripam est Ar- hiepiscopi Gnesnensis residentia, in arce naturâ ænosis nempè paludibus & opere munitissima, itis plateis, hortis amœnis, & variis opificibus rariis, non secùs ac Noriberga, ædium item plendore, præsertim Ecclesiâ Collegiatâ, duobus ratoriis, & opibus nobilis, in solo fertili condi- a. In suo territorio unicè aviculam albam sapi- am* Sniegulam *dictam, niveâ tempestate pro- ucit.*

Postov *nobilitatur Collegio Jesuitico.*

Czersko, Wissegrod, Zakroczim, Czie- hanov, Pultovsko, Rosau, Livo, Wizna, *ppida sunt lignea, fluviis adjacentia, & arci- us prædita.*

III. PODLASSIÆ *civitas principalis st,* Byelsko *ad Byalla fl. ædificia continet li- nea.*

Bransko *ad Nur fl. gaudet curiâ Regiâ judi- iali.*

Tyroczin *habet arcem opportunitate loci validissimam. Thesaurus Regius in ea asser- vatur.*

Knyssyn *inter paludes sylvosas sita, gaudet uriâ & vivario Regio.*

IV. Russia australis minor *sive nigra, adeò solo gaudet felici, ut messe factâ, ex semine deciduo ager fiat restibilis sequente anno, nec novâ semente egeat. Ejus metropolis est:*

Leopolis Lemberg / *emporium celeberrimum à magna turba Mercatorum Polonorum, Germanorum, Italorum, Hungarorum, Moldavorum, Armenorum, Turcarum, Tartarorum & Judæorum, qui Orientales merces inferunt, frequentatum. Sedem hîc habet alter Poloniæ Archiepiscopus; ut & duo alij Episcopi, Russicus unus, alter Armenicus. Arces habet duas, quarum una civitatis muro includitur, altera verò eminentissimo scopulo extra urbem imposita, ad decem milliaria conspectui patet. Domus obtinet lapideas atq; etiam marmoreas, vicinis latomiis, non saxa modò, sed gypsum etiam, marmor atq; adeò alabastritem lapidem suppeditantibus pellucidissimum. Curiam habet magnificam. In foro amplo merces omnis generis, tàm domesticæ, quàm exoticæ, magnâ copiâ venales exponuntur. Ecclesia Metropolitana, Palatium Archiepiscopi, Cœnobium Corporis Christi, Judæorum duæ Synagogæ, Templa Armeniorum, Russorum & aliarum sectarum, Typographia, Horti amœni, Suburbia ampla, pellium*

aula

ulæarum ſericearum , carpionum , luciorum, ecentium & ſalſorum , vulgò Reyſiſche Lem-erger Fiſche dictorum, ceræ , mellis & mulſi enerosi copia , Granarium , officina æraria , & andem ſtagna circumjacentia , urbis commoda ugent.

Jaroslavia, *Emporium eſt celeberrimum, mœniſſimum, ampliſſimum , nundinis clarum.*

Premislia *ad Sani fl. navigabilis ripam, n ſolo fœcundo & amœno ſita , ſiligine & ſale co-to, nec non aliis mercibus, quas copioſè ad alia oca devehit, dives & celebris civitas , ædibus ulchris, inprimis Prætorio ſplendidiſſimo, tem-lo parochiali auguſto & arce munitâ gaudet. Duobus Epiſcopatibus cohoneſtatur , quorum u-nus Epiſcopus Latinis ſive Romanis, alter Ruſſicis Eccleſiis præeſt. Viſu etiam ibi dignum eſt Vi-varium regium.*

Croſna *oppidum ad territorium Epiſcopalis Civitatis præfatæ Præmisliæ (quæ etiam Caſtel-lani fulget dignitate) pertinet , circumluitur Jaſiolda fl. Visloca verò medium interfluit. In ſolo fertili ac amœno poſitum eſt. Pannificio cla-ret. Ejus inſigniora ædificia ſunt Monaſterium Franciſci & Curia. Hinc non procul diſtat Arx validiſſima* Camyeniecz *in eminenti ſcopulo condita.*

Colomnia *à coctione salis notum oppidum.*

Drochobycz *salis fodinis claret.*

Belz, Halicia, Zidacov, Grodec, Rohatin, Lubaczov, Hrubyesov, Grabovviez, Thyssovice, Chelm, (*ubi sedes Episcopalis*) Crasniſtav, Ratno, Lynbovsya, Sambor, Sanak *& alia quamplurima oppida, ad fluvios & inter paludes posita, arcibusq; munitis prædita sunt.*

V. Podolia *adeò fœcunda est, ut semen in agrum conjectum, quandoq; centuplum referat fructum, eaq; ibidem est pratorum ubertas, ut boum cornua vix è gramine appareant. Fertiles tamen agri quidam, adeò sunt duri & petrosi, ut bisseni boves, aratro uni ducendo, vix sufficiant. Ibi quoq; interdum tanta vis est frigoris, ut radicitùs arescant arbores, & aqua ex editiori loco effusa, priusquam terram contigerit in glaciem concrescat. Hæc regio est pecorosa & boves grandiores producit, qui passim in alias regiones abiguntur & deducuntur.*

Ejus civitas nobilior est Camyeniecz *divinâ ferè manu inter arduas clivosasq; rupes constructa. Arx illius etiam rupe petrosâ undiq; cincta est. Sæpiùs ab ea Tartari, Turcæ atq; Valachi repulsi sunt.*

Bar & Myedziboſz *oppida inter paludes ſita ſunt cum arcibus ſuis.*

Brezama, Chmielnik, Braslav, Vinnicza, & Svinigrod *civitates ligneæ, ligneas etiam obtinent arces.*

VI. LITHVANIA *latè patens, minùsq; culta Regio, Paludibus & ſylvis horridis ſcatet. Hyeme nonniſi obſervatione ſyderum, itinera longinqua, per eam conficiuntur; melle, cerâ, cinere, pice & aſſeribus pro fabricandis navibus, frumento quoq; (hinc* Cereris horreum *dicitur) abundat, & aliò tranſmittit, ſeges tamen non ſemper ad maturitatem pervenit. Ejus metropolis eſt:*

Vilna, *Civitas Epiſcopalis, ampla, lignea, populoſa, non undiq; mœnibus cincta, inter colles ſita, ad confluxum fluviorum Veliæ & Vilnæ. Ædes obtinet confusè poſitas, depreſſas, ſcandulis ligneis tectas, nec cubilibus, nec coquinis, nec ſtabulis diſtinctas, nec fumariis præditas, paucæ tamen plateæ ab exteris nationibus inhabitatæ, elegantioris ſtructuræ ſunt. Parentes cum liberis, jumentis & beſtiis ad focum, eodem in hypocauſto fætido agunt, ubi & puerpera duro incumbit ſcamno. Nullus ibi lectorum uſus. Ditiores utuntur urſinâ pelle loco lecti. Quæ*

barbaries etiam in pagis Polonicis passim observatur. Arces duæ regiæ, una in civitate, quæ amplior est, altera in monte, lateritiæ sunt; hæc armamentario instructissimo gaudet. In aula Rhutenorum venales exponuntur maxima in copia merces Moscoviticæ, inprimis pelles Martium, Zabellarum, Hermilinorum, Vulpium nigrarum &c. Celebriora ædificia sunt Bernhardinorum Cœnobium, Cancellaria, Domus Teutonica, Palatium Episcopale, Curia Waivodæ, Templum Græcorum, Prætorium, Collegia Jesuitarum. Dimidio milliari ab urbe distat Viridarium & vivarium regium, utrumq; visu dignum. In Suburbiis quæ confusè sunt ædificata Tartari habitant, qui utplurimùm sunt bajuli, aurigæ, agricolæ. Cives nec liberalibus artibus, nec opificiis student, sed otio dediti, nobilium sunt servi, & instar mancipiorum tractari cupiunt. Frequentissimus mulsi generosi (quod passim in Lithvania copiosè coquitur, & per alias Europæ regiones distrahitur) vini adusti, cæparum & allij usus, domus fumosæ, infumibulis carentes, videndi ipsis aciem adimit, ut non alibi plures, quàm in hac urbe cæci sint homines. Ad urbem ob paludes non nisi glaciali hyeme commodus accessus datur. Tantæ magni-

tudinis

-tudinis est, quantæ Cracovia cum suburbiis omnibus.

Grodna, *ad Cronon sive Nieme fl. proximas dignitates à Vilna tenet. Sita est partim in planitie, partim in collibus modo confuso. Mœnibus caret. Nobiliora ædificia in ea sunt Arx & domus regia, super montem conditæ. Duo Templa Russorum, unum in urbe, alterum in Suburbio, Templum Polonorum, Curia & Stabula regia.*

Vilkomeria, Lida, Wolkovisko *oppida curias obtinent judiciales.*

Cauna *est urbs satis ampla, quæ promiscuè à Germanis & Lithvanis inhabitatur.*

Bratislavia *arcem habet in scopulo ad locum conditam.*

Troki *olim sedes fuit Ducum Lithvaniæ.*

Borissov *arcem habet roboream, inter paludes, contra incursiones Moscicas, satis validam, & præsidiariis instructam.*

Novogrodek *ampla civitas Palatinalis.*

VII. Vohlinia, *regio Russiæ, incorporata Lithvaniæ, obtinet primariam Urbem,* Kioviam, *quæ olim totius Russiæ fuit metropolis, sita est ad fl. Boristhenem, ligneis septis circumdata. Ejus prisca amplitudo sese ad 8 milliaria*

ria extendebat, uti testantur ruinæ. Cavernæ subterraneæ ad 80 milliaria Russica ibi protendi dicuntur. In his plurima antiqua sepulchra, illustrium virorum, cum cadaveribus integris ostenduntur peregrinis. Ad Kiovam, monticulus quidam est, in cuius difficiliore ascensu, si fortè currus frangatur, merces aliæq; res impositæ fisco vindicantur.

Luczko sede Episcopali & arcibus duabus claret.

Krzemenec civitas ampla, castro ligneo gaudet.

Zbarasz & Korec oppida cum arcibus Ducatûs titulo superbiunt.

Viterbsk civitas magna ad Duinam fl. arces duas obtinet, quæ omnium Lithvanicarum arcium sunt fortissimæ, contra incursum Moscorum.

Poloczko amplissima civitas ad Dvinam fl. arcem habet munitam. Anno Christi 1562 in Moscorum potestatem pervenit, pòst verò à Stephano Rege Poloniæ recuperata est.

VIII. SAMOGITIA nec arces, nec oppida habet, præter Gauniam, in qua Starosta residet. Commendat singulariter hoc oppidum Mulsum excellentissimum quod ibi coquitur.

Hæc

Hæc natio terram suam quæ admodùm tenax est, vomere non ferreo sed ligneo arat.

IX. LIVONIA *est Regio palustris, plana, nemorosa, fluminibus piscosis & navigabilibus irrigua, agri pingvissimi & fertilissimi. In sylvis apes, alces, vulpes, lynces, martes, zabellos, hermelinos & castores habet. Lepores pro anni tempestate colorem mutant. Hyeme sunt albi, æstate cinerei. Equorum, boum & porcorum pingvium, magnà inest copia & vilitas. In hac Regione multi sunt Lycanthropi.*

Primaria totius Livoniæ Civitas est Riga, *ad Dvinam fluvium, quà se in sinum Venedicum exonerat, mœnibus, propugnaculis, turribus & tormentis bellicis apprimè instructa. Emporium diversarum nationum frequentatione, celeberrimum. Arcem habet munitam, in qua olim Magistri ordinis Teutonici sedem habuerunt. In foro grandi copiâ exponuntur venales merces Septentrionales, uti sunt: pix, linum, cannabis, cera, pelles.*

Ad ostium Dvinæ, mari proximum est Dunamunda *arx inexpugnabilis, ad quam naves omnes exteræ portorium pendunt. Est & medio intervallo præsidium regium,* Das Blockhauß *dictum, ad quod naves iterum excutiuntur.*

Hæ autem duæ Arces Rigensibus maximè invisæ sunt.

Derpt *insignis urbs Episcopalis, habet arcem in colle munitam.*

Revalia *urbs celebris cum arce munita ad sinum maris Balthici condita, sede Episcopali clara.*

Segevalt, Kokenhaus, Habsel, Lehal, Venden, Felin, Nerva, *singula hæc oppida arcibus munitis gaudent. Sunt præterea & aliæ arces validissimæ nempè* Kircholm, Uxul, Lenvard, Ascherad, Dunemburg, Sancel, Lode, Verder, Grubin, Soleburg, Farnest, Tolczburg, Vesenburg, Bercholm, Badis, Vitenstein.

Livoniæ meritò subjungitur Ducatus Curlandiæ, *cujus civitates maritimæ sunt* Memel, Haligov, Liba, Schalte, Schere, Vindav, Irben *duplex*, Plelen, Goldingen, *arce & districtu capaci gaudet.*

X. Borussia Sarmatiæ ocellus, Polonici orbis delitium, Vectigalium officina, *est regio fœcundissima, importationibus & exportationibus variarum mercium apta, propter frequentiam fluminum, sinuum, portuum. In littoribus vicini maris Balthici succinum pas-*

sim

sim colligitur. Dividitur in Regalem & Ducalem. Illius caput est Dantiscum, *sive* Gedanum; *hujus* Regius mons^e^.

Dantiscum, *ad Vistulæ, Modlaviæ & Rhodani confluentem, emporium amplissimum, florentissimum, munitissimum, elegantissimum & populosissimum, in quo* Keckermannus, *Philosophus ille CL. natus, professus & sepultus est. Coquitur in ea spississima cerevisia,* Doppelt-bier *dicta. Visu in ea digna sunt, Basilica capacissima, cum turri edita, & horologio Symphoniaco: Cœnobia Monachorum alborum, nigrorũ, griseorum: Curia, Palatium, Domus & Hortus Mercatorum,* (der Juncker Hoff vnd Juncker Garten) *in hoc fons; in illa fornax vulgò observatur, Armamentarium, Granaria, Collegium, in quo inter cæteros Professores Mathesin, cum fructu & laude, profitetur* M. Petrus Krügerus, *Vir scriptis celeberrimus, amicus meus observ. Extra urbem duo etiam colles sunt notabiles,* Der Bischoffs vnd der Hagelsberg. *Suburbium prolixissimum,* Schotland *dictum, omnis generis opifices continet, quorum quisq; suum peculiare Insigne exhibet. Plateæ urbanæ pleræq; nimis sunt angustæ, ideòq; sordidæ, quòd urbem hanc aliàs nobilissimam, multùm dedecorat.* Ad

rat. *Ad ostium Vistulæ, dimidio milliari, ab urbe est* Pharus, *instar arcis munita* die Münde/ das Blockhauß *dicta, quam Stephanus Poloniæ Rex, adhuc tùm ligneam, expugnare haud valuit; opus certè admirandum.*

Regiomontum, *emporium Mercatorum & literarum famosissimum, ad Pregelam fl. triplici oppido gaudet, unum dicitur* vetus, *in quo Basilica; alterum* Lebenicht/ *in quo Arx Ducalis (cum turri edita) & monasteria, Curia Episcopalis, Domus convivalis Mercatorum* Der Junckerhoff *vulgò dicta: Tertium* Kneiphoff/ *in quo Cathedralis est Ecclesia, & Collegium Academicum, in quo* Joh. Böhm *&* Mislenta *Viri præclariores, Theologiam profitentur. Platea communiter* longa *dicta, nitidissimas ædes obtinet. Portu gaudet munitissimo* Pillau *dicto.*

Thorunium, *ad Vistulam fl. genuit* Copernicum, *Mathematicum illum eximium: mercaturâ & Gymnasio celebris est urbs, Jesuitæ in ea etiam Scholam habent. Vulgò commendantur Dulciariæ placentæ, botuli & napi Thorunienses, qui in alias quoq; regiones transportantur Prætorium & Domus Regia ædificia sunt magnificentissima.*

Elbinga

Elbinga, *ad fl. ejusdem nominis, non quidē ampla sed eleganter disposita, atq; valdè munita Civitas, olim claruit mercaturâ Anglorum, qui ibidem suam stationem habuerunt, ea verò Dantiscum jam translata est. Curia, Templum Parochiale, Collegium, Taberna sive Popina Mercatorum, nec non hortus eorundem,(* Der Junckerhof vnnd Garten/ *) ubi singularem splendorem addunt. Suburbiis amplis & granariis plurimis gaudet.*

Braunsberga *oppidum est munitum, populosum & haud inelegans, ad fl. Passariam, Collegio Jesuitarum nobile.*

Frauenberga *à Canonicorum Collegio,(in quo Copernicus vixit) & templo nitidissimo claret.*

Culmsee *sedes est Episcopi Culmensis.*

Graudentum, Ressel, Allenstein, Melsatia, Helsberg, (*ubi Episcopalis sedes*) Vermeditum, Brandeburgum, Schonsee, Stesburga, Golba, Luben, Reden, Holland, Stum, Christburg, Merinck, Osterode, Rosenburg, Marienverder, Germanica Eulovia, Neuenburga, Saldavia, Strasburgum, *sunt oppida, arces obtinentia. Universæ verò Prussiæ Castrum firmissimum & amplissimum est* Mariæburgum, *sibi adjunctum*

habens oppidulum nitidissimum. In Castro monstratur Turris, cujus lateres & cæmenta lacte coagmentata dicuntur.

Regno Poloniæ contermina est MOSCOVIA, *terra 400 milliarum patens & vasta. Hujus descriptio autem ad nos non spectat ; quia ea nulli peregrino privato peragrare concessum est ; sed perpetui mancipij loco habetur : Si verò clàm indè discesserit, summo studio investigatur, captivus reducitur, & vitâ mulctatur, Imò nec indigenis absq; veniâ Ducis in alias regiones exire licet.*

CAPUT XII.

DE DANIA. & NORVEGIA.

DANIÆ *Regnum*, propriè sic dictum, *multis suis partibus, marinis interseptum fluctibus ab Ortu Sveciâ, à meridie Holsatiâ, ab occidente Ducatu Slesvicensi, à Septentrione Oceano Germanico terminatur. Ubi Sveciæ adjacet*, Scaniam, Hallandiam, Blekingiam, *provincias habet amœnas, fertiles, populosas.*

Undè

Unde brevis, in Seelandiam, *locupletissimam insulam trajectus. Seelandiæ ad meridiem* Lalandia, Falstria *& minores aliquot Insulæ subsunt, & alia, sed occidentalior nempè* Langelandia: *Indè* Fionia, *quæ & ipsa una ex præcipuis Daniæ insulis, sed Seelandiâ minor est cui 37 Insulæ minores adjacent.* Cimbricam, Chersonesum, hoc est Holsatiam, Ditmarsiam, Slesvicensem Ducatum *&* Fictiam *Germaniæ adscribimus.*

Divitiæ Regis Daniæ consistunt in Portorio navium & vectigali boum. Incolæ negotiationes utplurimùm instituunt cum Salpis, halecibus & aliis piscibus salitis vel induratis, piscium pingvedine, equis, bobus, pellibus, melle, cerâ, mulso, lignis, lacticiniis, quæ singula aliis nationibus copiosissimè communicant.

Hafnia *vulgò* Koppenhagen / *Daniæ metropolis, emporium in* Seelandia *maritimum, nobilissimum, populosissimum, vallis & propugnaculis probè munitum. Basilica ibi est elegans in qua coronantur Reges. Propè eam est Collegium Academicum. Arx regia est structuræ vetustæ & angustæ: Viridarium, Armamentarium regium navale, & cella penaria visu dignissima sunt.*

Helsenöer *sive* Coroneburgum, *inexpugnabile & stupendæ structuræ castrum est* Seelandiæ, *cui par vix tota Europa habet : Nam quòcunq; te vertis, vel turres præcelsas, vel tectum auro fulgentissimum , vel muros Italicâ formâ & fenestris pulcherrimis ornatos videbis. Nil dicam de interiore magnificentia Palatiorum, Conclavium, Porticuum, Culinæ, Balnei areæq; spatiosissimæ, fontibus & statuis, mirum quantùm condecoratæ !*

Helsingoburgum, Scaniæ *civitas , arce editissimâ insignis, sita est in ipsis penè faucibus, & ad Fretum , dimidio milliari Germanico latum , per quod in Codanum sinum illabitur Oceanus, Germani vulgò nominant :* Den Sund/ *per quod nautæ transeuntes , pro singulis lastis talerum , pro singulis malis, rosam nobilem pendere coguntur , & ab hoc portorio potior pars Proventuum Regis Daniæ dependet. Oppido toti , quâ in longum patet, mons imminet. Nundinæ ejus ab equorum & boum venalium copiâ clarent. In Templo B. Virginis innumera visuntur insignia Nobilitatis Danicæ. Castrum in prærupto monte positum, oppiduli amplitudinem obtinet, in cujus meditullio turris spectatu dignissima est.*

Fride-

Fridericiburgum, *est secessus regius amœnissimus & munitissimus. Educantur in hoc plerunq; Regij filij.*

Coronia, *vulgò* Landskron / *arce validâ, Prætorio pulchro, templo vastæ magnitudinis & portu opportuno gaudet. Habentur in ea anniversariæ nundinæ populosissimæ.*

Sora *superbit Academiâ novâ Nobilium.*

Rœschildia *fovet Canonicos Evangelicos. In ejus Templo præter monumenta Regia & Epitaphium* Saxonis Grammatici, *Danorum Historici, multa etiam alia memorabilia visuntur. Non procul ab hac urbe* Frodisberg, *Pons & 7 acervi lapidum, viatori occurrunt, de quibus locis incolæ multa memorabilia referunt.*

Lundia *Collegiatâ Ecclesiâ ornata est, quæ sub Choro cryptam habet. Horologio gaudet artificiosissimo, quo ad observationes scilicet Astronomicas & simulacra apposita.*

Malmogia. Scaniæ *civitas arce munitissimâ insignis est, & ædificiorum magnificentiâ splendidissima. Circa hanc halecum piscatio frequentissima, à festo Bartholomæi ad Dionysij usq; festum per septimanas circiter 6 continuas instituitur. In foro spacioso est Prætorium perelegans. Ex hac civitate oriundus fuit D.* Casparus Bar-

tholinus, *Philosophus, Medicus & Theologu* *Scriptis celebratissimus.*

Ellenbogen *splendore ædificiorum & mu nitionibus Hafniæ proxima est. Indè* Falsterbo Scanor, Sommershagen, Trellenberg, U stede, Selsborch, Elholm, Ronenby, Ly kon, *celebriora loca sunt.*

Visburg *olim emporium in hoc Balthico ma ri præcipuum, veteris magnificentiæ rudera o stentat. Residet in eo Gubernator regius.*

Bornholm *Ins. arce* Hammershusen, *&* *oppidulis* Sandvich.

Nex Svenicen *&* Rodna *exculta.*

Uraniburgum *in Ins.* Huena, *arx à nobil. Dano & Astronomiæ restauratore* Tychoni Brahe *ædificata, & variis machinis Mathema ticis referta est.*

Mona *Ins. candidis Cretæ montibus, latè in mari conspicua est.*

NORVEGIÆ *Regnum, Daniæ (quâ borealiu est) hodiè subjectum, claret emporio* Bergâ *nun cupata, undè salpæ, vulgò* Stockfisch / *aliiq pisces exsiccati ad nos copiosè perferuntur. Hæ simul Metropolis & Archiepiscopalis civitas est inq; ea Mercatorum famuli ludo Neptunio dive xantur.*

Nidro

Nidrosiæ *videre est templum totius Septentrionis celeberrimum, quod tamen de suo pristino splendore multa amisit.*

CAPUT XIII.

DE SVECIA.

SVECIA *Regnum vetus, habet ad Occasum Norvegiam; ad Boream Lappiam, ad Ortum Russiam; ad Austrum Mare Balticum & Daniam, Regio est omnium Aquilonarium fertilissima, compascua, cujus maria, lacus & flumina piscium variorum proventu sunt fœcunda. Campi vaccas passim sustinent, longè pingvius lac præbentes Belgicis. Agri plani vix decimo anno stercorantur, præcipuè in Angermannia, ubi & maxima copia esocum datur: E visceribus terræ eruuntur varia metalla, mineræ & lapides pretiosi, utpote plumbum, ferrum, cuprum, argentum, (quod circa* Slaburgum *est purissimum) sulphur, alumen, vitriolum. E montibus* Dalecaresiensibus *hauritur aqua quæ ferrum in cuprum transmutat; qualem aquam etiam* Smolnizij *Sepusiorum esse diximus. Adamantes, Amethisti, Topazij, Rubini & similes lapi-*

des pretiosi in montibus Lappiæ *&* Kexholmiæ *crescunt. Sylvæ feris sunt refertæ & mellificio nobiles. Aliquibus in locis terra aspera & alebrosa est, præsertim in* Bothnia , *ut ut Esocibus aliàs fœcunda. Frigus hyemale illis est tolerabile , hinc & hypocausta eorum fornacibus calefactis destituuntur. Incolæ viribus præstantes sunt, strenui, bellicosi, hospitales. Maritimi piscatu vivunt, & piscibus potiùs salsis , fumo induratis , vel vento exsiccatis, quàm recentibus vescuntur. Necessitatis quoq; tempore ex corticibus abietum & picearum panem pinsunt, suis stomachis accommodatum. Mediterranei ex agricultura, pecoribus & metallis sese sustentant. Quisq; ferè rusticorum opificium callet, & Calendarium Gothicis literis baculo insculptum secum habet.*

Partes Sveciæ sunt: Svecia, Gotia , Finlandia, Ingermannia , Lapponia *meridionalis*, Smalandia, Eslandia; Carelia, Bothnia. *Provinciæ ejusdem sunt præcipuæ :* Uplandia, Vestmannia, Dalecarlia, Nericia, Sudermannia, Stelsingia , Vermelandia, Ostgothia, Thiustia, *& quædam loca* Russiæ *ut & Livoniæ potiores partes, de quibus posterioribus sub Polonia dictum est.*

Svecia amplitudine suâ Galliam & Italiam superat. Intra 14 dies Rex Sveciæ 36 mille peditum facilè colligere potest. Naves militares armatas 60 ordinariè in portu sustinet. Tormentorum sive machinarum bellicarum numerus ad 8000 sese extendit.

Metropolis Regni est Stockholmia, emporium nobile & sedes regia, munita cùm naturâ tùm arte: Sita enim est in colle ad paludes, instar Venetiarum, ad ostium maris Svecici. Arx regia ampla & ferè inexpugnabilis est, continens 400 tormenta majora. Ab hac urbe ad fines usq; Sveciæ Lapponiam versùs, ducenta numerantur milliaria Germ. Vaxholm & Tigma Speculæ atq; Castella urbis sunt munitissima, pro observandis navibus.

Upsalia ad Salam sita in centro Sveciæ, claret Academiâ, sede Archiepiscopali, arce editâ, templo nitidissimo cum sepulchretis Regum, nec non Horologio artificiosissimo.

Gricholm inhabitatur à variis mercatoribus & opificibus exteris.

Oregund obtinet stationem commodam navium, mare Bothnicum petentium.

Arboi suppeditat aliis nationibus arma & instrumenta bellica præstantissima, quæ ibidem fabricantur.

Arosia *abundat mineris argenti excellentissimi.*

Gotiæ *civitates sunt:*

Calmar *Castellum habens munitum.*

Vessum *vicinum est lacui ingenti, aquæ calidæ.*

Sudercop *celebris est à nundinis.*

Nordcop *ostentat saxa, formas variarum rerum naturalium repræsentantia.*

Telga *exhibet Pyramides saxeas cum Gothicis literis.*

Lincop *Prælatum habet, & variis rebus affluit.*

Schening *plateis gaudet pulchris atq; longis.*

Scara *est civitas Episcopalis munita, in lacu sita.*

Lodese *Portu optimo prædita est.*

Cætera loca ferè sunt obscura, rebus memorabilibus carentia.

CAPUT XIV.

DE MAGNA BRITANNIA.

ABsolutis nobilioribus Europæ Continentibus, restant Insulæ Europeæ præ-

cipuæ

cipuæ perlustrandæ; è quibus principem locum meretur BRITANNIA, *ut quæ Insularum Europæarum propè maxima est, & in ambitu suo 409 mill. Germ. comprehendit, nec alia Insula toto terrarum orbe illustrior est; ideoq; à Peregrinatoribus plurimùm frequentatur. Illam, ab Ortu, Oceanus Germanicus; à Septentrione, Deucaledonius; à Meridie, Fretum Belgicum alluit:; ab Occasu Insulæ Hiberniæ vicina est. Longissimus ibi dies est horarum 18. Terra non adeò frugifera, sed pro alendis gregibus aptior; hinc vix tertia pars aratro proscinditur, sed majus spatium pabulationibus relinquitur. Roris marini copia tanta ibi est, ut & sepes hortorum ijs texantur. Crocum etiam fert. Aëre crassissimo, cœlo verò temperatissimo fruitur, adeò ut rara ibi fulmina & morbi pauci. Vinum non fert, sed cerevisia coquitur in ea optimi saporis, quæ & in Germaniæ urbes maritimas passim transportatur. Colles undiq; multi nullis arboribus consiti, neq; aquarum fontibus irrigui, sed tantùm herbæ tenuissimæ atq; brevissimæ feraces, quæ tamen ovibus abundè pabulum suppetit, unde oves tenuissima ferunt vellera. Et hoc vellus verè aureum est, in quo potissimùm Insulanorum divitiæ consistunt; nobilissimum*

enim

enim pannum inde conficiunt, qui per universum ferè terrarum orbem divenditur. Nec destituitur metallifodinis, è quibus aurum, argentum, plumbum, cuprum, ferrum, lazurum, non tamen in tanta præstantia eruitur, quàm stannum, quod omnium Europeorum est nobilissimũ celebratissimumq;. Producit etiam nonnullas gemmas, Adamantem & Gagatem sive Succinum, lapideos carbones, cespites ustibiles. Vitrariis insuper officinis ornata est. Equos parvos, ast celeres, canes grandes sive molossos præstantissimos generat. Lupos non fert sicut nec ullum aliud animal noxium, præter cuniculos, & copiam cornicum, quæ segetem absumunt. Oppidis munitis paucis gaudet.

Incolæ sunt ingeniosi, bellicosi, boni nautæ, astuti, agiles, sed simul cinædi, histriones, in victu & vestitu luxuriosi, aucupes, Philothecam sive Album amicorum nihili facientes.

Præ cæteris Insulis hæc valdè populosa est: nam Rex 100000 pedites & 20000 equites in aciem producere potest. Reditus Regis annui sunt 15 circiter tonnæ auri. Civitates 136, Pagos 50000 inquilinos 160000 sola Anglia absq; Scotia obtinet. Dividitur enim in duo Regna, Angliam *(sub qua* Vallia *sive* Cambria*) &* Scotiam : *quæ*

tamen

tamen sub Jacobo VI. jam in unum coaluerunt.

Angliæ fluvii præcipui navigabiles duo sunt, Thamesis (cygnis affluens) & Sabrina.

Portus primarii Angliæ dicuntur; Daverius, Mountsbay, Volemouta, Torbay, Southantonensis, Plimmouthensis, Exoniensis, Milforthavensis.

Promontoria præcipua ejus sunt: Berubrum sive Ordehead, Bolerium, Virvedrum, sive Dunsoy, & Orcas sive Hovburne dictum.

Academias duas celebres habet; Cantabrigæ & Oxfordij. Londini insuper omnes Facultates publicè à diversis Professoribus docentur.

Archiepiscopos duos & 47 Episcopos continet, à pompa Pontificia alienos.

Olim hæc Anglia ab Anglo-Saxonibus in 7 Regna distributa fuit, quæ ordine cum suis hodiernis Comitatibus, Civitatibus & castris primariis recensebimus.

1. Primum Regnum fuit CANTIUM, quod nunc Comitatus est candidis montibus constans. Hic in portu Dole Julius Cæsar primus Britanniæ subactor, primùm appulit. Mari Gallico adjacet, celebraturq; à promontorio Cantio, hodiè The Foreland dicto. Civitates primariæ ibidem sunt subsequentes:

Madi-

Maidstone *populosa oblonga urbs.*

Rochester *vetustum oppidum est, habens suburbia ampla, templum egregium, castellum firmum & navale regium capacissimum.*

Canterburg *pervetusta Archiepiscopalis civitas, ad Stour fl. excellit basilicâ spectatissimâ.*

Dover *à portu Gallis opportuno, castello excelso, Palatioq; Arthuri nobilis est.*

Gravesond *portu Belgis commodo, castello & diversoriis plurimis instructa est.*

Gronevich *spectatissima arx est regia cum vivario & viridario amænissimo, nec non nave, quâ Franciscus Draco totum circumnavigavit orbem.*

Depfort *navali & armamentario regio instructa est.*

Lid, Nervenden, Tenterden, Benenden, *sunt quoq; Cantij oppida lanificio nota.*

Eltham & Otford *arces sunt regiæ.*

II. Suthsexia Regnum *hodiè in provinciam redactum, fodinas ferri non adeò præstantis habet, ejus metropolis* Chicestria *est satis ampla, in qua residet Episcopus.*

Rhie *in portu suo Gallicas excipit naves.*

Arundel *nobilitatur arce Comitum de Arundel.*

Leves

Leves *populosa & ampla est civitas.*

Hoc priscum Regnum complectitur etiam Co-mitatum Surry dictum, in quo est Nonesuch, *(hoc est, nusquam sui simile) Palatium regium stupendæ structuræ & admirandæ amœnitatis, gaudens Bibliothecâ insigni, viridariis & luco Dianæ.*

Richmond *ad Thamesin fl. perpulchra arx regia est, continens Bibliothecam & speculum insigne. Non procul inde distat:*

Kingstoxium *frequens emporiolum ad Thamesin fl.*

Beddington *palatio, viridario & opere hydraulico superbit.*

III. Eastanglia *continet Provincias subsequentes:*

1. Est Nortfolck; *cujus primaria & Episcopalis civitas.*

Norvich *ad fl. Gerne sita est, obtinens mœnia firma, curiam egregiam & domos privatas pulchras, plurimosq; incolas.*

Yarmout *sive* Garienis *ostium, perpulchra & munita civitas, nobilitatur portu tuto.*

Lynne *ampla, opulenta & nitida civitas, commendatur à commodo portu.*

Buckenham *castrum est firmissimum, elegantissimumq;.*

2. Sutfelk *Provincia à caseis præstantissimis nota, duabus civitatibus gaudet.*

Bury *sive* Edmundsbury *emporium est haud ignobile.*

Clare *ostentat rudera arcis Ducum de Clarenz.*

3. Cantabrig *plurimùm croci fert, & in ea passim præstantissima coquitur cerevisia, ejus celebris urbs* Cantabrigia, *in loco uliginoso & minus salubri ad Canum fl. locata est, obtinetq; castellum in colle amplum atq; vetustum. Platearum elegantiâ, Templorum frequentiâ, & copiosissimis iisq; pulcherrimis Collegiis Academicis, cum Sacello augustissimo nitet. Celebrantur hic à Festo Michaëlis usq; ad Festum Martini nundinæ frequentissimæ.*

Elie *oppidum insulare atq; Episcopale ab egregio Fano commendatur.*

Adeline *regia arx quoad architecturam præstantissima.*

IV. Vestsexia *continet*

1. Cornvalliam *sive* Cornubiam, *& in hac Provincia proceræ staturæ homines generantur, montesq; stanno præstantissimo protuberant. Est ibi celebre promontorium* Bolerium *sive* Antivestæum, *vulgò* The land end *dictum,*

ut &

ut & portus notissimus Volemouth *sive* Falemouth *nuncupatus.*

2. Devoniam *sive* Denshire *quæ celebris Provincia est ob portum tutissimum capacissimum fortissimumq́ʒ, à* Bleimund *vel* Plimmouth *dicto. Ibi etiam est civitas portu gaudens* Dertmouth.

Kirton *sive* Cridiantum *S. Bonifacij, Apostoli Germanorum patria est.*

Exonia *sive* Excester *Episcopalis firmaq́ʒ est civitas portium opportunitate, lanificij præstantiâ, Templo collegiato, arce editâ & amplis suburbiis commendabilis, sed in sterili solo condita.*

3. Somersethiam, *provinciam amplam, populosam, portuosam & fertilem. Ejus oppida sunt:*

Bathonia *à thermis clarum.*

Bristolia *vulgò* Bristov *florentissimum, firmissimum, portuosissimum atq́ʒ mundissimum est emporium, secundas à Londino partes obtinens. Jacet ad ripam Avonij fluvij. Templum D. Mariæ & S. Crucis (quod super lanam fundatum est) & turris rimas agens, observatu digna sunt. Vicinæ rupes Adamantum adeò sunt fertiles, ut navem onerariam iis implere possis.*

Velles *oppidulum elegans, populoſum nobilitatur templo, collegio & aulâ Epiſcopali.*

Taunton, Somerton, & Bridgevater *ſunt etiam Somerſethiæ oppida.*

Vicina Inſula Avalonia *Latinis* Glaſconia *dicta, oſtentant rudera celeberrima Monaſterij* Glaſtenbury *dicti, in cujus cœmiterio monumentum viſitur Arthurij, Regis Britannici fortiſſimi.*

4. Vilthoniam, *Hæc Provincia habet elegantem civitatem* Malmesbury, *à lanificio notam.*

Maildulfesburge *oppidum commendatur à Monaſterio.*

Calne *vetuſtum oppidum, per Synodum in eo Anno Chriſti 977 infeliciter celebratam innotuit.*

Sarisbury *Epiſcopalis, populoſa & opulenta eſt civitas, templo Cathedrali, (quod feneſtras tot, quot annis dies; tot marmoreas columnas, quot annus horas; tot portas, quot annus menſes continet) curiâ ligneâ eleganti, & foro capaci ſuperbiens.*

In Grecellade *oppido olim Græci Philoſophi Scholam erexerant.*

Huc ſpectant Marleborov & Edington *oppida.*

5. Dorſe-

5. Dorsetiam. *Hæc obtinet portum* Veymouth *& nobilem urbem* Dorcester, *item* Schirburne, Vimburne, *in cujus monasterio est monumentum regium. Rudera etiam arcis Regum priscorum Westsaxonum ibidem apparent.*

6. Suthantoniam. *Hæc 18 emporiis instructa est, quorum metropolis* Southanton *intra duos fluvios sita, ab elegantia ædificiorum, opulentiâ civium, mœniis firmis, portu tuto, nec non munito castello commendatur.*

Winthchester *pollet Castello, Collegio, Episcopali templo & aulâ.*

7. Bercheriam. *Nunc temporis hæc Provintia Comitatûs titulo superbit, obtinens* Vindesorium, *castrum regium, situ peramœno gaudens, cujus templum celebre est à sepultura Regum Garrettiorum, sive equitum Periscelidis, nec non à ceremoniis eorundrm, die Georgij anniversalibus, Notandæ ibi tres præcipuæ areæ, ut & sphæristerium cum ambulacro venustissimo atq; perlongo, item hypocausta duo speculis constrata; cubile cum lecto Reginæ Elisabethæ, Xystus emblematicus, Gymnasium sive Collegium,* Ætona *appellatum, viuaria & alia plurima singularia.*

Abington *peregregia est civitas.*

Maidenhead *lannificio*, *castello & equili regio oppidum est nobile.*

Vallongford *habet Castrum amplum ad Thamesin fl.*

V. Northumbria *complectitur subsequentes Provincias:*

1. Lancastriam, *in qua* Manchester *præstans civitas est; item* Lyrpole, *portum obtinens navigationi hybernicæ opportunum.*

Lancaster *metropolis, ob egregiam arcem, & pontem præstantem laudatur.*

2. Northumbriam *propriè sic dictam, in finibus Scotiæ. Et hæc obtinet Britannicum vallum cum muro* The Pictsvall *nuncupatum. Ibi quoq; est præstantissimum Castellum* Tinmouth *sive* Tinæ *ostium.*

Hujus primaria urbs Neucastle *inæqualiter sita est, ædificiis privatis & publicis, præsertim Castello, Ponte, Foro & Portu prædita, Mercaturâ valet, ostentatq; Romanas Prætenturas.*

Reliqua oppida sunt Norham, Morpeth, Alnevik, Bervik, *& castrum permagnum,* Bamborrov, *cui adjacet pagus* Emildon, *qui produxit* Johannem Duns, *Doctorem illum subtilem, vulgò* Scotum, *(eò quòd è familia Scotica oriundus fuerit) dictum.*

3. Ebo-

3. Eboracum, *vulgò* Vorce. *Sita est hæc Provincia ad Oceanum Germanicum, habens metropolim ejusdem nominis* Vork, *sive* Ebo-rach *dictam: quæ urbs vetustissima secundas te-net à Londino. Eam Urus fluvius dirimit. Ar-hiepiscopatu, curiâ Judiciali, Fano S. Petri, rce* The Manour *dictâ, amplitudine, elegan-iâ, fortitudine, civium copiâ ac elegantiâ præ-tat. E regione agri Eboraci in Oceano Germani-o uberrima halecum est piscatura.*

Halyfax *est locus natalis* Johannis de Sa-ro Bosco, *Mathem. CL. In hoc oppido fures leprehensi sine ulla dilatione decollantur.*

North Alverthon *unicâ prolixissimâ plateâ onstat, nundinisq; boariis & pugnâ de standar-lo dicta, claret.*

Stanfordbrigde *sive* Batlebrigde *obtinet ortũ ad quem strages insignis quondam accidit.*

Hull *opulentum atq; egregium emporium, obilitatur vicinis promontoriis* Holderneſſe *&* Flamboroughead *nec non arce insigni* Scar-orough, *ubi Belgæ piscationem halecum à Præ-de arcis illius impetrant.*

Rippon *obtinet Templum magnificum, in quo lim castitas suspectarũ fœmellarum probabatur.*

Pontfract *in situ amœno posita castello valet.*

Dancaster, Scheafield, Tikhill, Wakefeldia, Scipton, Leedes, Veterby, Hovden, Beverly, Cottingham, Bridlington, Pikering *sunt etiã Eboracensia oppida vulgaria:*

Huic Eboracensi Provinciæ adscribitur quoq; *Comitatus* Richmond, *cujus metropolis ad Svalam fl. eodem utitur nomine, & suburbiis amplis instructa est. Montes hujus loci plumbum aliaq; metalla, ut & carbones lapideos ferunt.*

4. Dunelmiam *sive Episcopatum Dunelmensem: Cujus metropolis* Durha *sive* Dunelmum *Vedro fl. cincta, à Templo Episcopali, Sepulchreto* Bedæ Venerabilis, *nec non arce nota est.*

Hartlepole *est emporium portu ornatum.*

Aukland *Episcopalis arx habet pontem insignem.*

Finchale *ostentat monumentum S. Godrici.*

Branspeth & Lumley *sunt arces præstantes.*

Vedræ *ostium, sive* Monks Veremouth, *obtinet Monasterium S. Petri, in quo Beda vixit. Hujus Theologi locus natalis in hoc quoq; est Episcopatu, diciturq;* Jarrov.

5. Cumbriam *sive* Cumberlandiam; *obtinentem murum illum Romanum limitaneum.*

Hæc

Hæc à Septentrione est finitima Scotiæ, argentum & aurum passim in tanta copia proferens, ut non tantum Angliæ sufficiat, sed etiam alienis regionibus communicet. Ejus loca præcipua sunt:

Carleolum *Episcopalis, vetusta & munita civitas, Castello nobilis.*

Bulnesse *est vicus munitissimus.*

Beaucastle *est vetustum castrum.*

6. Vestmariam *sive* Westmerlandiam, *intra montes sitam. Hujus præcipua civitas* Kandale, *ad fl. Cano à pannificio celebris est.*

VI. EASTSEXIA *sive* ESTSEXIA *continet*

1. Essexium *Comitatum, in quo oppidulum perpulchrum est* Kéeg *vicinum habens Thamedis fl. fl. ostium, sive Æstuarium ab Anglis* The Themesmouth *dictum.*

Maldon *è platea unicâ mille passuum longâ constat.*

Colchester *est amœna, nitida & populosa urbs, obtinens 15 templa, sed falsò patria Matris Constantini M. Imp. dicta.*

Harevich *gaudet portu tuto.*

Valtham *sive* Saffronvalden *ad Ley fl. frequens est emporium, arce & viridario egregio constans.*

Chonford, Ralegh, Dummov *etiam sunt oppida hujus Provinciæ.*

2. Midlesex *Hæc Provincia angusta quidem sed fertilis, metropolim habet* Londinum, *emporium Europæ populosissimum, opulentissimum, amplissimum, ad fl. Thamesin situm, plateas tamen utplurimum angustas tenebrosasq́; ex domibus ligneis inordinatè constructas habens, exceptâ ferè unicâ plateâ Aurifabrorum ad stuporem usq́; augustâ. Regimine fruitur libero, ita ut nullum agnoscat magistratum regium, licet Rex in ea sedem ordinariam habeat. E numero Senatorum quidam ordinem Periscelidum suscipiunt. Fœminæ plurimis privilegiis gaudentes fastuosæ sunt. Templa parochialia 121 obtinet, Itali, Galli, Belgæ, diversa templa habent. In 12 Collegiis* Hospitiis *vulgò dictis, nobiles juvenes maximâ frequentiâ in Jurisprudentia & Statutis Patriæ informantur. Observatu in ea digna sunt: Templum episcopale D. Pauli, in quo Rex* Etheldredus *&* Thomas Linacer *sepulti sunt; Pons miræ structuræ; vetustum Regis Palatium; Palatium Comitis de Northington; Peristylium sive Mercatorum domus, vulgò* Bursa; *Domus Hanseatica Germanorum mercatorum* Stilard *dicta; Prætorium*

sive

sive Hall; *Domus Senatoria* Gvildhall *nuncupata*; *Regia sedes* Vitchall; *Arx sive turris* Bringvin, *in qua Magnates Sontici includuntur*; *Armamentarium*; *Domus correctionis* Brittvel *palatio egregio prædita*; *Domus leonum & ferarum*; *Domus frumentaria*, Leadenhall *dicta*; *Hydraulica*; *Theatra suburbana pro histrionibus & ferarum venatoribus*: *Collegia cum suis hortis. Arx Regia* Gronvidge *dicta cum vivario.* Vestmünster *obtinet magnificentissimum Templum Regum coronationi & sepulturæ sacrum, cum Sacello septem mundi miraculis annumerato. Numerantur in hac urbe ad 350000 hominum, quorum in gratiam & necessitatem lanij urbani 9000 boves ut plurimùm septimanatim mactare solent.*

Brenford *oppidulum, Castrum* Sion *vicinum habet.*

Hamptoncourt *Regia arx est augustissima, plurimas raritates complectens.*

VII. Mercia *amplissimum quondam fuit Regnum, comprehendens Provincias quamplurimas, à quorum censu est*:

1. Glocestria *habens metropolim ejusdem nominis, ad Sabrinam fl. conditam; estq; Episco-*

palis, elegans, munita civitas, basilicâ, artificiosâ atq; Castello egregio superbiens.

Tevkesbury *pulchra & ampla est urbs, multa Ducum & Comitum monumenta in templis obtinens.*

2. Huntingtonia *à metropoli sua sic dicta, ad fluvium Usa in edito loco ponte & prato amœnissimo nobilitatur.*

Gormoncester *sive* Goordmondhester, *vicus est amplissimus, laboriosissimus, agricolis refertus.*

S. Needes *sive* Neotifanum & S. Ives *sunt oppida vulgaria.*

3. Herefordia *gaudet metropoli ejusdem nominis, quæ Episcopo sedem præbet. Templum & Collegium illi singulare decus conciliant.*

4. Betfordia *cuniculis abundans, à metropoli sua* Betford *ad fl. Usa sic dicta, continet etjam oppidulum* Dunstable & *amplum castrum regium* Ampthill.

5 Vigornia *à salinis celebris, habet metropolim ejusdem nominis, vulgò tamen* Worcester *nuncupatam, quæ sita est ad fl. Sabrinam, estq; Episcopalis, pulchra atq; firma civitas, obtinens cum Collegio Basilicam insignem.*

6. Buchinghamia, *à metropoli sua ita ap*

vellatæ, alluitur fl. Ocisâ, & molis præstat.

7. Warvicum *habet metropolim egregiam ejusdem nominis, gaudentem castello arte & naturâ firmissimo, templo ornatissimo, in quo inprimis arma Comitis Gvidonis, Gigantis conspicua sunt.*

Conventre *episcopalis, ampla, elegans & firma est civitas, ostentans duo egregia Fana, nec non costam atq; scapulam ursinam grandem. Huc pertinent* Stratford, Henley, *&* Aulcester *oppida, ut & magnifica firmaq; arx* Kenelvorth, *vivariis circumdata.*

8. Oxenfordia *uliginosa & paludosa provincia gaudet metropoli* Oxoniâ *sive* Oxfort, *estq; egregia ac nitida urbs fluviis Chervel & Isis pulsata, celebris ab Academia, Collegijs magnificis aulisq; sumtuosis, nec non Bibliothecis nobilissimis: ejus arx regia* Woodstoke, *nuncupatur. Visenda quoq; hîc sunt rudera ædium famosissimæ* Rosamundæ.

Huc pertinet Tama, Dorchester *&* Watlingten *oppida nec non regiæ arces duæ* Evelme *ac* Woodstok, *quarum posterior à carcere Elisabethi, Sacello, vivario & ruderibus ædium præfatæ Rosemundæ notior est.*

9. Leicestria *à metropoli nomen habet quæ*

ad

ad fl. Soaro posita est, claretq; ab arce & xenodochio, in cujus templo Comitum sunt monumenta.

Lutterworth *fovit* Johannem Wiklef, *Theologum illum celebrem.*

10. Staffordia *à* Stafferd *civitate dicta, quæ castello prædita est.*

Lichfeld *episcopali gaudet sede.*

Huc pertinent Stone Tamerworth, Burthon, *&* Wolverhampton *oppida ut & arces* Chartley *&* Dudley.

11. Rotelandia, *sive* Rutlandia *totius Angliæ minima est provincia. Ejus metropolis dicitur* Uppingham.

12. Salopia *separat* Walliam *ab Anglia. Ejus primaria urbs olim fuit* Wroxcester, *quæ nunc vilissimus pagus est, è cujus ruderibus extructa est nobilis & firma civitas* Shrevburge, *sive* Salopia *dicta ad Sabrinam fl. in hac lanificium strenuè exercetur.*

Osvestre, *sive* Ossvaldstre *oppidulum firmissimum claret nundinis præstantissimis pannis refertis; gaudetq; castello.*

13. Northantonia *dicta est à primaria sua urbe* Northampton, *quæ ad Avonam, sive Nen fl. amplissimè est condita, habens castellum vetustum.*

Peter

Peterborov *episcopalis urbs habet templum infelicis reginæ, Catharinæ & pictis fenestris vitreis instructum.*

Burghley *arx vivario ornata, est.*

Fotheringay *arx amœnissimis pratis cincta, nota à templo Collegiali, ut & Carcere Reginæ Mariæ ubi & securi percussa est:*

Richingham *admodum firma arx est ad fl. Welland.*

Ounde *perelegans est oppidum.*

14. Nottinghamiæ *metropolis est* Nottingham, *amœna sanè civitas, obtinens forum egregium, & castellum inexpugnabile in rupe præcipiti.*

Nevarke *ad fl. Trent ampla civitas castello prædita est.*

Mansfeld *oppidũ nihil memorabile obtinet.*

15. Lincolnia *ampla provincia habet metropolim amplam, episcopalem* Lincolniam, *ad Witam fluvium.*

Stanford *ad Wellando fl. egregia est urbs plurimis immunitatibus gaudens.*

Cætera oppida sunt Crouland, Boston, Pannton, Grantham, (*quod egregio Gymnasio atq; templo præditum est*) Torksei, Wainflette, Losuthe, Grimesby. *&c.*

16. Ce-

16. Cestria *metropolim habet ejusdem nominis ad Dejum, sive Devam fl. Romanorum monumentis est clarissima, ab amplitudine, elegantiâ ædificiorum hortorumq́, commendata. Domus episcopalis & castrum nec non aula civitatis singulariter eminent. Ædes privatæ ambulacris atq́, peristyliis præmunitæ sunt.*

17. Hertford *Comitatus, antiquissimis claret civitatibus, è quarum censu sunt:* Roiston, Ashvel, Vare, Stunsdon *&* S. Albans, *quæ ampla & lata urbs est. De celebri quondam civitate* Verula *Patria S. Albani, primi martyris Britannici rudera tantum extant, cum amplissimo Fano, in cujus eleganti baptisterio Reguli olim Scotici baptizabantur.*

Thibaulds *arx est regia egregia, innumeris raritatibus gaudens.*

18. Darby *Comitatus est montosus, saxosus ferens plumbum, antimonium, lapides molares & cotes. In metropoli* Darby *coquitur sapida cerevisia.*

Bakevel *oppidum thermas salutares vicinas habet.*

Perlustratis hisce septem priscis Anglici Regnis cum suis Provinciis, civitatibus arcibusq́, considerandæ jam est Altera Angliæ pars, nem-

pe CAMBRIA sive WALLIA, quæ primogenito Regis Angliæ, ex more antiquo cedit, qui inde Princeps *dicitur* Walliæ. *Terra omnis montosa, aspera, nisi quæ mari vicina est. Incolæ laboris sunt impatientes, generisq́ nobilitate ferocientes & Jurisprudentiæ studiosi.*

Distingvitur autem WALLIA in subsequentes 12 Comitatus.

Primò, Radnoria *dicitur, obtinetq́ civitatem* Knighton, *ad quam mirabilis & prolixissima quondam fossa erat, distingvens Angliam à Britannia prisca.*

2. Brechinia.

3. Monumeth. *Hic Comitatus habet metropolim* Monmouth *sive* Mongvy.

Neuport *gaudet arce & portu tuto. Hodie tamen hîc Comitatus à plerisq́ Angliæ adscribitur.*

4. Glamorgonia *habet episcopale oppidulum* Landapse, *& portuosam civitatem* Caerdiffe.

5. Maridunensis *ager continet vetustam atq́ venustam civitatem* Caermardin. *In hac celebris ille Scriptor* Merlinus *natus est. Juxta eam est Fons intra 24 horas instar maris bis crescens, totiesq́ decrescens.*

6. Pen-

6. Penbrok *obtinet metropolim ejusdem nominis, in amœnissimo Walliæ loco sitam. Ibi etiam est* Milforthaven, *portus ille totius Europæ præstantissimus celeberrimusq́ᵹ. Citra hunc portum in Scotica Provinciola* Rossia *habitant Belgæ & quidem Flandri. Ibidem est Promontorium* Octopitarum, *vulgò* S. Davidis land, *habens oppidulum* Meneviam, *sive* S. Davidis, *in quo Archiepiscopi olim residebant. Hinc facilis datur transitus in Hiberniam.*

7. Ceretica *gaudet civitate* Cardigan, *vulgò* Aber-Tivy, *sive* Ostium Tivij *dicta.*

8. Montgomeryshire *nomen sortitum est à civitate* Montgomery. *In hoc Comitatu situs est excelsus mons* Plinlimon, *effundens fluvium celebrem Sabrinam.*

9. Merviniæ *Comitatus intra montes asperos situs est, obtinetq́ᵹ. Incolas à libidine infames. Primarium ejus oppidum dicitur* Bala.

10. Snaudonia *sive* Arvonia *excelsissimis Britanniæ montibus, iisq́ᵹ nivosis superbit, qui incolarum belli tempore, asyla sunt. Hîc situm est Promontorium* Canganum, *communiter* Lhein *dictum, primarium ejus oppidum est* Caernarvon, *arce egregiâ præditum.*

Bangor *sive* Banchor, *elegans civitas episcopa-*

opalis, arce etiam ornata est, penes quam facilè in Insulam Monam *sive* Anglesey *navigatur.*

Hîc etiam cum arce egregia condita est civitas arte & naturâ firmissima Conovium, *sive* Aber-Convoy *dicta.*

11. Denbighensis *Comitatus continet civitatem* Denbighiam, *quæ est Baronia, nobilibus abundans.*

Ruthunia *emporium est nobile, habens castrum peregregium.*

Wrexham *superbit eleganti turri & Organo.*

12. Flintensis *Provincia nomen sibi acquisivit ab arce* Flint, *sive* Flintcastle. *Ejus oppidum primarium atq; episcopale est* S. Asaph, *vulgò* La nelvi *nuncupatum.*

DE SCOTIA.

SCOTIA *dirimitur à præfata Anglia Tuedâ fl. Zeviotâ monte altissimo & quâ mons deficit, vallo, seculo nostro facto, ac deindè Eskâ & Solvæo fluminibus.*

Estq; hoc Regnum asperius atq; montosius Angliâ, magna ex parte sulphureum & viscosum,

gliribus sive (ut Bertius scribit) muribus carens, ligno non ubiq; instructum, triticum & siliginem ad necessitatem vix ferens, unde agrestes, sive pagani plurimùm avenario pane vescuntur. *In* Rossia *tamen Provincia Scotiæ incolæ ex tritico apud se nato vescuntur optimo, sapidissimoq; universæ Europæ pane, candidissimo, levissimo, maximèq; solubili. In vallibus plurimi sunt lacus, paludes, fontesq; & rivi piscosissimi, quorum pars maxima è monte* Grampia *oritur. Mons hic mediam Scotiam interse- cat, cujus pars Australis,* Superior Scotia *dicitur. Borealis* Inferior. Superior *Scotia fertilior est incolasq; habet civiliores, quos* Altæ terræ viros *nominant.* Inferior *incultior est, ideòq; illius incolæ* Scoti sylvestres *&* Imæ terræ viri *dicuntur.*

Adeò fœcunda est Regio, ut binos, ternos, quaternos, uno partu edere non sit infrequens. Mare Scotiam alluens ostreis halecibus, corallis conchisq; diversi generis scatet. Fluvij salmonibus affluunt.

Singularia hæc in Scotia habentur: 1 Aqua Lacus, Myrta, *cujus dimidia pars hyeme congelatur, altera fluit. 2* Cariccarum *boum pinguedo, quæ semel liquefacta, nunquam pòst*

con

condensatur. 3 *In Provincia* Coil *rupes surda.* 4 *In lacu* Lomundo *pisces pinnis carentes, & in eo Insulæ natantes nec non aqua procellosa.* 5 *Lapis* Argadiæ *ardens.* 6 *Aqua in specu* Buquaniæ *lapidescens.*

Navigabiles fluvios tres habet, Cloyd, Taus & Fortheam.

Archiepiscopatibus duobus gaudet, nempè S. Andreæ & Glasquensi. *Academiis tribus ornata est;* S. Andreæ, Glasquensi, & Aberdoniensi. *Totum Scotiæ Regnum hodiè in 36 Provinciolas distingvitur; quarum prima est* Terfidale, *monasterium pervetustum* Mailrose *obtinens.*

2. Merchia *sive* Limitanea, *gaudens civitate* Coldinghâ.

3. Lauden *sive* Lothien. *Hæc metropolim habet* Edinburgum, *quæ antehac Regum Scotorum Regia fuit; estq; totius Scotiæ metropolis, ad Fortheam amnem, in amœno & fertili loco, sed tamen utplurimùm inter colles, instar Pragæ Bohemorum condita, obtinens intra circuitum unius milliaris Germ. Ultra centum arces conspicuas. Arx civitati proxima in rupe inexpugnabili sita,* Castrum puellarum *appellatur. Urbs ipsa non tantum obtinet Palatium regium,*

Cathedra Arthuri *communiter dictum, sed etiam plurimas aulas Episcoporum, Ducum, Comitum, Baronum & Procerum totius Regni; quas tempore Comitiorum inhabitare solent. Cætera civium ædificia nihil humile, sed cuncta magnifica præ se ferunt; inprimis verò templa & collegia Sacerdotum excultissima sunt. Monasterium S. Crucis reliquis palmam præripit. Palatium regium viridariis amœnissimis nobilitatum est. Suburbium occidentale ædificiorum frequentiâ & splendore nihil urbi cedit.*

Leith *oppidum munitissimum portu egregio dotatum est.*

4. Lidesdale *exhibet arcem munitissimam* Armitage.

5. Gallovay *sive* Gallovallia *celebris est à portu* Kircoubright *&* Vigton *castro, nec non Promontorio* Gallovidiæ.

Whitherne *episcopalis est sedes.*

5. Carick *sive* Carićta *à bobus præstantissimis commendatur, continetque* Bargeney *oppidum.*

6. Kyle *sive* Coyla *celebris est à rupe surda & portu commodo, nec non emporio pervetusto* Aire *dicto, in quo peregrinantes à Magistratu honorificè excipiuntur, ac in curia matriculæ*

sive

sive catalogo civium adscribuntur. Non procul ab hac urbe sita est Insula Arran, *in qua corpora mortuorum* (*si vera sunt quæ Scriptores plerique referunt*) *non putrescunt*, *nec ideò humantur*, *sed dio atque soli exponuntur.*

7. Lenoxia *obtinet lacum* Logh Lomond, *constantem aquis procellosis*, *piscibus absque pinnis & insulis natantibus.*

8. Dumparton *prædita est civitate munitissimâ* Dumbrinton *dictâ*, *ad confluentem Levini & Glottæ*, *specula ibi in rupe habetur nobilissima.*

9. Kuningham *ubi oppida* Irvin & Ardrossan *sunt.*

10. Glasconia *ornata est urbe* Glasquo, *Archiepiscopatu*, *Academiâ & mercaturâ pollente.*

11. Cluydsdale *tenet arcem* Douglas.

12. Renifrav *habet ejusdem nominis oppidum.*

13. Stirling *vel* Sterling *consimilis nominis obtinet civitatem cum arce regiâ in rupe conditâ*, *& murum limitaneum Romanorum.*

14. Fisa *celebris est ab Archiepiscopali & Academicâ urbe* S. Andreæ.

15. Bracd Albin *sive* Albania *inhabita-*

tur ab agrestibus bellicosis, malitiosisq; hominibus.

16. Perth Schirifdome *prædita est civitate Episcopali* Dunkelden, *& oppido prob. dispositó* Perthum. *Non procul inde fuit arx Comitum* Rethuenorum, *in qua illi Comite. Regem Jacobum* VI. *trucidare conabantur.*

17. Angusia *continet civitatem* Dundee *patriam* Hectoris Boëtij, *Historici Scotic. CL.*

18. Mernis *nota est à castello edito* Dunnolyr.

19. Marria *tenet Episcopalem urbem* New Aberdon, *quæ prædita est egregiis domiciliis Canonicorum, Xenodochio opulento & Academiâ.*

20. Rossia *sive* Culros *claret portu capacissimo* Cromerty *dicto, miris fodinis carbonariis nec non salinis.*

21. Strathnavern *extrema Provincia Insulæ Britanniæ, ob aërem frigidiorem & luporum frequentiam minus habitabilis est.*

22. Levinia, 23. Eusdale, 24. Eskdale, 25. Amandale, 26. Nidisdale, 27. Strathern, 28. Mentheit, 29. Argile *sive* Argadia, 30. Cantyre, 31. Lorna, 32. Buchania,

chania, *sive* Buquoichan, 33. Moravia *si-ve* Murray, 34. Loghuabria, 35. Sutherlandia, 36. Cathanesia *sunt etiam Scoticæ provinciolæ civitatibus ferè destitutæ.*

CAPUT XV.

DE HIBERNIA *sive* IRLANDIA INSULA:

HIBERNIA Regi Angliæ subjecta ab Ortu habet magnam Britanniam, à qua mari Hibernico discluditur. Cœlum ejus est salubre & clemens, serenitate aëris, multùm Britanniæ præstat. Semina tamen ob Autumni humiditatem rariùs maturescunt. Aliàs terram habet fertilem, pingvem, mollem, montosam, nemorosam, paludosam & ita pabulosam, ut pecora, nisi interdum æstate à pascuis arceantur, nimiâ satietate rumpantur. Nullum ibi noxium reptile degit, nullus serpens, à lupis tamen infestatur. Ligna & trabes ædibus adhibita nullas araneas ferunt. Apum tanta hic est multitudo, ut non solùm in alvearibus, sed etiam in arbo-

rum caudicibus & terræ cavernis passim reperiantur. Equos optimos tollutim incedentes suppeditat.

Supra Armacem *urbem stagnum est, quod ferrum immersum in saxum vel lignum mutat.*

Lacus Eaug *salmonibus totius Europæ præstantissimis fœcundus est. In mari vicino nascuntur ex lignis putridis atq; gummiferis aves in forma anatum, quas alij Scotiæ, alij Hebridibus Insulis adscribunt.*

Distingvitur in 5 amplissimas Provincias, quæ 33 Comitatus & 4 Archiepiscopatus habent.

Episcopatus 37 olim obtinebat, quorum omnium caput hodie superest Armacensis. Armach *enim est sedes Archiepiscopi & Metropolis totius Hiberniæ.*

Toja *etiam claret sede Archiepiscopali.*

Galluvai *emporium adeò est famosum, ut ipsam etiam Hiberniam, apud quosdam exteros, celebritate superet.*

Corcagia *emporium quoq; est celebre, sed viciniis usq; adeò exosum, ut adversus eos, tanquam hostes, perpetuas cogantur cives excubias agere.*

Limiridum *emporium etiam est nobilissimum ut &* Waterford *sive* Porthlargy.

Cassilia *Archiepiscopali sede gaudet.*

Dubli-

Dublinum *Scholâ illustri celebris est civitas, Collegio egregio, Bibliothecâ copiosâ Archiepiscopatu Parlamento & castello, Portum autem habet difficilem, & lignis caret.*

Leighlinia *regium oppidum castrum obtinet munitum.*

Dredach *sive* Drogheda *elegans & populosum est emporium.*

Circa districtum Ultonienſem *est Insula, in qua si quis pernoctat, à malis spiritibus infestatur; ideò hic locus vulgò* Purgatorium *appellatur.*

CAPUT. XVI.

DE SICILIA INSULA.

S*Icilia, ante omnes Mediterranei maris insulas, claritate eminens, Inter Italiam & Africam posita est, sub dominio Regis Hispan. In hac passim agrorum tanta est ubertas, ut ex uno tritici modio, centum colligantur. Hinc fertilior ejus districtus Sunensis* Campe dallo cento Salme *nuncupatur, & M. Cato olim hanc Insulam* Cellam penariam Reip. Romanæ *appellavit.*

pellavit. Insulam hanc nobilem reddiderunt 1 *plurimi præclari viri in ea nati*, 2 Dædali *ingeniosa opera*, 3 Sibyllæ Cumanæ *Sepulchrum*, 4 Syracusa *Pentapolis cum suo portu*, 5 Arethusa *fons*, 6 Æthna *sive* Gibello *mons*, 7 Palycus *lacus*, 8 Scylla *&* Charybdis, 9 *Vinum generosum*, muscatellum *dulce dictum*, 10 Canna *Sacchari*, 11 *lapilli pretiosi, inprimis* Agathes, Beryllus, Porphyreticus *lapis*, Marmor, Alabastrum, Adamantes, 12 *minera auri, argenti & ferri*, 13 *Corallum*, 14 *Mel*, 15 *oleum*, 16 *Crocum*, 17 *lana*, 18 *pix*, 19 *Sal, tàm mineralis, quàm factitius. Famosa etiam hæc est insula à* vesperis Paschalibus *cruentis, vulgo* Siculæ *dictis*.

Ejus hodiè metropolis est Palermum *sive* Panormum *prisca Regum Siciliæ, nunc vice Regum Hisp. ob loci amœnitatem sedes, continens Palatium regium & Fanum D. Petri, alia insuper ædificia augustissima.*

Syracusa *de suo pristino splendore hodiè rudera tantùm ostentat.*

Agrigentum *sedes fuit* Phalaris *Tyranni Fert salem in igne fluentem, in aqua autem crepitantem.*

Sacca *thermis nobilitatur.*

Marsala *ad promontorium olim Elisæum dictum, inclaruit per Maurorum tyrannidem.*

Trapanum *à munitione portu, corallis, sale, terrâ vitris conficiendis aptâ, & sepulturâ* Anchisis *commendatur.*

Monreale *totius Europæ splendidissimum obtinet Fanum.*

Messina *emporium variis privilegiis dotatum est. Proximè elapso Anno Chr. 1638 per terræ motum turris templi concidit, plurimosq; homines necavit.*

Catana *famosa ob Academiam, latrocinia in nemore urbi proximo grassantia & vicinitatem montis Æthnæ.*

CAPUT XVII.

DE MALTA, SARDINIA, CORSICA, ILVA, ISCHIA, BALEAribus, Corayra, Cephalonia, Zacyntho & Creta, Insulis.

SICILIÆ *vicina est Insula* MALTA *sive* Melita, *in cujus meditullio ejusdem nominis urbs munitissima cum arce condita est. Celebris est hæc Insula à naufragio* D. Pauli *Apostoli, &*

copiâ Goſſipij ibi in arboribus creſcentis, nec non catellis vulgò Melitæis dictis. Scorpiones & ſerpentes minùs venenatos habet. In hanc poſt expugnatum à Turca Rhodum, ſeceſſerunt Equites Hieroſolymitani, quam contra dictum hoſtem ſtrenuè Anno 1565 defenderunt, & adhuc cum laude tuentur. Alij hanc Inſulam Affricæ attribuunt, ſed minùs rectè.

SARDINIA *inter Siciliam & Corſicam ſita, paret Hiſpano, caret venenatis inſectis, exceptâ* Solifugâ. *Herbam etiam profert lethiferam,* Ranunculum, *ſive à loco* Sardonicam *dictam: Hæc homines quaſi ridentes, edulio ſuo perimit, & quidem citra dolorem. Hinc proverbium* Sardonius riſus. *Aërem etiam habet inſalubrem. Argenti fodinis nobilitatur. Ejus primaria urbs eſt* Calaris, *ad quam coralliorum piſcatio inſtituitur. Eſt autem civitas in colle poſita, gaudens ampliſſimo portu.*

CORSICA *horridis & præruptis incluſa eſt ſaxis, ſterilis ferè, vinum tamen generoſum fert. Reſinâ & melle amaro (ex copia taxorum) abundat. Solus illius ager lapidem gignit* Catochitem, *Magis reſiſtentem. Paret Genuenſibus.* Baſtia *eſt metropolis & ſedes Gubernatoris:*

ILVA, *vulgò* ELVA, *ad Magnum Ducem*

Flo-

Florentiæ ſpectat, qui milites ordinis Stephani, pro præſidiariis, contra irruptiones Turcicas, inſtituit. Sterilis eſt inſula. Fert tamen ferrum, chalybem, Magnetem, Stannum, Plumbum, Alumen, Sulphur. Ferrum intra 25 annos renaſcens, in inſula liquefieri non poteſt, ſed aliò transfertur. Primaria ejus urbs Coſmopolis, mille paſſuum ampla. Arcibus duabus validiſſimis, & armamentario inſtructiſſimo gaudet.

ISCHIA, prealtis cautibus, undiq; cincta, thermis, & vino claret. Præcipua ejus urbs eſt Gerunda, Palatio præclaro ſuperbiens.

BALEARES Inſulæ, Majorca & Minorca Hiſpaniæ adjacentes, frumento, vino, oleo & fructibus ſunt fertiles. Cuniculis adeò affluunt, ut ij ſegetes quandoq; penitus abſumant. A Panno & Caſeo præſtantiſſimo commendantur. In Majorca inſignis eſt civitas, Palma dicta, patria Raimundi Lullij, viri CL. In hac eſt ſedes vice Regis & Gymnaſium publicum. Alterum oppidum eſt Pollentia. Illius cives à Turcis ſæpè infeſtantur. Minorca boves & mulos prægrandes gignit. Ejus præcipua civitas dicitur Cittadella.

BORFU ſive Corcyra, inter Epirum & Calabriam ſita, Venetis ſubjecta, à quibus ſtrenuè

adver-

adversus Turcam defenditur, habet Incolas Græcos. Solum ejus abundat frugibus, vitibus, oleis. Nemora ejus ex citris & medicis pomis plurimùm constant. Segetes tamen latæ ob austrinos ventos, plurimùm arescunt ante maturitatem.

CEPHALONIA, *inter Epirum & Peloponnesum sita, & Venetis subjecta, tritico, melle passulis, mannâ, oleo ingenti copiâ abundat. E vicina est* ITHACA *Insula,* Ulyssis *patria.*

ZACYNTHUM, *inter Cephaloniam & Achaiam situm, Incolas habet Græcos, qui Venetis parent, atq; ex olei & vini annuo proventu quæstum magnum colligunt. In hac sepultus est* Andreas Vesalius, *Anatomicus celebratissimus.*

CRETA *sive* CANDIA, *Insula aspera & montosa, vini tamen* Muscatellini (*non verò* Arvisij, *quod* Chios *unicè profert*) *olearum malorum punicorum, aureorum, citreorum ficuumq; feracissima. Nullam bestiam noxiam aut insecta venenosa, præter Phalangium gignit. Nascuntur ibi* Colocasia, Dictamus & alimos *herbæ. Mons celeberrimus* Ida *pro vetere novum* Labyrinthum *ostentat.*

Atque hæc de Europa, nobilissima orbi

bis terrarum parte, dicta sint. Residuas partes compendifaciam, cùm Lector vix atque vix ad eas, tanquam Regiones remotissimas, periculosissimas, barbaras & minus cultas perventurus sit.

CAPUT XVIII.

DE ASIA.

Secunda Orbis terreni pars est ASIA, *magnitudine superans* Europam *&* Africam, *ab hac disterminatur fluvio* Nilo *&* sinu Arabico, *ab illa fl.* Tanai, *mari* Euxino *&* Ægeo. *Dividitur in* Minorem *&* Majorem.

Minor Asia *est Europæ proxima, & speciali nomine* Natolia *sive* Turcomania, *à Turcis incolis nuncupatur. Ejus provinciæ sunt* Cilicia, Pamphilia, Caria, Lycia, Lonia, Lydia, Lybia, Æolia, Mysia duplex, Pontus, Bithymia, Paphlagonia, Cappadocia, Galatia, Lycaonia, Phrygia.

Majoris Asiæ *partes præcipuæ sunt hæ,* Syria, *in qua* Phœnicia *&* Palæstina, Armenia duplex, Chaldæa, Arabia triplex. Persia, Tartaria, Hircania, Bactriana, Parthia,

India duplex, *sub qua chinarum sive* Siharũ *regio & Cathay comprehenditur.*

Brevius universa Asia in 5 Imperia *distribui potest* 1 Moscoviticum, 2 Turcicum, 3 Persicum, 4 Tartaricum, 5 Indicum.

Flumina *præcipua Asiæ sunt* Euphrates Ganges, & Indus. Montium *Asiaticorum parens est*, Taurus, *cujus diversa juga, diversi nominibus gaudent, quorum præcipuum est* Caucasus. Urbes *Asiæ celebres nunc sunt* Casa, Trebizonde, Calechutum, Quinsa, Mecha Babylon, Ormuz. Goa, Aden, Jerusalem, Damascus.

Ad Asiam referuntur subsequentes Insulæ Lemnos *sive* Stalimene, Metelinprus, Rhodus, Chios *vinum Arvisium proferens*, Zeilan, Maldivæ, Sumatra *sive* Taprobona, Borneo, Java, Moluccæ, *quæ ferè singulæ gemmas & aromata omnis generis, gignunt.* Philippinæ *Insf.* & Japan *auro divites sunt, parentq; Regi Hisp.* Corea *Chinensibus est tributaria*

CAPUT XIX.
DE AFRICA.

AFrica tertia *Orbis terreni pars, valdè vasta &*

sta & inhabitata, duplo major est quàm Europa, sed minor Asiâ: ab hac dirimitur sinu maris rubri; ab illa fretu Herculeo.

Dividitur in 7 partes, nempe 1 Barbariam *2* Numidiam, *3* Lybiam *interiorem, sive* Sarram, *4* Terram Nigritarum, *5* Ægyptum, *6* Æthiopiam superiorem *seu* interiorem, *7* Æthiopiam inferiorem *sive* exteriorem.

In meditullio Africæ, situm est imperium Abyssinorum, *vulgò* Presbyteri Johannis, *sed rectiùs Prestegiani dictum.*

Fluvius *Africæ maximus est* Nilus.

E Montibus Atlas *eminet.*

Urbes *hodiè florentiores sunt*, Memphis, *sive* Cairus, Scanderia, *sive* Alexandria, Algeria, Georgia, Rosettum, Fessæ, Maroco, Congo, Cabatza, Aphrodisium, Azaamurum, Tingis, Septa, Tzaffin, Arzilla, Sala, Mombaza, Quilea, Tunis.

Africæ adscribuntur hæ Insulæ:

Canariæ *sive* Fortunatæ, *quarum una* Tenariffen *dicta, montem totius orbis terrarum editissimum obtinet, ad quem superandum triduum integrum requiritur, ut plurimùmq; nive obsitus est.* *Insulæ* de Cabo viride, *olim* Hesperides *sive* Gorgades, Insf. S. Helenæ, S.

 Thomæ,

Thomæ, Madagascar, *sive* S. Laurentii, *& aliæ minores atq; obscuriores innumeræ. Præfatæ autem majores, à copia Saccari, ficuum, aliorumq; fructuum nobilissimorum potissimùm inclaruerunt.* Madagascar *etiam ab ovibus prægrandibus commendatur, quarum cauda 12 librarum esse solet; quod quidem non mirum, cùm & in* Æthiopia inferiore, *unica cauda ovilla 25, imò & 30 libras quandoq; ponderare soleat.*

CAPUT XX.

DE AMERICA.

America, Quarta *globi terreni* pars, *vulgò* India Occidentalis *vel potiùs* Novus Orbis *dicta, ob immensam ejus amplitudinem, quæ Europæ, Asiæ & Africæ simul sumtis ferè par est. Primùm inventa An. Ch. 1492 à* Christophoro Columbo, *quem postea 1497 secutus est* Americus Vesputius, *à quo nomen ea accepit, is tamen* Brasiliam *potiùs detexit. Distingvitur in* Septentrionalem *&* Australem, *quas partes connectit, Isthmus Dariensis. In illa sunt* Estotilandia, Terra Laboratoris, Canada, Nova Francia, Norumbega, Virginia, Florida,

Juca-

Jucatan, Nicoragua, Nova Hiſpania, California & Quivira. *Interiùs* Nova Granata. *In hac ſunt* Caſtella aurea, Plopajana, Peruvia, Chilo, Chica & Braſilia. Peru *ſive* Peruvia *totius Americæ eſt præſtantiſſima & auriferaciſſima pars.* Braſiliam *commendat portus* Fernamboci & Totos Santos, *proventu Saccari nobiles. Urbes in America præcipuæ ſunt*, Quito, Havana, Nombre, de Dios, Victoria, Teſcuro, Tlaſcalan, Lima, Cuſco & Mexico.

Inſulæ in ſinu Mexicano ſunt Cuba, Hiſpaniola, Jamaica, S. Johannis, Margaretha, Aſores *ſive* Flandricæ, *quæ omnes Hiſpano, cum maxima parte Continentis Americæ, ſubjectæ ſunt.* Merces *Americanæ ſunt Aurum, Argentum, Coria, Tabacum, Gemmæ, uniones, goſſypium, ſaccarum, aromata, lignum rubrum*, Braſilienſe *dictum*.

CAPUT XXI.

DE MAGELLANICA.

Quinta *Orbis terrarum* pars *eſt*, Magellanica, *ſive* Terra Auſtralis *atq;* Antarctica,

à Ferdinando Magellano *An. 1520 primùm detecta. Ejus regiones, per tres Zonas, Frigidam, Temperatam & Torridam extenduntur, commendabiles non tantùm prædicatione* Petri Ferdinandi de Quir, *Hispani, qui tractum illum magnâ ex parte ipse lustravit; sed etiam cœli soliq; constitutione terrarumq; amplitudine: æquant enim Europam & Africam simul sumtas. Hujus regionis partes sunt*, Terra del Fuego, Psittacorum regio, Lucach, Beach *aurifera, &* Maletur *aromatifera.*

CAPUT XXII.

DE TERRA ARCTICA.

Sexta *Orbis terrarum pars est*, Borealis, *sive* Arctoa, *ad quam referenda 1.* regio Subpolaris *incognita, ubi Sol non quotidiè, ut hîc terrarum, sed primùm verno æquinoctio exortus, autumnali demùm occidit, & ideò sex mensibus dies, & totidem alijs nox continua est. 2.* Spizbergia *sive* Nieuland, *3* Groclandia, *4* Grönlandia, *5* Islandia *Daniæ Regi subjecta*, *6* Nova Zembla *cum mari Hyperboreo & Fretis duobus* Waygaz & Daviz. *7* Frislandia,

dia, 8 Biarmia, 9 Finmarchia, 10 Lappia & *aliæ Provinciæ circa & intra circulum Arcticum ad Norvegiam, Sveciam, Moscoviam sive Russiam & Tartariam spectantes.*


Et tantùm hâc vice, plura in alium locum & tempus differendo.



MONITI MELIORA SEQUEMUR.

FINIS.





INDEX,

seu

ELENCHUS SPECIALIS
Regionum, Provinciarum, Urbium, Oppidorum, Arcium, Fluviorum, Lacuum, Montium, cæterarumque rerum memorabilium in hac Geographia contentarum.

Litera præfixa c. *Civitatem vel Oppidum;* a. *Arcem;* f. *fluvium;* m. *montem;* p. *provinciam sive regionem significant. Reliquæ abbreviationes usu facilè intelligi poterunt.*

Auea

Ba-

Brescia

Caer-

Chi-

Cri-

D.

Du-

INDEX.

Ehren-

Grave-

Hel-

Him-

Ina

Iulio-

Klagenfurt

L

Le-

Lubaczow

Lycia

Maſsi-

Mons

Nantes

Nerv

Parch-

Phi.

Posi-

Rauſæ

Rivel-

Sala

Santum

Sche-

Stol-

Vxea-

Via-

INDEX.

FINIS.

CORRIGENDA

In Prolegom:

Pag. 2 v. 6 *lege* szárаz föld v. 16 Isola *p.* 7 v. 11 vel non; *p.* 10 v. 4 Lameers Strat v. 17 Meer Schos *p.* 11 v. 13 *Bay,* Haff, v. 18 *pro B lege* P. *p.* 19 v. 13 quarum *p.* 23 v. 7 *pro Horizon l.* Horizontem *p.* 24 v. 5 Regnum *p.* 28 v. *antepen:* inhabitabiles *p.* 29 v. 2 nostri v. 19 medietate.

In ipsa Geogr.

Pag. 3 v. 5 Majorca v: 6 Minorca v. 17 Europæ arunt *p.* 9 v. 3 efficiunt *p.* 15 v. *ult:* Quinta & Sexta pars *p.* 17 v. *antepen:* Calahorra *p.* 21 v. *pen.* appellant) *p.* 32 v. 15 Porcellanis *p.* 33 v. 12 argentifodinis *p.* 36 v. 11 Tonsa *p.* 44 v. 9 Pharum *p.* 57 v. 15 ad *pro ab p.* 58 v. 10 contulisset *p.* 59 v. 5 habent *p.* 63 v. *pen:* adeò *p.* 71 v. 9 tùm tota *p.* 72 v. 9 falsis *p.* 74 v. *pr:* nobile, munitum *p.* 79 v. 6 Hanc v. 16 quidam *p.* 84 v. 21 fit, tùm in religionem, tùm in cond: *p.* 86 v. 20 quem *p.* 90 v. 21 Urbis *p.* 92 v. 5 vendicat *p.* 93 v. 4 tardius v. 14 constituunt *p.* 94 & 95 *idem num: corrigendus & loco* 8 *utrobique* 9 *substituendus, p.* 95 v. 9 obsoniis v. 18 importantur *p.* 105 v. 13 Schenckenschantz v. 21 Curiæ Bibliotheca *p.* 107 v. 18 alit *p.* 108 v. 12 triticea *p.* 109 v. 14 Quarzenburg *p.* 113 v. 21 Benfeldia *p.* 114 v. 10 intra v. 12 nudipedum *p.* 117 v. 3 Grons *p.* 122 v. 16 *influit.* Ibi carcer Johannis *p.* 129 v. 17 Caroli v. *pen:* solent *p.* 130 v. *ult:* insculptas *p.* 138 v. 16 perpetuis, v. 21 vitraria *p.* 139 v. 11 Germ. Inßpruck *p.* 148 v. 2 Corbachium *p.* 152 v. 3 ditione v. 19 Cuspiniani *p.* 153 v. 3 Rotenburg *p.* 154 v. 10 Voitlandicæ v. 13 leguminum *p.* 155 v. 8 vineta *p.* 157 v. 20 Eysfeldensis *p.* 158 v. 17 Plysnæ *p.* 159 v. 2 portam v. 8 & Svecesp. 160 *pro & l.* ex *p.* 165 v. 10 Tedinghusen v. 10 Bremerfurda *pag.* 167 v. 8 & 9 Ocra v. 20 palustri *p.* 176 v. 6 Gniesnack *p.* 183 v. 13 *est* Soldinum ad Miezel fl. *Custrinum p.* 188 v. 15 *expunge* in Summo, ceu vocant, *p.* 189 v. 6. Ge horn *p.* 190 v. 19 Collegio *p.* 196 v. 1 textoribus *p.* 197 v. 6 Rhederorum *p.* 198 v. 7 Patria *D. Parai p.* 200

v. *pen:*

v. *penult.* Letomiriza *p.* 202 v. 14 Crumlovia v. 17 Brandisium *p.* 203 v. 9 Hostimni *p.* 206 v. 2 pannificio v. 10 Crésirium *p.* 206 v. *antepen.* Sulzbachium v. *pen.* Palatinali *p.* 207 v. 22 cùm, quod *Anno* v. 24 restitit, tùm *p.* 211 v. 15 minutorum *p.* 226 v. 3 Anatomici *p.* 231 v. 18 denominata à Cavitate *p.* 238 v. 2 quorum *p.* 239 v. 5 primarium *p.* 244 v. 14 *pro aut l.* cui *p.* 246 v. 12 benè *p.* 249 v. *ult.* Mediolanensem *p.* 250 v. 13 *ad* bellica *p.* 252 v. 23 *pro ejus l.* eques *p.* 255 v. 1 *pro & l.* est *p.* 259 v. 5 Passerthal *p.* 264 v. 7 Reichensee *p.* 266 v. 8 Padus *p.* 268 v. 3 potitur *p.* 271 v. 10 Anconitana v. 24 Peucetia *p.* 278 v. 12 antiquitates *p.* 282 v. 21 Dantem Aligerium *p.* 284 v. 19 id, *loco* mœniorum *p.* 286 v. 7 desolata *p.* 287 v. 17 desolatum *p.* 289 v. 12 Fulignum *p.* 290 v. *ult.* milliaria *p.* 291 v. *pen.* *admodum* vicinam *p.* 294 v. 20 Sarrentum *p.* 296 v. 10 Thermæ *p.* 298 v. 14 nec *unquam* v. 23 cœlo *p.* 299 v. 2 at *post p.* 301 v. 8 variarum *p.* 309 v. 2 texturis *p.* 314 v. 10 Episcopali *p.* 318 v. *ult.* insignitum *p.* 322 v. 7 Bastilio v. 10 Lignagum *p.* 333 v. 1 Villa franca v. 15 Savona *p.* 334 v. 6 Aristocraticus *p.* 336 v. 6 habeat *p.* 338 v. 11 Smolnizium v. 15 plaustris *p.* 340 v. 1 *decuplo* majora v. 17 antea *p.* 347 v. 5 instituuntur *p.* 349 v. 20 conciliante *p.* 350 v. 23 communius *p.* 352 v. 1. Christi 1412 *op. p.* 355 v. 2 Vagendrüssel *p.* 361 v. 7 alastorum *p.* 362 v. 16 Erlaw *vulgo,* v. 18 *expunge priorem voculam* sedes v. 22 Taurinum *p.* 363 v. 14 excisæ v. 19 *pro suum l.* lucem *p.* 367 *inter* v. 3 & 4 *inserenda*: ex herba tinctoria in hortis undique plantatâ, quâ fila rubea colorantur, v. 21 inviæ *p.* 370 v. 18 fibula *p.* 372 v. 5 Singulæ v. 15 injuriosas v. 24 accolæ *p.* 373 v. 16 primaria *p.* 377 v. 2 arce v. 4 Vinz *p.* 379 v. 12 Scholas v. 18 Obelisci *p.* 388 v. 4, 5, omnis generis *p.* 395 v. 15 lacum *p.* 398 v. 18 Schake *p.* 401 v. 8 *pro ubi l.* urbi *p.* 402 v. 6 eam *p.* 403 v. 7 Cimbricam Chersonesum v. 9 Jutiam *p.* 408 v. 4 salebrosa v. 23 Helsingia *p.* 414 v. 3 castellum *p.* 415 v. 11 Kingstorium *p.* 417 v. 11 portuum v. 18 claret *p.* 418 v. 20 annus v. 24 Græci *p.* 420 v. 1 lanificio v. 8

Lyspo-

Lyspole p. 422 v. 4 Pikering p. 423 v. 15 Lecg v. 16 dele. fl. p. 425 v. antep. pro à l. è p. 426 v. 10 laboriosissimis agricolis p. 427 v. 10 Aratford v. antep. Elisabethæ p. 429 v. 8 Rochingam p. 434 v. antep. Lacus Myrto' p. 435 v. 13 Teisidale p. 437 v. ult. Braid p. 441 v. 3 castello superbiens p. 443 v. 18 Corcyra p. 445 v. pen. Corfu p. 446 v. 4 lætæ v. 21 ficuumque p. 447 v. 16 Ionia v. 18 Bithynia p. 448 v. 1 Chinarum sive Sinarum v. 15 Metelin, Cyprus.

Cætera viliora Sphalmata utplurimum verò Commata vel superflua, vel transposita, vel omissa, cum aliis distinctionibus incongruis prudens Lector ipsemet emendabit.

FROELIC(h)IUS
per Anagrammatismum
O FOELICS VIR!
aut:
FOELIX VIR!

INfelix laudum Mautnerus præco tuarum,
  Χαῖρε suum mittit, Fautor amande, Tibi.
Et cum Te nequeat meliori dicere versu,
  Aut animi dotes enumerare Tui:
Miratur, tacitâque stupet Te mente, vocatque
  Felicem, Musis, ingenioque Virum!

FROELICHIUS *Anagr:*
Vire hic, flos!

Quur bona verba rogas aliorum? nonné vel ipsum
  Cognomen pro Te candida vota facit?
Vive tuis Gepidis, praxin[illegible] feliciter urge,
  Hicque diu, Charitum flos generose, Vire!

DAVID FROELICHIUS
Diu, diu, hic floreas.

Florida, firma, virens nunquam Te deserat ætas:
  Perpetuus foveat quin tua membra calor.
Tum quoque cum fueris vitâ confectus & annis,
  Non Te destituat cruda juventa, precor.

Applaudebat
Johannes Mautnerus Rector Scholæ Cass.

